5. 7. 79

V

Alonzeri

1705

Digitized by Google

P.IG. MONTEIRO S.J.

LUSITANI

LOGICA

SEU ARS CRITICA AD RATIONEM DIRIGENDAM,

Et ad Studioſæ Juventutis inſtitutionem accommodata.

TOMUS PRIMUS

PARS I.

VENETIIS MDCCLXVIII.
TYPIS ANTONII ZATTA.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO
IN LOGICAM.

P*Rrimam habes Ecclecticæ philoſophiæ rationalis partem in generali totius operis idea, atque diviſione promiſſam*; *&* Artem criticam dirigendæ rationis, *ſeu Logicam nuncupatam. Quem in omnibus aliis naturalis philoſophiæ tractatibus & generatim mihi ſemper ſtatui, idem modo mihi eſt in hac etiam parte liberi philoſophantis character, eadem philoſophandi ratio, idemque libertatis uſus, quantum logicæ natura patitur. Nullum ego in univerſa Phyſica, in totius naturæ contemplatione auctorem, ſectam, aut hominis ſyſtema mihi ſtatui, quem ſequerer ducem, aut doctorem ſuſpicerem. Naturam, ſeu integrum univerſum tamquam naturæ librum a Deo optimo maximo editum, ſola experientia, geometria, ratione interpretandum ſemper exiſtimavi. Hoc unum volumen, eos tantum interpretes ſuſpicio, & in ſcientiis naturalibus ſequor. Quod in philoſophia naturali univerſum, natura rerum, corporum phænomena, id in logica eſt mens humana: Philoſophanti phyſico legenda in rebus natura: cogitanti etiam logico, ſuaſmet cogitationes introſpicienti, atque mentem ipſam ad veritatem aſſequendum dirigenti liber unus humana ratio exiſtit legendus, evolvendus, meditandus. Sua in naturali philoſophia ſunt* data, *obſervationes, experimenta, a quibus, geometria, ratione, analogia ducibus, veritates deducimus: ſua etiam in Logica non deſiderantur* data, *atque experimenta. De humanæ mentis directione agitur: quod, niſi omnes mentis operationes, ſeu actus exploremus, recenſeamus, & ſcrupuloſam eorum*

analyſim proſequamur , obtineri numquam poterit. Mens humana ſibimetipſi ſtatuenda eſt liber, argumentum , ductor . *Si logicus eſſe amas , quin ex aliorum fide pendeas , humanæ rationis actus tamquam mentale muſæum diligentiſſime obſerva. Hoc tamen, præter alia, inter Phyſicam, & logicam intercedit diſcrimen: in Phyſica aliorum fidei , experimentis , laboribus ſtandum eſt: de vaſtiſſimo hoc univerſo, de tota natura, & corporibus , ampliſſimo enimvero argumento agitur: quæ omnia videre, obſervare, tractare nulli mortalium datur . Identidem igitur citare probationem auctorum, experimenta adducere, fidemque adhibere oportet. Alia longe eſt in logica agendi ratio. Eademmet philoſophantis mens argumentum , liber , muſæum , atque obſervator exiſtit : aliorum fides , atque teſtimonia logico Philoſopho opus non ſunt: ipſa ſibi humana ratio, & doctor, & evidens teſtimonium eſt quid in nobiſmetipſis fiat, quid a prima infantia, atque rationis crepundiis, quid creſcente ætate: quid tandem toto vitæ decurſu accidat , in quoſnam errores identidem incidamus, quibus undique præjudiciis premamur, propria nos pericula , atque conſcientia admonent . Hæc una illa ſunt* data, *ex quibus potiſſimum in Logica philoſophandum. Mille in errores quotidie labimur; puerilia, atque vana hominum præjudicia ſæpe animadvertimus : Si præjudiciorum & errorum originem per otium rimamur , facile comperimus, nullum plane eſſe mentis actum , quem commune illud inficere non poſſit malum . Interim unum illud eſt totius Logicæ* thema *atque ſcopus* humanam mentem recta ubicumque dirigere , *ab errore avertere , ad veritatem recto tramite manuducere. Quid prudenti conductori faciendum, faci-*

le

Digitized by Google

le quiſque videt. Omnes humanæ mentis actus receſendi; humanam rationem a cunis ad mortem uſque per omnem vitæ decurſum proſequamur: a prima maligna luce ad ultimam uſque humani luminis explicationem, irradiationem, extinctionem mentem noſtram obſervemus. Quo pacto ſeſe humana explicet ratio, rerum ideas acquirat, actus ſuos eliciat, explicando autem, acquirendo, eliciendo paſſim labatur, expendendum. Humanæ mentis actus contemplando, naturalem hunc inter illos ordinem animadverto: primum in exiſtente anima eſt cogitare (quo nomine omnem modo animæ ſenſum ſeu perceptionem intelligo): mens cogitans ſibi & aliis loquitur, judicat, ſententiam profert: idearum atque judiciorum connexiones inſpiciens ratiocinatur: eo tandem devenientes, confirmata jam ratione, cum veritatem, atque certitudinem cogitando, judicando, ratiocinando quæramus; noſtrorum omnium actuum veritatem, falſitatem, certitudinem, aut incertitudinem quærimus: unde hæc in noſtram mentem deriventur, examinamus: examinando, certa nobis criteria, regulas, & prudentis rationis dictamina proponimus, ſtatuimus, demonſtramus, quæ perpetui nobis ſint ad veritatem aſſequendum duces, & teſſera. Poſt criticum hujuſmodi examen una ſupereſt diſcuſſarum cognitionum diſpoſitio. Satis nobis non eſt, quaſdam invenire veritates: ordo præterea, natura & arte quæritur. Naturalis hæc eſt humanæ mentis explicatio, & progreſſio. Cum igitur naturæ ordinem tenere, tamquam ducem optimum mihi ſtatuam; in quinque capita totam logicam divido, in quarum prima de humana mente exiſtente, & cogitante *diſſerimus. Mens humana* ſibi ipſi, & aliis loquens *alterius partis argumentum exiſtet: quanta enimvero in primis hiſce logicæ partibus circa rerum ideas, linguas, propoſitiones philoſopho non*

 igno-

ignoranda proponimus! *De mente humana* ratiocinante *pars tertia inſcribitur*. *Quidquid* ad artem criticam, *ejus fundamenta, & regulas ſpectat, fuſiſſime in quarta operis parte invenies. Poſt earum omnium rerum explicationem aliud mihi expediendum non erat, quam* de mente humana diſponente *agere; diverſas ſcientiarum, artiumque methodos, diſcendi, ſtudendi, docendi, diſputandique regulas tyroni philoſopho exponere. Non eam ego mihi logicam propoſui ſcribendam, quæ diſputandi leges humanam mentem doceret, illam in diſputando dirigeret, & ſcholis tantummodo, atque ſcientiis inſerviret. In unum illum ſcopum collineant omnes fere logicæ in lucem hucuſque editæ: exiguum illud eſt hujuſce artis argumentum, minime prætermittendum: humana tamen fere omnia citra diſputationem peraguntur; quam & pauci colunt, & non niſi in ſcholis adhibent. Logicam ego aggreſſus, humanam mentem omne hominum genus reſpicio: mens humana non modo in ſcholis argumentans, quod fere nihil eſt, ſed familiariter etiam, & quacumque alia ratione cogitando, loquendo, agendo ratiocinatur, errorem fugit, veritatem amat, quærit. Humanæ igitur mentis per hæc omnia, per familiares etiam, & minus proinde notos tramites directionem mihi ego argumentum ſtatui. Eo collineant quæ paſſim adduco ex poeſi, eloquentia, hiſtoria naturali, civili, artibus, ſcientiis exempla. Familiaria hominum ratiocinia, affectus, loquendi agendique ratio a me ſæpe in argumentum, & explicationem adducuntur. Eo ſane pacto, & quamplurimis lectorum claſſibus inſervire, & vitioſam alias logicæ ariditatem tollere exiſtimavi. Atque hæc illa ſunt, de quibus præfari oportebat: multa alia eodem facientia in ſubjecta diſſertatione offendes, quam ut legas, antequam logicam ipſam mediteris, auctor tibi eſſe vellem.*

PRO-

PROLEGOMENA IN LOGICAM.

DISSERTATIO HISTORICO-CRITICA

De Logicæ nomine, notione, natura, objecto, fine, methodo, ortu, progreſſu, præſenti ſtatu, atque de præcipuis Logicæ Scriptoribus.

§. I.

Logicæ Nomen, Notio, Natura.

1. DIſciplinam illam, quam nos uſitatiſſimo vocabulo *Logicam* nuncupamus, & in hiſce lectionibus tradere aggredior, a Græcis Philoſophis & nomen, & formam accepit. Etſi enim verum minime exiſtimem, aliis Nationibus quibus Græci originem & diſciplinas debuere, Ægyptiis nimirum, Chaldæis, Tyriis per plurima ante Græcos ſæcula ſcientias & artes colentibus, ignotum penitus fuiſſe, quod Græci poſtmodum Logicam appellarunt; liquido nihilominus conſtat Græcanicam Gentem acceptas ab antiquioribus populis artes, ſeu potius artium ſemina & rudimenta longius promoviſſe. Ob diſciplinæ igitur inſtitutum & naturam, quam ſtatim exponemus, eam a græco vocabulo λόγος, quod *ſermo* & *ratio* latine interpretatur, *Logicam* communiter appellamus.

2. Multis tamen aliis nominibus eadem diſciplina a philoſophis ſignificatur, nimirum *Dialectica*, *Organum ſcientiarum*, *Ars cogitandi*, *Ars dirigendæ mentis*, *Diagonoſtica*, *Philoſophia Rationalis*, *Ars Logico-Critica*, *Ars veri & falſi diſceptatrix*: omnibus hiſce vocabulis idem om-

nino apte exprimitur. Nos priorem hanc *Philoſophiæ Rationalis Eclecticæ* partem, parum alias de nomine ſolliciti, græco ipſo vocabulo *Logicam* dicimus, latine vero *Artem criticam rationis dirigendæ* ex ipſius rei natura atque munere nuncupamus; quod hujuſmodi nomine & ipſius artis indoles, ſeu inſtitutum, & noſtra philoſophandi, docendi, ſcribendique methodus aptiſſime intelligatur. Quas enim in ſcientiis naturalibus tractandis leges, inſtitutum, libertatem nobis ſemper propoſuimus, easdem in rationali etiam hac philoſophiæ parte ſcrupuloſe tenendas decernimus.

3. A nomine ad rem ipſam, ſeu a nominis, ut ajunt, ad rei ipſius definitionem gradum facientes, Logica recte explicabitur: *Ars critica Rationis dirigendæ ad veritatem aſſequendam, ad diſcendum, diſputandum, & docendum a ratione ipſa inventa*; hoc eſt, plurimarum regularum complexio, quibus mens humana per totum vitæ decurſum ad rerum veritatem detegendam, vera a falſis diſtinguenda, ſcientias & artes comparandas atque tradendas citra erroris periculum, & minori, quod fieri poterit, temporis diſpendio manuducitur. Omnes ſcilicet homines eo ſenſu philoſophi naſcimur, quod propria noſtræmet mentis indole, atque ingenio, innata quadam ſciendi curioſitate ducamur, ignorantiam odio habeamus, & ad occultarum rerum cauſſas detegendum perpetuis aculeis incitemur. Id vel maxime a pueris unuſquiſque noſtrum in ſemetipſo, atque in omnibus etiam aliis deprehendere faciilime poterit: quo enim animi ſtudio & mentis intentione ad minima quæque (ut illa fert ætas)

pene-

penetranda, ignota audiendum atque adnotandum rapimur? Idem vero ſciendi ſtudium nos ſemper a cunis uſque ad ſepulchrum comitatur, licet in ſingulis fere hominibus hujuſmodi ſciendi ardorem diſparem omnino eſſe fatendum ſit.

4. Humana autem mens in ampliſſimum hoc naturalium rerum theatrum edita, cum primum rationis lumen, atque intelligentiæ radius depulſis primoribus tenebris mentem illuſtrat, ſeſe ad immenſi rerum, ſcientiarum, & artium veluti oceani littora poſitam, & jamjam committendam animadvertit: ex alia vero parte, & proprio periculo paullatim edocta, & aliorum admonitu inſtructa, illud inter prima verum eſſe comperit, tempus ad navigandum breve, irreparabile, incertum, atque fatali neceſſitate a tergo ſemper urgens, neque tantiſper ſiſtere permittens: navigandum ſcilicet eſt, vivendum, & vivendo ad interitum celerrime properandum: totidem ad navigandum viæ ante oculos poſitæ ſunt, quot artes, & ſcientiæ inter homines in pretio habitæ, aut ad humanam ſocietatem neceſſariæ: ab alia ad aliam ſæpe ſæpius flectendum eſt iter, prout humanarum rerum fert conditio: quamcumque vero teneas, perpetuæ ſyrtes & ſcopuli vitandi; errandi periculis hinc inde ſemper circumdamur, declinandæ tempeſtates, & media fere ſemper caligine prætereundum. Id vero eſt quod antiquiſſimo proloquio, *Ars longa, vita brevis, experimentum fallax, ratio difficilis*, diuturna omnium temporum atque hominum experientia confirmato veteres ipſi poſteris tradiderunt.

5. Que-

5. Quemadmodum igitur in omnibus artibus aut ſcientiis ſollemne eſt ut tironibus qui illas edoceri, atque profiteri ſtudent, certæ quædam tradantur regulæ, quæ viam ad artem exercendam, ad ſcientiam comparandam ſternant, atque ad optatam metam compendioſius citra erroris periculum manuducant; id etiam humanæ menti circa univerſalem artem ſcientias, & artes cogitandi, diſcendi, comparandi, & comparatas aliis tradendi uſuvenit. Noſter enimvero hominum animus, & mentes habiles illi ſunt omnium artium, & ſcientiarum tirones, qui ſuapte natura & ingenio cogitant, omnia ediſcere, atque de omnibus cogitare ſtudent, ut nullus hominum in ſe ipſo non videt. Hujuſmodi tamen rationales tirones medio pueritiæ curriculo ad aullæ ſcientiarum & artium limen adducti, vividum in ſe ipſis ingrediendi, cogitandi, ediſcendi ardorem experiuntur; ad varias ſcilicet rerum & objectorum notiones & conſpectum vividæ quædam ſcintillæ animum ad ſciendum agitant, excitant, inflammant: eæ tamen vividæ ſcintillationes, ſeu animi ardor, quibus mens ipſa prurit, circumfuſa rerum caligine circumſeptus, atque obductus, cogitandi & ſciendi pruritum in anima excitant, quin illam illuminent. Qua ſit eundum, quid diſcendum oporteat, quid primo tentandum, quibus ad altiora aſcendendum, quanam arte ignorantia depellenda, vitandi errores, quomodo tandem, ut verbo dicam, ſit de rebus cogitandum, mens ipſa in ſcientiarum & vivendi limine ignorat.

6. Porro mens humana niſi ſtudioſe in re-

rerum ſuique ipſius meditatione, atque cogitandi uſu & arte inſtruatur, cogitandi tirocinium ad extremam uſque ſenectutem non egredietur. In eo igitur humanæ mentis tirocinio directrice manu, regulis & arte opus habet, ut in aſſequendis artibus, comparandis ſcientiis, rebuſque aliis in toto humanæ vitæ decurſu occurrentibus per rectam ſemitam dirigatur, quin aut longis ambagibus tempus inutiliter inſumat, aut in errores paſſim prolabatur. Ex hiſce tum nominis tum rei ipſius definitionibus, atque uberiori explicatione facile ediſcimus quid tandem ſit *Critica dirigendæ rationis Ars a ratione ipſa inventa*, qua brevi oratione Logicam ipſam definivimus: illa ſcilicet axiomatum, regularum, atque legum complexio diuturno uſu, periculo, experimentis a ratione ipſa meditando inventa, paullatim correcta, & confirmata, qua noſmet ipſi in ſcientiis, & artibus ediſcendis, & aliis muniis ad civilem ſocietatem ſpectantibus recto tramite manuducimur, integram Logicæ naturam complectitur: quæ omnia ex modo dicendis ſient clariora.

§. II.

De Logicæ cauſſa, objecto, fine.

7. Non melius veram Logicæ naturam, indolem, atque ideam nobis comparare poterimus, & traditam modo definitionem intelligere, quam ſi in veram ejusdem cauſſam rimemur, objectum & ſcopum, in quem ipſa collineet, ſedulo inveſtigemus. Id vero obtinebimus,

mus, ſi ad humanæ mentis ingenium animum advertamus, & paulliſper contemplemur.

Artis Logicæ cauſſa effectrix, ſeu potius inventrix atque ordinatrix eſt ipſa ratio humana; objectum ſunt omnes ſcientiæ, artes, & cetera alia, quæ mentis noſtræ ideis attingi poſſunt, aut in humanam etiam ſocietatem & commercium cadere. Finis eſt mentem ad veritatem aſſequendam, ac errores evitandos recta ubique dirigere. Hæc tamen ſingula fuſius explicari oportet.

8. Anima humana ad cogitandum, ediſcendum, intelligendum, & objecta comprehendendum a Deo creata, & ſuopte ingenio ſemper propenſa, omnia cognoſcendi, de omnibus judicandi ardentiſſime flagrans, impatienter fert aliquas ſibi objectari moras, quibus a rebus in oculos, aut ideam ſæpe recurrentibus recte intelligendis impediatur. Cum igitur ex una parte ſit circa ſenſibiliora ſaltem objecta ignorantiæ impatiens, atque inde innato ſciendi & judicandi ardore in ulteriora ſemper feratur; ex alia vero ob imperfectiſſimam intelligendi, qua pollet, virtutem, & circumſcriptos ſibi a Deo limites paullatim ſolummodo & ſingillatim objecta intelligere atque comprehendere poſſit; neceſſario fit, ut ipſa præcipitanter ab unis ad alia objecta dijudicanda pertranſiens, quin veritatem matura diſcuſſione perpendat, & ſedulo examinet, in mille prolabatur errores, quorum cauſſas poſtmodum indicabimus.

9. Mens deinceps in ſe ipſam veluti rediens, & eosdem paſſus nimium celeriter confectos per otium relegens, præjudicatas ſenten-

tentias ad lydium lapidem revocans, non ſatis miratur quot falſa admiſerit, quoties in errorem fuerit lapſa, & quot diſtorta de innumeris pene rebus judicia, tamquam veritates poſuerit.

Rem non male concipies, ſi humanam mentem in ſe ipſa ſpectatam, & in intelligibilium rerum theatrum introductam perinde conſideres atque tenellum, inexpertumque puerum, qui in tenera illa ætate omnia videndi, ſciendi & experiundi ardenter avidus, dum nihil non tentat, miratur, periclitatur, in mille præcipitia ſeſe exponit, innumeros errores imbibit, nihil fere recte apprehendit, poſtea tamen cadentibus annis, longo uſu, experientia, ſuiſmet periculis, atque aliorum inſtructione edoctus, primævas ideas & errores a pueritia hauſtos paullatim corrigit, quid in vitæ decurſu, & humana ſocietate agendum, quid evitandum, agnoſcit, priorum errorum cauſſas & originem inquirit, invenit; hæc vero inquirendo in certas incidit regulas, quibus & errores caveat & veritates aſſequatur, ſuomet periculo atque erroribus tandem edoctus, & in judicando, & rebus agendis cautus.

10. Simili fere ratione mens humana, vix rationis lumen clareſcere incipit, hoc eſt, in primoribus infantiæ crepuſculis ab innumeris objectis, quæ integrum hoc univerſum componunt, circumdata, illorumque ideis ope ſenſuum acquiſitis aut etiam ex propriomet fundo eductis excitata, & mirum in modum omni ex parte commota de objectis ipſis judicium elicit, prout & ſenſus & ideæ & objecta ipſa ſeſe offerunt: abſque prævio examine ſententiam

tiam amplectitur; ab aliis ad alia præcipiti paſſu prætervolat; ſenſu maxime, delectatione, præjudiciis movetur, in apparentiis hæret, iiſque fidem ſuam adhibet, latentis periculi atque erroris nihil omnino diffidens, credit, judicat, firmam ſententiam profert, quin credendi, aut judicandi rationem perpendat: in externis objectis, quæ ſenſus & animam ſuavius & potentius movent atque alliciunt, tota eſt, & curam omnem & tempus in iis conſiderandis, ſeu potius videndis & perfruendis impendit: de internis interim rerum ideis parum aut nihil omnino ſollicita, neque illarum diſcrimina, claritatem, obſcuritatem examinat, neque ortam inde infinitorum errorum cauſſam in ideis ipſis latentem diſquirit: cæco impetu omnia promiſcue judicantur. Omnia tamen hæc flectens atque matureſcens ætas, uſus, atque conſuetudo diuturna, longaque rerum ipſarum tractatio, quotidiani, atque multiplicis lapſus conſcientia corrigunt.

11. Cauſſa igitur Logicæ effectrix & inventrix eſt mens ipſa, atque ratio humana. Hæc ſcilicet in ſe ipſam tandem aliquando reflexa, tot errorum, lapſuum, fallaciarum, & dubitationum conſcia atque faſtidiens, ſerio tandem in ipſorum errorum cauſſas inquirit & animadvertit, eorum fontes ac originem rimatur; dubitare de quamplurimis rebus incipit, de quibus ne minimus quidem ſcrupulus in mentem antea inciderat. Dubitando igitur, inquirendo, indagando, priſtinas ideas atque conceptas opiniones ad lydium lapidem revocando, plurima invenit, de quibus nullo un-

quam

quam tempore, ne tum quidem, cum omnibus diffidit, dubitare potuerit, aut in iis falſitatem deprehendere: plura inſimul alia a ſe olim pro veris admiſſa, falſiſſima eſſe deprehendit: quod inter prima & ſecunda, eorumque ideas intercedat diſcrimen, perſcrutatur. Repertum inter certas, falſaſque, aut dubias ideas diſcrimen, v. g. idearum *claritatem* ſibi deinceps ſtatuit, tamquam propriam verarum propoſitionum *notam* & *characterem*, ſecundum quem de judiciorum certitudine, aut incertitudine pronunciandum ſibi deinceps ſtatuit.

12. Hujuſmodi idearum atque antiquarum opinionum examine inſtituto, quamplurimæ a mente ipſa inveniuntur regulæ, ſecundum quas certa ab incertis, vera a falſis diſtinguantur, errores, errorumque cauſſæ detegantur: recta inſuper ideas diſponendi methodus ad veritatem reperiendam, & felicem in ſcientiis ipſis progreſſum invenitur. Inventas hoc pacto regulas tamquam ſacras leges ſibi ſtatuit ratio, quas ſibi & aliis proponat, quibus mens humana tamquam Ariadnæ filo, in intricatiſſimo naturalium ſcientiarum, ceterarumque artium labirinto citra periculum dirigatur, & ad optatum finem manuducatur.

13. Logicæ objectum, ut diximus, latiſſime patet, omniaque, de quibus ferendum nobis eſt judicium, complectitur. Cum enim logicæ ſit mentem ubique dirigere, quaſcumque noſtras ideas, vel acquiſitæ illæ ſint, vel potius innatæ, examinare, diſtingere, latentes in iis errorum cauſſas detegere & vitare, judicia ad veritatis & criterii normam perpendere, nobiſque ipſis, quando dubitandum, quan-

do

do probabiliter, quando etiam certo ſit judicandum, præſcribere, ne ultra aut citra veritatis & prudentiæ fines transgrediamur; luce clarius eſt, per omnes ſcientias & artes humanæ logicæ uſum, atque regulas extendi, & omnia ſub illius objectum & intra illius fines cadere.

14. Eſt igitur idem omnino & logicæ, & omnium aliarum ſcientiarum objectum? Perperam id ex modo dictis deduceremus: cuilibet peculiari ſcientiæ & arti peculiare etiam objectum, aut objecti tractandi rationem reſpondere, certum omnino eſt; ſed utrum hujuſmodi ſcientia, dum objectum ſuum tractat, recta methodo procedat, certa ab incertis diſtinguat, opiniones & ſententias ſuas ad veritatis & criticæ regulas examinet, non id ſcientiæ, ſed logicæ munus erit. Exemplo res fiet evidens: Corpus Phyſicum, eiuſque natura, phænomena, cauſſa, & effectus ad Phyſicam, non ad Logicam ſpectant: ea omnia late verſat Phyſicus, experimenta inſtituit, & refert, ex iis theoremata & naturæ leges deducit, peculiares ſententias probat, naturam ſibi fingit aut explicat, phænomena tandem, & naturales effectus exponit: nihil hæc omnia ad Logicam: Phyſicum tamen ipſum in iis omnibus dirigere, illum monere, ut experimenta caute & ſagaciſſime inſtituat, ſinceriſſime referat; ut huic ſententiæ diffidat; de illa dubitet, aliam ſtatuat certam, clarius tamen & brevius demonſtret; alia prius proponat, alia in ultimum rejiciat, omniaque tandem juxta rationis & criticæ regulas æqua lance examinet, id, inquam, totum logicæ muneris eſt.

15. Quod

15. Quod de phyſica dico, de ceteris pari jure eſt intelligendum. Dum hiſtoriam legis aut conſcribis, nihil tibi legenti aut ſcribenti cum logico commune eſſe exiſtimas: recte quidem, dum nihil aliud agis, quam ut antiqua monumenta vel memoriæ mandes, vel poſteris legenda chartæ committas: ſed qua tamen fide accipienda ſint quæ legis, aut ſcribis; quanta debeatur autographis ſcriptis auctoritas; quantum ſtudia partium veritatem obnubilent, ſcribentis mores, fides, rationes, ſtudia, ætas illi officiant, aut juvent, id vero eſt, quod logica noſtra docebit.

16. Logica igitur Scientiarum & Artium objecta proprie & directe non attingit; omnes tamen ea ratione comprehendit, quatenus mentem de ſingulis agentem recta ſemper dirigit, errandi pericula indigitat, & ad veritatem tamquam ad præfixum ſibi ſcopum ſemper contendere, & collineare docet. Et hinc Logicam recte *Verulamius Scientiarum Organum* nuncupavit, quod ejus ope, & ductu mens humana in ſcientiis omnibus dirigatur. Hinc etiam patet, aliis longe limitibus logicam a nobis circumſcribi, quam in ſcholis fieri mos hactenus fuerit. Alium enim ſcopum in logicis conſcribendis Scholaſticos Philoſophos ſibi non propoſuiſſe ex eorum ſcriptis conſtat, quam ut mentem ad recte diſputandum inſtruerent, argumentorum fallacias ſeu ſophiſmatum fontes aperirent; & hinc formam ſyllogiſticam fuſiſſime tractabant. Ad probandam & exponendam veritatem hæc quidem tendunt; ſed cùm nimis jejune & arida terminorum farragine theoreticis, ſeu abſtractis tantummodo ſcientiis

in ſchola adhiberentur, aliaque ex parte nihil de methodo & arte critica docerent; fieri inde opus erat, ut communis logica anguſtis nimium finibus circumſcriberetur, in practicis rebus, in vitæ, ſocietatiſque commercio paſſim occurrentibus locum non haberet, neque humanam rationem per omnia manuduceret, atque ab erroribus ubique liberaret. Nos ex adverſo illud logicæ noſtræ objectum tribuimus, quod non tantum intra anguſtos ſcholarum parietes hoſpitetur, & individuus comes abſtractis ſcientiis ancilletur; verum amœniora etiam comprehendat.

17. Logicæ finis eſt veritatem detegere, mentem ubique ab erroribus liberare, ubique dirigere, & ad veritatem ſemper collineare: eas idcirco regulas tradit, quibus humana ratio, quodcumque ſibi proponat objectum, ſcientiam, artem, aut familiarem diſcurſum, dubitare, & aſſenſum cohibere, opinari, credere, firmiter adhærere ediſcat; qua in parte ſit dubitandum, qua aſſenſus firmitudine adhærendum, quid majori, quid minori, quid humana, aut divina fide credendum ſecundum cauſſæ merita oporteat.

18. Liquet igitur, quod a principio diximus, logicæ cauſſam, & veluti artificem, atque architectum eſſe humanam rationem; liceat etiam addere, naturalem ſciendi pruritum humanis mentibus innatum, veritatem detegendi ardorem, & errores etiam ipſos logicæ Artis occaſionem extitiſſe: atque hac etiam in parte, ſicut in plurimis aliis, locum vetus illud effatum, *Rectum ab errore, tenuiſſe*. Mens ſcilicet humana veritatis amantiſſima, tot erro-

rorum, in quos paſſim labitur, ſibi bene conſcia, & triſti experimento edocta, importuno & quotidiano malo remedium tandem aliquando inventura, in illius cauſſas ſerio & ſedulo inquiſivit. Examine ſcrupuloſe inſtituto, ſeque ipſam atque reconditiores humani intellectus & voluntatis receſſus aperiens, & inſueta analyſi diſſecans, præcipuas mali cauſſas, hoc eſt, errorum fontes detexit: notæ & domeſticæ ægritudini in ipſomet fonte, & origine, quantum per humanam imbecillitatem licuit, remedium applicuit, quatenus noſtrorum judiciorum præcipitantiam coercuit, & indicata jam medicamina ſibi præſcripſit. Quoniam tamen præſens ſemper mali radix perfecte medicari, & eradicari, quoad vivimus, non poteſt, identidem repullulat, &, niſi ſollicita ſemper manu amputetur, timendum eſſet, ne prima contagio, ut prius, ſerperet, & omnia noſtra judicia labefactaret; eas inſuper præſcripſit regulas, ad quas identidem reſpiciens & in quotidianum uſum adhibens, repullulantem illam errorum originem ſemper amputaret, frondeſcere, & luxuriari non permitteret.

Liquet tandem, Logicæ objectum eſſe, mentem de quibuſcumque objectis cogitantem, aut ſententiam ferentem dirigere, ſeu omnia illa, quæ cogitamus, credimus, judicamus, loquimur, hoc eſt, mentem per omnia recte ducere. Finis tandem in evitandis erroribus, & veritate aſſequenda conſiſtit.

§. III.

§. III.

Logicæ Ortus.

19. Logicam in Artis formam redactam, & quamplurimis regulis, atque præceptis comprehenſam, qualem modo in veterum aut in recentiorum ſcriptis habemus, poſt bene multa ſæcula a mundi & hominum creatione, humana ratio adornavit: prima illius rudimenta & præcipua capita, atque fundamenta primis hominibus fuiſſe nota, ab iis tradita & in uſu recepta, poſtea vero longo ſæculorum fluxu meliorem ſemper & perfectiorem formam atque methodum fuiſſe adeptam, facile mihi perſuadeo. Tria, inquam, hæc ex ipſamet mentis humanæ indole & naturali hominum conditione, atque humanarum rerum, inventionum, & artium nonniſi gradatim ad perfectionem matureſcentium deduco. Neque igitur in eorum ſententiam deſcendo, qui logicam, ſicut & plurimas alias artes in perfectionem adductas, Adamo, primiſque aliis hominum parentibus poſt Adamum referunt; neque logicæ ipſius cunas & natalia tempora in poſteriores ætates citra primorum hominum, veritatis, & humanæ mentis injuriam differre poſſumus; quaſi ſcilicet Adami & totius humani generis ante diluvium animæ ſylveſcerent & perpetuo ineptirent, ſeu minore, quam modo habent, ingenii perſpicacia pollerent, veritatem non amarent, leges non conderent, & alia ex aliis inferre neſcirent.

20. Rem ego ita concipio: Humana ratio

tio indole & genio ſuo in veritatem, & ignotum ſemper contendit, & ardentiſſime adnititur: ex quo homines in mundo eſſe cœperunt, partim ſuimet ingenii indole, partim etiam humanarum rationum, vitæ, ſocietatis, neceſſitudinum aculeis excitati, id in primis cordi habuere, ut in iis, quæ meditabantur aut aggrediebantur, optatum attingerent ſcopum, veritatem aſſequerentur, atque vel aliorum dolos, vel proprios mentis lapſus vitarent. Sæpe fieri opus erat, ut dum inexperti opinabantur, diſcurrebant, aliorum fidei credebant, & res ſuas quiſque proſequebatur, multoties, ut modo etiam fit, & laberentur, & lapſus ſuos poſtea animadverterent: & hinc ipſo rationis lumine duce & magiſtro, de recto ſuæmet rationis uſu ſolliciti, errorum cauſſas aliquantiſper ſaltem meditati, qua tuto eundum ſit citra illuſionis periculum, ſedulo quæſierunt.

21. Hæc proprio ingenio, reflexione & natùra ipſa deteguntur, cum illa ſedulo meditamur; ut unuſquiſque noſtrum in ſe ipſo animadvertere poteſt. Eſſet enimvero miraculo ſimile, ſi tot hominum milliones, ingenio, ut ii qui modo vivimus, & vivacitate præditi, longiſſimo novem, octo, ſeptem ſæculorum ſpatio, quibus eorum vita extendebatur, res ſuas agentes, cogitantes, loquentes, & omnia humanæ ſocietatis munia obeuntes, ſimplices illas regulas, & in ipſo rerum fundo minime latentes non obſervarent, aut caſu etiam inciderent, quibus humana ipſa ratio errores, & illuſiones caveret, & recta ad veritatem duceretur. Hæc vero ſunt atque conſtituunt ipſiſſimum logicæ fundum. Neque enim logica eſt,

ut jam dixi, otiantis animæ aut puræ contemplationis opus, atque inventio; ſed ſunt potius regulæ, quas ratio ipſa longo uſu edocta, errorribus cauta, rerum ipſarum obſervatione, atque reflexione ex ſuomet fundo paullatim collegit, & in formam redegit. Hac eadem ratione ſi naturam conſulamus, immo & *Tullium* ceteroſque audiamus, nata eſt Eloquentia, Poeſis, & aliæ artes, quarum omnium fundus, cauſſa, exemplar, & archetipus ſunt ipſa natura.

22. Ea tamen tempeſtate, hoc eſt, a prima mundi origine uſque ad diluvium, & per aliquot etiam poſt diluvium ſæcula inventæ adhuc non erant litteræ, quod ſciamus, neque ſcriptura, mirabilis ſcilicet illa ars, qua noſtraſmet voces, ideas, cogitata & affectus chartæ committimus, abſentibus communicamus, & ultimæ poſteritati tranſmittimus. Nulla ex remotiſſima illa temporum antiquitate nobis ſuperſunt probabilia argumenta, quibus primorum hominum litteræ, & ſcripturæ probabilem a nobis fidem extorqueant. Antiquus ſane ille *Enochi liber*, quem naſcentis Eccleſiæ temporibus quamplurimi Patrum *Enocho* Adami filio adjudicabant, aut potius utcumque adjudicatum citabant, quin de illius auctore quæſtionem moverent, ille, inquam, liber communi jam omnium ſuffragio ſuppoſititium eſſe demonſtratur. Illud tantummodo verum crediderim, a primis illis temporibus Hyeroglificorum artem fuiſſe inventam, quæ ipſa quidem erat prima ſcribendi adumbratio. Hominibus igitur neque ſenſa ſua ſcribentibus, ut ab temporis injuriis tuta ſervarentur, neque alio ſpe-

ctantibus niſi ad communem hominum ſocietatem & peculiaria commoda, primœvæ illius vivendi ſimplicitatis propria, parumque alias de promovendis perficiendiſque artibus ſollicitis, conſequens inde illud erat, ut integra illorum hominum, & temporum logica (ſicut & reliquæ artes liberales) ſimplicioribus tantum & pauciſſimis regulis circumſcriberetur, quæ ex ipſo rationis fundo modica reflexione adhibita ſponte ſua profluebant.

23. Cum ſcriptura tandem fuit inventa, & ceteræ etiam artes, quæ mentis potiſſimum contentione indigent, coli, & in pretio haberi cœperunt; cum rebuſpublicis, regnis, & imperiis jam conſtitutis, ex rerum abundantia, otio, æmulatione, gloriæ & exiſtimationis amore, rerumque ſciendarum pruritu clarioris ingenii homines aliis prælucere, naturam ſcrutari, ſeipſos, corpus nimirum & animam humanam conſiderare, mundi initium, auctorem Deum, religionem naturalem acriter inveſtigare cœperunt, & ſenſa quiſque ſua ſcribendo exponere; tum enimvero perſcrutando, diſcurrendo, diſputando, adverſarios illaqueando, & a laqueis ſeſe expediendo, quamplurimæ inventæ, animadverſæ, & ſcriptæ ſunt regulæ, quarum ductu mens humana cum in diſputationibus, tum etiam in ſcientiarum, & artium ſtudio dirigeretur. Hanc igitur logicæ in meliorem formam reductionem, quam primum forſitan illius epocham dicere poſſumus, in tempora illa referimus, quibus Græcia philoſophiam & ceteras artes colere cœpit. Auctor ego eſſe non auſim, ceteras nationes, Ægyptios, Phœnices, Chaldæos, a quibus Græci originem &

artes accepere, illa fere omnia logicæ præcepta non agnoviſſe, quæ Græci poſtmodum ipſi invenerunt, aut illuſtrarunt; ſed cum nos ab antiquiſſimis illis gentibus tribus fere annorum millibus, & magna locorum etiam diſtantia diſſiti vivamus; vix aliquod monumentum e tanta rerum caligine ad nos pervenit, cui innixi contrarium ſtabiliamus.

§. IV.

Logicæ in Artis formam reductio, atque ad noſtra fere uſquè tempora progreſſus.

24. Logicam ii Græci philoſophi omnium primi informare cœperunt, qui philoſophiam omnium etiam primi publice profeſſi ſunt, & ſcholam aperuere. Quo enim pacto homines docti, aut ſaltem doctrinæ ſtudioſiſſimi, & ingenio præditi ediſcere, docere, diſputare, refellere, argumenta diluere, & ipſi per ſeſe poſſent, & ad diluendum alios etiam inſtruerent, quin primum regulas, methodumque aliquam excogitaſſent, ſibique ſtatuiſſent, qua & rectam ipſi ad veritatem detegendam viam invenirent, & inventam ſemper tenerent? Id, inquam, ne concipi quidem poteſt inter homines, ut erant Græci, & veritatis atque gloriæ amantiſſimos, & diſputandi vel intra domeſticos propriæ ſcholæ parietes, vel cum aliis aliarum ſectarum philoſophis avidiſſimos. Quod ſi de aliquibus illorum philoſophorum ſectis dicitur, Phyſicam, aut Æthicam eos coluiſſe, in eamque animos & operam navaſſe; non id perinde intelligo, quaſi logica ab iis ſcholis fuiſſet omnino præter-

termiſſa; ſed eos, quin multum de tractanda atque promovenda logica eſſent ſolliciti, in alias præcipue philoſophiæ partes incubuiſſe.

25. Communis tamen cum veterum tum recentiorum conſenſus primum inventæ Dialecticæ, ſeu informatæ Logicæ gloriam Eleatenſi Scholæ tribuit. Quin immo *Zeno* Eleates, præclarus ejus ſectæ philoſophus, Dialecticæ inventor, *Laertio* referente,(*a*) exiſtimatur; adeo ſcilicet in ejuſmodi ſtudium operam navavit, illudque novis acceſſionibus factis, novaque methodo, & luce illuſtravit, ut tum primo non ignota alias ceteris philoſophis logica, novæ artis ritu, & forma in publicam lucem prodiret. *Democritus* etiam ejusdem ſcholæ, & perſpicaciſſimi ingenii, atque improbi laboris philoſophus, qui geometricarum demoſtrationum formæ, aut methodi inventor, ut ipſe gloriabatur, aut primus informator audiebat, ſtudium etiam ſuum in adumbranda, promovendaque logica poſuit. Quidquid tamen Eleaticæ Scholæ philoſophi in perficienda logica deſudaverint, eorum proculdubio labori fructus non reſpondit, aut quod aliud præter diſputationis ſubtilitatem non quærerent, aut communi potius omnium artium, atque humanarum inventionum natura, quæ paullatim ſolummodo ad perfectionem, & maturitatem perveniunt.

26. *Socrate* & illius diſcipulo *Platone*, duobus illis Græciæ & Philoſophiæ luminibus, ſcientiarum profeſſionem, atque docendi munus agreſſis, logica ſatis antea rudis, informis, & regu-

(*a*) Laert. de vita Philoſ. lib. 9.

regularum jejuna, ut erant illi ad inveſtigandum perſpicaces, ad doctrinam exponendam, & tradendam maturi, longius multo fuit promota, & in meliorem formam redacta. Platonis libros evolventi, aut philoſophicam hiſtoriam vel leviter oculis tranſcurrenti dubitare minime licet, quinque ſaltem iſta, & præcipua quidem, atque fundamentalia logicæ capita Platonem tenuiſſe atque explicaſſe: primo, terminos clare definire, atque quæſtionis, de qua agendum erat, ſtatum determinare: ſecundo, quæſtionem ipſam in ſuas partes accurate dividere: tertio, inductionem inſtituere, atque ad argumentandum adhibere: quarto, dubitare, & quæ dubia ſunt tamquam dubia proponere: quinto, certa ab incertis, clara ab obſcuris, evidentia a non evidentibus diſtinguere.

27. Jam vero quanti momenti in logica ſint relata hæc quinque capita, *definire* ſcilicet, *dividere*, *enumerare*, *dubitare*, *diſtinguere*, nemo rationis lumine præditus, & in hiſce ſtudiis non peregrinus non videt. Porro *dubitare*, certa ab incertis *diſtinguere*, mentis ideas in ſuas claſſes accurate ſecernere, ſingulisque earum ſpeciebus illam præſtare fidem, quam vel ipſa idearum indoles, vel argumenta merentur, id vero eſt totum artis criticæ fundamentum & principium ſciendi: tria vero alia non ſolum ad methodum, verum etiam ad recte argumentandum viam ſternunt, & mentem dirigunt: omnia demum ad veritatem ubique detegendam, quod eſt præfixus logicæ ſcopus, collineant, atque mentem noſtram manuducunt.

28. *Ariſtoteles* inter Platonis auditores inge-

ingenio præ ceteris clarior, ſcholam & ipſe inſtituturus, cum de omnibus philoſophiæ partibus diſſerere & agere decreviſſet, logicæ regulas a magiſtro in Academia acceptas in lycæum tranſtulit: alia etiam collegit, quæ ceteri philoſophi ante illius tempora explicaverant, aut invenerant: omnia illa in unum corpus collecta in meliorem artis formam redegit, dilucide expoſuit, novis acceſſionibus exornavit & amplificavit. Unde tum primo dialecticæ præcepta, & multiplices canones, plurimorum philoſophorum opus, atque in eorum libris ſcholiſque tradita in artis formam digeſta in lucem prodiere. Si verum eſt, quod paſſim ſcriptum legimus, *Ariſtotelem* ſcilicet 123. libros de logica edidiſſe (*a*); major Ariſtotelis logicæ pars temporum injuria periit. Utcumque ea res fuerit, Græcanici Philoſophi ſophiſticis ſtudiis, & adverſariis irretiendis plus nimio per id temporis indulgebant: in ſophiſmatum ſane fontibus aperiendis, iis ſolvendis, vitandis, & in arte ſyllogiſtica tradenda totus eſt Ariſtoteles. Quare illius logica ad bene ſolummodo in ſchola diſputandum tendit, atque collineat: ad res, quas novimus, aliis explicandum, non ad verum inveniendum, aut mentem dirigendam inſervit: innumera proinde ſunt quæ in illa deſiderantur: quæ tradit ariditatem quamdam ſapiunt, & extra ſcholæ parietes vix ad amœniores artes, & ſcientias, atque ad innumera illa, quæ in civilem, & communem hominum ſocietatem, commercium, & converſatio-

tio-

(*a*) Franciſcus Patritius, Voſſius log. cap. 10.

tionem cadunt, applicari poſſunt. Nihil affirmo, quod periculo meo, patientia, & ſtudio non probaverim, cum plus nimio huic logicæ ediſcendæ aliquando magna animi contentione operam impenderim.

29. De Stoicis atque *Epicuri* Sectatoribus diverſa ſunt & criticorum, & philoſophorum, quod ad logicam attinet, judicia. Sunt qui Stoicorum logicam in cælum efferant, eamque ab ejus ſcholæ philoſophis, *Zenone* potiſſimum, & *Chryſippo*, magnopere fuiſſe excultam atque promotam prædicant, nullamque aliam fuiſſe ſcholam, quæ ardentius quam Stoici, logicam colerent. Sunt etiam qui contraria omnia ſentiant, & Stoicorum logicam (quam ab iis pro virili parte tractari non inficiantur) vix dignam fuiſſe, quæ ab aliis legeretur, exiſtimant. Id ſane ex Cicerone, Plutarcho, Laertio ediſcimus, hæc ſtudia apud Stoicos magno in pretio habita magnopere floruiſſe; neque Ciceronem, Senecam, & alios Stoicos legenti dubitare fas eſt, ſinceram logicam, ut illa ferebant tempora, apud Stoicos doceri. Utrum vero recta procederent methodo, & ejuſmodi artem præ ceteris magis perfecerint, affirmare non auſim.

30. Quod *Epicurum*, & ejus diſcipulos attinet, nullus fortaſſe veterum philoſophorum atque ſectarum humanius, & amœnius hanc etiam philoſophiæ partem tractabat; non quod ille, ejuſque poſtea diſcipuli aut præ ceteris philoſophis logicam colerent, aut logicæ, atque phyſicæ promovendæ æque incumberent; ſed quia inutiles ſubtilitates, atque ſophiſtica bene multa, quœ ab aliis fuſe tractabantur,

Epi-

Epicurus miſſa faciebat, ſuamque logicam ab iis ſcholæ tricis liberatam, ad pauca capita redactam ita proponebat, ut non ſolum intra ſcholæ parietes, verum etiam quotidiano hominum commercio adhiberi poſſet. Ex Diogene Laertio (*a*) qui brevem Epicuri logicæ ſynopſim refert, & ex Gaſſendo (*b*) qui eamdem ſynopſim illuſtravit, ediſcimus, Epicurum tria poſuiſſe veritatis rerum criteria pro diverſa earumdem rerum natura, aut relatione ad animam noſtram: objecta quæcumque, inquiebat, de quibus agere utcumque poſſumus, vel ad puram contemplationem ſpectant, vel ad actionem; hoc eſt, ut ego intelligo, vel ſunt puræ meditationis objectum, vel ad uſum adhibentur: rurſus vel ad perceptionem vel ad voluntatem referuntur: quoniam igitur omnia vel ſenſu vel mente vel voluntate attinguntur; tria hæc illi erant veritatis judices, *Mens*, *Senſus*, *Voluntas*; veritatis vero criteria & quaſi notæ erant *Senſio clara*, *Perceptio diſtincta*, & *Affectio*. Circa ſingula hæc criteria ſuas propoſuit regulas: harum aliquæ ſunt falſæ; aliæ autem, etſi veræ, ſunt nimium generales, neque mentem ſatis inſtruunt.

31. Cum poſt Græcos Romani, qui ab illis artes accepere, græcam logicam parvi facerent, neque ulterius promoverent; aliæ vero Gentes, in quarum prædam Romanum Imperium ceſſit, & Græcorum & Romanorum ſcientias,

(*a*) l. 10. v. 30.
(*b*) De origine & variet. log. cap. 7.

tias, artes, & culturam peſſundarent; factum inde fuit, quod jam alibi in philoſophicæ hiſtoriæ ſynopſi retulimus, ut non modo antiquorum philoſophorum logicæ nulla fieret acceſſio, verum etiam ut ne ipſa quidem veterum Græcorum, præcipue vero Academiæ, & Stoicorum dogmata atque regulæ ad nos pervenirent integræ. Præterea una Ariſtotelis logica aliquo habebatur in pretio non ſolum inter Arabes; verum etiam inter cultiores Europæ nationes; vel quod hæc præ omnibus Græcorum Dialecticis præferri merito deberet, ut communis fert opinio, vel quod aliis omnibus temporum injuria in totum aut majorem partem amiſſis, una hæc ad poſteros tranſmitteretur ſuperſtes.

32. Supervacaneum utique eſſet cauſſas hic iterum texere, ob quas per duo fere annorum millia neque logica; neque quamplurimæ aliæ artes & ſcientiæ a diuturno pulvere, quo ſordeſcebant, excuterentur, atque doctiorum manuum experirentur beneficium; id enim & citato in loco indicavimus, & a nemine fere ignoratur, qui humanarum rerum viciſſitudinem, atque ſeriem, quæ in noſtra Europa, magnaque Aſiæ parte diuturno illo ſæculorum intervallo acciderunt, aliquando legerit.

33. Logica Peripatetica, ut jam alibi diximus, verum & integrum logicæ objectum non complectitur: ſubtilitatibus in communem hominum ſocietatem, & commercium nunquam incidentibus nimium indulget, & idioma quoddam conſtituit ſcholarum proprium, & quod extra Academiarum parietes neque intelligitur, neque uſui eſſe poteſt; dum interim

com-

communis noſtra loquendi, judicandi, orandique ratio vix ad ſcholæ logicam reduci poteſt.

§. V.

Logicæ Reformatio & nova Epoca.

34. Dum ſola Ariſtotelis logica in ſcholis pacifice regnabat, aliqui interdum litterati homines, critices, & libertatis amantes, Peripateticam hujuſmodi Dialecticam carpebant, & quaſi ſophiſticam, ſpinoſam, ad ſcientias, & communem hominum vitam inutilem, mentem potius obſcurantem, quam illuminantem exſibilabant. Platonem aliqui in Ariſtotelis locum ſuggerebant; alii etiam nova methodo rem eſſe tentandam exiſtimabant, immo operi manus adibuere. In hiſce poſtremis numerandus eſt *Petrus Ramus*, qui Ariſtoteli & Scholaſticis infenſiſſimus, malis avibus rem aggreſſus in lapidem impegit, atque oleum & operam perdidit. Quamdiu ſola in Ariſtotelem declamatione res agebatur, omnia ex voto eveniebant, & non ſine plauſu excipiebatur Ramus: cum novam aggredi logicam opus fuit, tum enimvero mutata omnino rerum facie veterum omnium irriſor ab omnibus pariter irriſus recentiorum fabula extitit.

Felicioribus auſpiciis rem aggreſſi ſunt elapſo proxime ſæculo duo inſtauratarum artium lumina *Bacon de Verulamio* Anglus, & *Renatus des Cartes* Gallus, uterque & ſanguinis nobilitate, & ingenio, eruditione, ſcientiarum amore illuſtres: utrique etiam ea erat mentis & in-

ingenii virtus atque opes, ea animi indoles, ut non tantum in quibus veterum ac Scholaſticorum logica, & methodus peccarent, quidque in iis deſideraretur, agnoſcerent; verum etiam eorum errores corrigere, novamque viam aperire poſſent, hoc eſt, novam ipſi logicæ inſtituendæ methodum ex proprio penu producere valerent. In eo res vertebatur, ut logica inveniretur, quæ non ſolum intra ſcholæ parietes ad diſputandum, & aridas utplurimum ſcientiarum ſubtilitates exponendum apta eſſet, ſed ad omnes æque alias res in hominum commercium & ſocietatem quotidie incidentes applicari, mentemque per omnia citra erroris periculum ad detegendam ubique veritatem dirigere poſſet: uno verbo, ea quærebatur logica, quæ non propria eſſet Scholaſticorum privatis in concertationibus dialectus, ſed omnibus hominibus ratione utentibus, cujuſcumque ætatis, aut ſtatus eſſent, inſerviret.

35. Quid vero, ut propoſitum ſibi ſcopum attingerent, Verulamius, & Carteſius effecerint, non melius quam ex eorum ſcriptis ediſci poteſt. Primus in *Organo ſcientiarum* (ita enim logicam ſuam nuncupavit) quamplurima profunde meditata, & magni facienda proponit: illius, ut dixi, ſcopus eſt ut logicam reddat utilem atque amœnam, omnium, præcipue vero naturalium ſcientiarum & artium perfectricem. Ad propoſitum ſibi hunc finem contendere, atque pervenire oportere docet dubitatione, idearum noſtrarum examine, atque inductione. Hæc autem omnia fuſe & docte proſequitur *Bacon* in citato opere, quod vulgatiſſimum cum ſit, & ab omnibus commende-

detur, vix tamen ab aliquibus legitur. Syllogiſmum tamquam medium minus aptum ad diſcendum rejicit.

Des Cartes (de quo fuſius in hiſtoriæ philoſophicæ compendio) magno artium & ſcientiarum beneficio natus peculiarem etiam edidit tractatum, quem *De Methodo utendi ratione, & veritatem in ſcientiis inveſtigandi* inſcripſit, in quo ſuam ille nobis explicat logicam, ſeu regulas, quibus & ipſe & omnes alii homines rationem dirigere & veritatem inveſtigare debent. Primum hoc fuit auctoris opus, in quod olim inciderim. In tractatu mole parvo methodum & rationes dubitandi, ideas diſtinguendi, examinandi, atque ex earum examine, indole, & claritate veritatem expiſcandi, plurimaque alia homine digna invenias. Scholaſticam logicam tamquam inutilem, terminorum farragine impeditam atque confuſam, omni arte critica deſtitutam rejicit, in ejuſque locum propoſitam a ſe methodum ſubrogat.

37. Poſt Baconem & Carteſium Petrus etiam Gaſſendus non ſolum alias veterum philoſophiæ partes, phyſicam & moralem repurgavit, traduxit atque illuſtravit; verum ipſam etiam Epicuri logicam, ſeu potius logicæ ſpecimen & ſynopſim commentatus eſt, atque concinnam præterea logicæ hiſtoriam, & tandem novam ipſe logicam conſcripſit, quæ notiſſima eſt, & non parum hujuſce artis ſtudium illuſtravit, atque promovit.

38. Tribus jam laudatis ſcriptoribus adjungi merito debet *Joannes Locke* Anglus, vir profundiſſimæ meditationis in rebus ad logicam, ſeu potius metaphyſicam, & intellectum hu-

humanum ſpectantibus. Quamplurima in ejus opere de hujuſmodi argumento compoſito, atque *De l'Entendement humain* gallica verſione inſcripto leges optime, ingenii, meditationis, & criterii fructus. Quod ſi aliqua etiam probare non poſſis, ea fere eſt omnium humanarum rerum conditio.

39. Una cum Lockio commendandus etiam venit *Nicolaus Malebranche*, qui in opere, quod inſcribitur *Recherche de la verité* in ſex libros diviſo mentis humanæ ſemitas & occultiſſimos calles, atque prærupta, quibus vel in errores præcipitatur, vel in veritatem recta contendit, eamque tandem aſſequitur, diligentiſſime rimatur, & analyſim fere perſequitur. Plurima illi vitio vertuntur, quæ communiter ab omnibus exploduntur: hujuſmodi ſunt, *nihil ope ſenſuum certum nos habere*; *omnia nos in Deo videre, & cognoſcere ratione unionis, qua juxta auctoris mentem cum Deo uniti vivimus*; *omnes noſtros motus & cogitationes a Deo, tamquam ab immediata cauſſa, provenire.* Horum primum eſt *Scepticiſmum* in medium proferre, & amplecti: ſecundum *Fanatiſmo* favet: tertium humanam libertatem tollere videtur.

40. Quos hactenus laudavimus logicæ inſtauratores, tironibus non ita proponimus, ut iis indiſcriminatim tamquam viæ ducibus ab ipſo logicæ ingreſſu utantur: provectiorem enim ætatem, & maturius ingenium laudata prædictorum ſcriptorum opera requirunt, præcipue vero *Bacon*, *Lockius*, *Malebranche*; Diſſertatio Carteſiana *de methodo*, quæ erat hominis in rebus etiam aridis proponendis amœnitas, & profunditas, ut neque tironibus difficiles, ne-

que

que maturioribus ingeniis obviæ & pueriles viderentur, ab omnibus non ſine fructu legi poteſt. In iis præterea omnibus plurima ad logicum recte informandum deſiderantur, & metaphyſica æque ac logica dici poſſunt opera.

41. A Carteſio & Gaſſendo ad noſtra uſque tempora quamplurimi logicam ab antiquis fæcibus repurgatam, ad novam, melioremque methodum redactam, atque ad tironum captum accommodatam conſcripſere. Omnes recenſere ſupervacaneum eſſet. Quas lectori in primis commendandas exiſtimem, & quibus præter jam citatas potiſſimum uſus ſuerim, ſunt *Ars Cogitandi*, *Le Clerc*, Logica, & Critica; *VVolfius*, *Mariotte* Eſſai de logique, *Regnault*, *Genuenſis*, ut alios omittam.

42. Primam omnium tironi commendandam exiſtimo *Artem cogitandi* incerti auctoris, unius aut plurium opus: alii enim *Arnaudio*, alii *Nicolio*; ſunt qui Domino *Trogny*, ſunt qui pluribus e Portu Regio litteratis viris hujuſmodi opus vindicent (*a*). Utcumque res ſit, primus ille fuit, qui logicam ab inutili Scholaſticorum terminorum farragine purgavit, facili, amœna, & clara methodo omnium captui accommodatam propoſuit. Totus ubique eſt, ut rectam ſemper viam ad veritatem contendendi humanam rationem doceat; ſpinoſum hoc alioquin argumentum ſparſo ubique magno exemplo-

(*a*) Ce livre a etè composè par deux ou trois ſolitaires de Port Roial, & principalement par monſieur Nicole. Argens Phil. du bon Senſ. t. 2. p. 22. note.

plorum numero ex ſenſibilibus, atque amœnioribus diſciplinis deſumpto, ſtilo non ſtudioſe affectato, ſed fluenti ita jucundum atque amœnum efficit, ut vel nauſeantem lectorem (dummodo aliqua curioſitatis ſemina in ſe habeat) ad libri uſque calcem ſuaviter perducat. Quæ in arte cogitandi deſiderantur, quæ multa ſunt, facile ex aliis ſuppleri poſſunt.

43. *Chriſtiani Vuolfii Philoſophia Rationalis* ſeu logica lectori potius in hiſce ſtudiis docto, quam juveni logices tironi ſcripta eſſe videtur; opus quidem doctæ meditationis, & nitida plurimarum rerum explicatione commendandum: ſed vaſta voluminis moles avidum alias lectoris animum deterret; minutiſſima etiam, & quæ nullius momenti ſunt, fuſe proponit, & ſcrupuloſe definit: Geometricus præterea ſcribendi ſtilus maximo ſtudentium numero ingratus, & magna exemplorum ubertas ex ſublimioribus diſciplinis petita, & tironum captum aut eruditionem ſuperans doctum auctorem longius abduxit, & ut doctis, non docendis ſcriberet, effecit.

44. Antonius Genuenſis recentiſſimus eorum, quos legerim, logicæ ſcriptor opus ſuum *artem logico-criticam* inſcripſit, in quo hujuſce artis elementa tironibus ſeſe tradere profitetur: homo quidem eruditus, in Lockii, Malebranchii, & ceterorum melioris notæ logicorum operibus evolvendis, & meditandis verſatus, a popularibus ſuæ gentis præjudiciis liber quamplurima præcipue circa artem criticam præjudicia, errorumque fontes ceteros docte tradidit, ut anguſti elementorum fines ferebant: plurima vel omnino prætermiſit, vel leviſſime

ſime delibavit, quæ omnes ſcholæ philoſophi, & ii qui ad theologica ſtudia juxta uſitatiſſimam in Europa methodum incumbunt, omnino deſiderabunt, atque in arte cogitandi invenient; is enim tirones non ut accurate diſſerant, ſed ut recte ratiocinentur, & alios intelligant, inſtruere profitetur.

45. Alios etiam eſſe, qui in Artem logicam reformandam, promovendam, illuſtrandam ſymbolas, ſuas contulerunt quales in primis ſunt *Le Clerc*, *Rudigerus*, & alii, minime ignoro: me etiam non latet, a recentiſſimis aliis philoſophiæ ſcriptoribus logicam etiam juxta recentiorum methodum fuiſſe editam; ſed præterquam quod logicam bibliothecam ſcribendi provinciam mihi non aſſumpſi, aliquas nunquam legi, alias tironibus inculcare non auſim.

Siquis Ariſtotelis logicam conſulere etiam vellet, huic ego auctor eſſem, ut *Petrum da Fonſeca* nobilem Peripateticum, plurimarum rerum eruditione clarum aliis præferat: nullus enim Scholaſticorum meo ſaltem judicio majori ingenio, vel diligentia, aut accuratius e græco fonte logicam derivavit, aut propoſuit.

§. VI.

Artis logicæ Neceſſitas, Methodus, & Uſus.

46. Circa logicæ perinde atque circa eloquentiæ & Poeticæ artis neceſſitatem, ut ſcientiam comparemus, & mentem ab erroribus cuſtodiamus, varias eſſe cum philoſophorum, tum aliorum etiam hominum ſententias, paſ-

ſint comperies. In homines ſæpiſſime incidimus, alii inquiunt, in logicæ, eloquentiæ, poeticæ ſtudiis pene detritos, atque ingenio alioquin pollentes, qui tamen nullum ferre illarum artium ſtudiorumque fructum conſequantur: ſunt quorum cerebrum quaſi logicarum regularum promptuaria diceres, qui logicam, aut Ariſtotelem, Horatium, Phalereum de rethoricis aut poeticis agentes memoriæ integros mandarint, comprehenderint, retineant; quos tamen ſi audias, ſi ad earum artium uſum deſcendant, & logicos, oratores, poetas agere velint, vix riſum teneas, vel ſtomachum diſſimules. Contra vero plurimos novimus, qui ea naturali memoriæ, mentis, atque ingenii indole præditi ſunt, ut citra ullum logicarum regularum ſtudium rectam veritatis aſſequendæ viam ſemper inſiſtant, præjudicia agnoſcant, corrigant, deponant, & naturalem criticam a natura ipſa inſitam per omnia exerceant: quot etiam quotidie audimus, aut novimus, qui natura ipſa duce copioſe, diſerte, eloquenter de propoſito argumento loquantur, aut enthuſiaſmo œſtroque rapti poeticis coloribus res ipſas depingant, quin tamen eorum artium regulas noverint, aut limina ſalutarint?

47. Litem, credo, rectius non compones quam Horatiana illa ſententia in re ſimili circa poeticam artem pronuntiata;

Natura fieret laudabile carmen, an arte
Quæſitum eſt: ego nec ſtudium ſine divite vena,
Nec rude quid proſit video ingenium. Alterius ſic
Altera poſcit opem res, & conjurat amice (a).

In

(a) De Arte Poet. v. 408.

In re enim noſtra idem omnino pronuntiari poſſe exiſtimo: quibus natura & ingenium parum favet, ne illi quidem in latere lavando nimium ſint ſolliciti, & tempus inutiliter collocent: qui dives alioquin ingenium feriari nimium amant, & permittunt, quin ad ſeria ſtudia convertantur & colant, ii etiam logici, ſicut & oratoris, aut poetæ nomen, & honorem ab aliis poſſideri pacifice ferant & permittant, licet ipſi interdum quaſi per lucida rationis intervalla logicos etiam, rhetoricos, poetas recte agant. Artem porro & præcepta ſine ingenio, natura, atque diuturna regularum exercitatione parum omnino valere, luculentiſſimis experimentis in rebus fere omnibus obſervamus. Quod de re logica dico, non ita intelligas, quaſi homines mente & ingenio præditi, niſi logicam calleant, res ſuas prudenter agere, verum a falſo diſtinguere, veritatemque attingere neſciant; hæc enim omnia, quæ naturalis dialectica dici poſſunt, & artis logicæ fundamenta, naturalis ipſa ratio dictat: omnes etiam artis logicæ regulæ, atque præcepta a naturali illa Dialectica, & ratione cogitante reflectente, & ſemetipſam, ideaſque ſuas examinante originem ducunt, ut initio diximus. Sed aliud eſt naturalem hanc Dialecticam, ingenium, prudentiam, quæ in hominibus infinitos fere diverſitatis gradus habet, a natura accipere: aliud vero neceſſarias omnes illas regulas a naturali ratione inventas & probatas tenere, quibus humana mens recte ubique ad veritatem manuducatur, quin ad vitioſos itineris margines declinemus. Quare qui ingenio valent, ignorantiam dedignantur, ſcientias & artes amant, ut logicam, cum & ætas

& tempus ferunt, pro virili parte aggrediantur, auctor ſum, logicam, inquam, non vepribus horreſcentem, inutilibus barbariſque terminis implexam, ſed curioſam, amœnam, quæ mentem ubique illuminet, & citra faſtidium deducat.

48. Hujuſce naturæ fore velim, quam ſcribere ſum aggreſſus; eum ſane finem, & methodum mihi præfixi. Utrum rem acu tangam, cum ad operis calcem perveneris, tuum erit judicare. Poſt longam rerum meditationem eam mihi complectendam atque tenendam ubique methodum propoſui, quam humanæ mentis natura, & noſtrarum cognitionum ordo & naturalis ſeries indigitare videtur. Naturam ubique conſulo, & viæ ducem ſequi curavi. Quæ hujuſce rei gratia præſtiterim, habes in præfatione paullo ſuperius præmiſſa.

49. Quæ ſit logicam tractandi methodus ab aliis communiter uſurpata, ex ipſiſmet logicis perſpici facile poteſt: ſi rem ipſam conſideremus, ideas primo recentiores, terminos Scholaſtici explicant, hoc eſt, ſimpliciora illa ſigna proponunt, quibus anima noſtra aut ſibi ipſi cognoſcendo, aut aliis verba proferendo loquitur: a ſimplicioribus hiſce ideis & vocibus ad magis compoſita gradum faciunt, ab ideis nimirum ad judicia, a ſimplicibus verbis ad integras orationes conſcenditur: a judicio ſeu propoſitione ſimplici ad complexas, ab unica ad plures certo ordine diſpoſitas recta ratio manuducit; hoc eſt, ſicut ab ideis ad judicia pervenimus, quæ ſunt unius cum alia idea mentalis quædam conjunctio, aut mutua ſeparatio; ita a judiciis ad diſcurſum, ſeu ſyllogiſmum, qui eſt

plu-

plurium judiciorum ordinatio & deductio, aſcendimus. Propoſitionum vero veritatem, & falſitatem, veritatis criterium, methodum, aliaque hujuſmodi vel ſparſim exponunt, vel poſtremum in locum conjiciunt.

50. Si methodum proprie dictam ſpectemus, eam quiſque tenet, quæ vel ipſi magis arridet, vel ad propoſitum ſibi ſcopum conducat. Qui ſcholas moderantur aut ſcholaſticis ſcribunt, cum eo contendant, ut accurate diſputare doceant, ſcholaſticam amant methodum, & omnia ſyllogiſmis, objectionibus, aliiſque ſcholaſticæ methodi appendicibus complent, artemque ſyllogiſticam fuſiſſime tradunt, ut qui illa legunt, & ſtudent, ad diſputandum paullatim aſſueſcant, atque omnia ſyllogiſtice proponere diſcant.

51. Recentiores amœniorem docendi rationem fere omnes tenent, & methodo, ut dicitur, poſitiva, hoc eſt, uberiori, atque amœniori utuntur, quam & Tullius, & veteres plerumque in re ſimili adhibebant, cum in id potiſſimum collineent, ut mentem & recte ratiocinari & aliorum ratiocinia diſtinguere & veritatem ubique ſecundum criticam diſcernere doceant. Suas utraque hæc methodus utilitates, ſua etiam habet incommoda. A recto tramite forte non abludet, qui tironem lectorem media deducit via, ut verſatile ingenium amœniori varietate alliciatur, & utramque dicendi rationem edoceatur. Atque hæc in anteceſſum explicaſſe in ſtudioſi lectoris gratiam ſufficiat. Qui uberiorem logicæ hiſtoriam deſiderat, *Gaſſendum*, potiſſimum vero *Georgium Valchium* adeat, qui fuſiſſime rem hanc proſequutus eſt.

IN-

I N D E X
TOMI PRIMI PHILOSOPHIÆ RATIONALIS
S E U
L O G I C Æ.

PRæfatio in Logicam — Pag. 1
Diſſertatio Hiſtorico-Critica de Logica. — 7
§. I. *Logicæ nomen, notio, natura.* — ibid.
§. II. *De Logicæ cauſſa, objecto, fine.* — 11
§. III. *Logicæ Ortus.* — 20
§. IV. *Logicæ in Artis formam reductio &c.* — 24
§. V. *Logicæ reformatio, & nova Epocha.* — 31
§. VI. *Logicæ neceſſitas, methodus, & uſus.* — 37

P A R S P R I M A.

De mente humana exiſtente, & cogitante. — 1

L E C T I O P R I M A.

Poſitiones Metaphyſicæ, & Phyſicæ; multiplex Animæ operatio &c. — 1
§. I. *Poſitiones ex Metaphyſica, & Animaſtica, deſumptæ circa humanæ mentis exiſtentiam, naturam, diſtinctionem a corpore.* Ibid.
§. II. *Multiplex Animæ & mentis potiſſimum operatio.* — 7
§. III. *Logicæ notio & diviſio.* — 11

LECTIO SECUNDA

De idearum notione, & origine. — 17
§. I. *Idearum notio, & prima diviſio.* — ibid.
§. II. *Idearum natura adumbratur.* — 20
§. III. *Aliqua circa idearum originem, quantum in logica ſatis eſt, attinguntur.* — 24
Annotatio hiſtorica. — 25

LECTIO TERTIA

De idearum diviſione & affectionibus intrinſecis. — 29
§. I. *Idearum noſtrarum diviſio.* — 30
§. II. *Ideæ relate ad mentem, ſeu potius in ſe ipſis &c.* — 33
§. III. *Confuſionis, & obſcuritatis idearum fontes.* — 37
§. IV. *Aliqua noſtrarum idearum confuſionis, & obſcuritatis remedia.* — 38

LECTIO QUARTA

De ideis relate ad earum objecta conſideratis, ſeu de multiplici idearum noſtrarum objecto. — 41
§. I. *De ideis ſingularibus, univerſalibus, &c.* — 42
§. II. *Quinque Porphirii, & Ariſtotelis prædicabilia.* — 46

§. III.

§. III. *De ideis abſolutis, relativis, adæquatis &c.* 52
§. IV. *Ideæ abſtractæ, concretæ, reales &c.* 58
§. V. *De idearum falſitate, & veritate.* 61

LOGICÆ PARS SECUNDA

De Mente humana judicante, ſibi & aliis loquente, ſeu &c. 67

LECTIO PRIMA

De linguis, ſeu vocibus, earum origine, natura, uſu. ibid.
§. I. *Duplex loquendi modus apud homines, Naturalis & Arbitrarius.* 69
§. II. *De linguarum origine, & natura.* 72
§. III. *Linguarum, ſeu verborum natura, indoles, ſeu &c.* 78
§. IV. *Multiplex verborum diviſio, quod ad rem logicam ſpectat.* 82

LECTIO SECUNDA

De judiciis, ſeu propoſitionibus, earum natura, ſpeciebus &c. 86
§. I. *De propoſitionum natura, atque diviſione multiplici.* ibid.
§. II. *De propoſitionibus ſecundum formam ſpectatis, ſeu &c.* 90
Regula I. *In quacunque propoſitione abſoluta affirmativa, aut negativa prædicatum affirmatur, aut negatur de ſubjecto ſecundum integram comprehenſionem ſuarum partium, non vero ſecundum unam tantum, aut alteram partem.* 92
Reg. II. *In propoſitionibus Affirmativis attributum eandem extenſionem habet.* ibid.
Reg. III. *Omnis propoſitio negativa removet a ſubjecto attributum ſecundum totam ſuam extenſionem.* 93
Reg. IV. *In propoſitione univerſali negativa uterque terminus ſecundum totam extenſionem accipiuntur & a ſeſe removentur.* ibid.
§. III. *Propoſitionum oppoſitio, & converſio.* 94
Reg. I. *Duæ propoſitiones contradictoriæ, neque ſimul veræ, neque ſimul falſæ eſſe poſſunt: ſecundum utramque qualitatem opponuntur.* 95
Reg. II. *Duæ contrariæ non poſſunt eſſe ſimul veræ, maxime tamen ſimul falſæ; ſolum igitur quoad veritatem opponuntur.* 96
Reg. III. *Sub contrariæ poſſunt eſſe ſimul vera, non tamen ſimul falſæ: ſolum proinde quoad falſitatem opponuntur.* ibid.
Propoſitionum converſio. 97
Reg. I. *Propoſitio univerſalis negativa in aliam univerſalem convertitur.* ibid.
Reg. II. *Propoſitio univerſalis affirmativa convertitur ſolum in particularem.* ibid.
Reg. III. *Particularis affirmativa in aliam particularem affirmativam convertitur.* 98
§. IV. *De propoſitionibus complexis: propoſitionum incidentium &c.* 100
§. V. *De propoſitionibus compoſitis, earum natura, ſpeciebus, & indole.* 105

Pro-

Propoſitiones conjunctivæ.
Reg. I. Reg. II. 106 &c.
Propoſitiones disjunctivæ.
Reg. I. Reg. II. 109 &c.
Propoſitiones conditionales. 111 &c.
Reg. *Conditionalium.* 113
Propoſitiones cauſſales. 114 &c.
Reg. *Cauſſalium.* 115
§. VI. *De propoſitionibus excluſivis, exceptivis & aliquibus aliis.* 116
Propoſitiones exceptivæ. 118
§. VII. *De definitione, ac diviſione.* 120
Reg. I. *Diviſio debet eſſe adæquata, hoc eſt diviſionis membra debent exhaurire &c.* 122
Reg. II. *Diviſionis membra debent eſſe inter ſe ſecundum aliquam rationem oppoſita.* 124
Rei definitio. 127
Reg. I. *Definitio omni definito conveniat.* 129
Reg. II. *Definitio ſoli definito conveniat.* ibid.
Reg. III. *Definitio ſit clarior definito &c.* 131

LOGICÆ PARS TERTIA

De mente humana ratiocinante, hoc eſt, de humana ratiocinatione. 132

LECTIO PRIMA.

De ratiocinatione &c. ibid.
§. I. *De natura ratiocinationis ejuſque ſpeciebus.* ibid.
§. II. *De Enthimemate, ubi neceſſariæ conſequentiarum regulæ.* 137
Reg. I. Reg. II. 139
§. III. *De Syllogiſmorum notione, & de ſimplicium regulis.* 140
Reg. I. Reg. II. Reg. III. Reg. IV. 141. &c.
§. IV. *Quot ſint Syllogiſmorum figuræ &c.* 144

LECTIO SECUNDA

De ratiocinatione familiari, ſeu totius humanæ ſocietatis propria. 154
§. I. *Quæ ratiocinatio in hominum converſationem, conſilia &c.* ibid.
§. II. *Generalis quarumcumque ratiocinationum regula &c.* 160
§. III. *Opus ne ſit naturalem hanc vulgaremque hominum ratiocinationem &c.* 166

LECTIO TERTIA

De ratiocinationibus complexis, de iis potiſſimum quæ&c. 175.
§. I. *Complexarum ratiocinationum notio, ſpecies & uſus.* ibid.
Syllogiſmi conditionales. 176

§. II.

§. II. *Ratiocinationes conditionales in civilem hominum converſationem, & conſuetudinem paſſim incidentes:* 180
§. III. *De ſyllogiſmis disjunctivis, copulativis & cauſſalibus* 183
Syllogiſmi copulativi. 185
Syllogiſmi cauſſales. 186
§. IV. *Aliæ ratiocinationes complexæ in humanum commercium incidentes &c.* ibid.
§. V. *De ſophiſmatibus ſeu falſis ratiocinationibus.* 191
Ignoratio Elenchi. 193
Plurium interrogationum. Non cauſſæ pro cauſſa, Sophiſma Accidentis. Fallacia dicti ſecundum quid ad dictum ſimpliciter. Inductio, aut enumeratio imperfecta, Sophiſma vocum, Fallacia diviſionis &c.

LOGICÆ PARS QUARTA

De mente humana ſuorum actuum veritatem, atque falſitatem diſcernente, &c. 201

LECTIO PRIMA

De veritate, & falſitate operationum mentis atque de veritatis criterio ſeu teſſera. 203
§. I. *Actum mentis veritas, & falſitas quænam ſit, exponitur.* ibid.
§. II. *Veritatis propoſitionum, ſeu veritatis logicæ in multiplicem ſpeciem diviſio.* 208
§. III. *De ſcientia ſpeciatim.* 214
§. IV. *De probabilitate rationis.* 224
§. V. *De fide, ſeu de probabilitate auctoritatis & extrinſeca.* 237
Regula *fidei.* 238
Certitudo, atque veracitas fidei, habet pro menſura probitatem, & ſapientiam auctoris, ſeu &c. 239
§. VI. *Rationis & fidei inter ſe comparatio, & fines.* 253
Reg I. Reg. II. Reg. III. Reg IV. Reg. V. 256. &c. Reg. VI Reg. VII. Reg. VIII. Reg. IX. Reg. X.
§. VII. *De propoſitionum veritatis criterio, ſeu teſſera.* 261
Propoſitio. *Aliquas in humana mente cognitiones omnino certas, & evidentes exiſtere, ſtatuimus.* 263
Propoſitio. *Certum aliquod medium, & ratio eſt, qua evidentia, atque certa ab incertis diſtinguamus, ſeu aliquod eſt veritatis criterium, & teſſera, qua humana ratio in veritate quærenda, errores vitando, & in rebus dubiis prudenter dirigatur.* 265
Propoſitio. *Ultimum veritatis, atque certitudinis humanarum cognitionum criterium eſt evidentia.* 279
Propoſitio. *Omnes evidentiæ modo dicta ſunt totidem veritatis criteria in ſuo quæque ordine.* 287
Propoſitio. *Omnium idearum, perceptionum, aut veritatum natura.*

turalium ſola ſenſuum evidentia, aut demonſtratione conſtantium criterium proprium, eſt evidentia ſenſibilis: id autem ejuſmodi eſt, ut quidquid illi innititur, ſtante hac rerum ordine, ſeu naturæ legibus ſit neceſſario certum, noſque efficiat de tali certitudine ſecuros. 288

Propoſitio. *Evidentia moralis eſt proprium illarum omnium propoſitionum, veritatum, atque idearum criterium, quæ aut humana fide aut divina revelatione traditionali conſtant.* 290

§. VIII. *De veræ & apparentis evidentiæ diſcrimine, & judice, certitudine apparenti, ſeu Enthuſiaſmo.* 293

Propoſitio. *In cujuſcunque rei examine, & traditione, illa haberi ab omnibus debet vera certitudinis evidentia, quam homines numero quidem multi, religione, patria, præjudiciis, aut diverſis ſaltem animi ſtudiis, & affectibus varii, non ipſo phantaſmatum, atque imaginationis æſtu agendarumque rerum tumultu, ſed animo ſedato talem eſſe judicant.* 295

§. IX. *De Scepticiſmo.* 311

Propoſitio. *Scepticiſmum rigoroſum, ſeu Pyrrhoniſmum, neque verum eſſe dogma, neque ſerio, atque ſincere ab aliquo teneri propugnarique exiſtimo; eſt dicere, neque dubitari poteſt de omnibus, neque eos, qui de omnibus dubitandum eſſe palam dicunt, ſerio, atque ſincere loqui, & dubitare exiſtimo.* 313

Argumenta oppoſita Pyrrhonicorum. 323

§. X. *Senſuum criterium, ſeu regulæ criticæ ſenſuum.* 343

Regula *Critica* I. 345

Reg. *Critica* II. ibid.

Reg. *Critica* III. 346

Reg. *Critica* IV. 348

Reg. *Critica* V. 352

Reg. *Critica* VI. ibid.

Reg. *Critica* VII. 355

Reg. *Critica* VIII. 360

Reg. *Critica* IX. 362

§. XI. Reg. *Criticæ fidei, ſeu auctoritatis humanæ.* 364

Reg. *Critica fidei* I. 366

Reg. *Critica fidei* II. 370

Reg. *Critica fidei* III. 378

Reg. *Critica fidei* IV. 384

Reg. *Critica fidei* V. 386

Reg. *Critica fidei* VI. 391

Reg. *Critica fidei* VII. 393

Reg. *Critica fidei* VIII. 399

LOGICÆ PARS QUINTA

De mente humana diſcente, atque docente, ſeu de methodis, & regulis diſcendi, &c. 403

LECTIO PRIMA

De Methodo generatim, in ſpecie vero de ſyntheſi & Analyſi. ibid.

§. I.

§. I. *Argumentum quintæ partis.* ibid.
§. II. *Quid ſit methodus generatim, & quotuplex.* 405
Regula I. *Circa methodum.* Reg II. *Circa methodum* Reg. III. *Circa methodum.* Reg. IV. *Circa methodum.* Reg. V. *Circa methodum.* 410 &c.
§. III. *Methodus Synthetica, atque ejus regulæ.* 414
Reg. I. *Sintheſis.* 416 &c.
Reg. II. *Sintheſis.* Reg. III. *Sintheſis.* Reg IV. *Sintheſis.* Reg. V. *Sintheſis.* Reg. VI. *Sintheſis.* Reg. VII. *Sintheſis.*
§. IV. *Methodus Analytica, illius regulæ, & cum Sintheſi comparatio.* 428
Reg. I. *Analyſis.* 424 &c.
Reg. II. *Analyſis.* Reg. III. *Analyſis.* Reg. IV. *Analyſis.* Reg. V. *Analyſis.* Reg. VI *Analyſis.*

LECTIO SECUNDA

De humanæ mentis capacitate, viribus, & errorum fontibus. 432
§. I. *Humanæ mentis capacitas, atque cognitionum extenſio.* ibid.
Reg. I. *In Phyſicorum corporum, aliarumque rerum eſſentiis indagandis non immoremur &c.* 443
Reg. II. *Prætermittendæ ſunt omnes quæſtiones de infinito, infiniti proprietatibus &c.* 444
Reg. III. *Ea ſolum tentanda, atque in iis ſtudia omnia noſtra ponenda ſunt, quæ mente tandem aſſequi per humanæ rationis vires licet.* 446
§. II. *De errorum fontibus generatim ad omnes humanas cognitiones ſpectantibus, atque de neceſſitate dubitandi.* 449
§. III. *Errorum fontes in Anima, atque effectibus exiſtentes.* 455
§. IV. *De erroribus ex ſenſu provenientibus.* 468
§. V. *De erroribus ex præjudiciis, educatione, aliiſque externis cauſſis provenientibus.* 477
§. VI. *Errorum medicina dubitare: Methodus ſeu regula dubitandi, ſeu de quibus, quomodo, quoaduſque dubitandum.* 490
Reg. I. *Dubitandi.* 492 &c.
Reg. II. *Dubitandi* Reg. III *Dubitandi.* Reg. IV. *Dubitandi.*
§. VII. *Methodus, & regulæ diſcendi, ſeu ſtudendi.* 499
Reg. I. *Studendi.* 500 &c.
Reg. II. *Studendi.* Reg. III. *Studendi.* Reg. IV. *Studendi* Reg. V. *Studendi.* Reg. VI. *Studendi.* Reg. VII. *Studendi.* Reg VIII. *Studendi.* Reg. IX. *Studendi.*
§. VIII. *Methodus atque regulæ docendi, & diſputandi.* 510
Reg. I. *Docendi.* ibid. &c.
Reg. II. *Docendi.* Reg. III. *Docendi.* Reg. IV. *Docendi.* Reg. V. *Docendi.* Reg. VI. *Docendi* Reg. VII. *Docendi* Reg. VIII. *Docendi.*
Reg. I. *Diſputandi.* 123 &c.
Reg. II *Diſputandi.* Reg. III *Diſputandi.* Reg. IV *Diſputandi.* Reg. V. *Diſputandi.* Reg. VI. *Diſputandi.*

MO-

MONITUM.

CUm Philoſophicum, opus *Philoſophia Libera ſeu Eclectica*, *a P. Ignatio Monteiro Soc. Jeſu* compoſitum in 9. tomos diviſum, & Geometriæ elementa, Hiſtoriæ Philoſophicæ Sinopſim, atque omnes naturales Philoſophiæ tractatus complectens typis meis editum benigne omnes acceperint, ita ut pauca jam apud me ſuperſint exemplaria vendenda; rem omnibus gratam facere exiſtimavi, ſi ejuſdem auctoris rationalem Philoſophiam, alteram ejuſdem operis partem a me alias promiſſam in lucem ederem. *Artem criticam dirigendæ rationis*, ſeu logicam modo damus: unico volumine continetur, ut in duo tamen ſeparari poſſet curavimus: atque primum hoc eſt Philoſophiæ Eclecticæ rationalis volumen, quod aut una cum aliis voluminibus, aut ſeorſim etiam a me vendetur. Quiſnam in arte Critica dirigendæ rationis conſcribenda ſcopus auctori fuerit, cum ex præfatione, tum ex diſſertatione hiſtorico-Critica operi præmiſſis habere poteris. Quo pacto humanæ mentis Analyſim inſtituat auctor, præfatio exponit: tum vero 1. de logicæ nomine, notione, natura, 2. de ejuſdem cauſſa, objecto, fine, 3. de Logicæ ortu, 4. de ejuſdem in artis formam reductione, atque ad noſtra fere tempora progreſſu, 5. de reformatione tandem, neceſſitate, uſu, methodo luculentiſſime diſſerit. Opus inde aggreſſus, mentem humanam a cunis uſque ad ſepulcrum proſequitur, ejuſque indolem, actus, progreſſum ſcrupuloſa Analyſi rimatur. In quinque partes totam hanc artem dividit; de mente cogitante in prima: de mente ſibi, & aliis loquente in ſecunda; de mente ratiocinante in tertia agitur. Tum vero in quarta mens ipſa conſideratur ſuoſmet actus reviſens, dubitans, examinans; ipſa ſibi ſciendi, credendi, dubitandi, criteria ſtatuit; errorum fontes explorat; quænam rationis, fidei, ſenſuum jura ſint, decernit: pyrrhoniſmus profligatur: in fanatiſmum, & Enthuſiaſmum deſcenditur; prudens Scepticiſmus ſtatuitur: uno verbo, ars critica a fundamentis traditur. Quinta tandem diverſas, & neceſſarias quidem analyſis, ſintheſis, dubitandi, docendi diſcendique methodos, & regulas adſtruit. Præjudicia infantiæ, educationis, ordinis, gentis, uberrimos ſcilicet errorum fontes, late proſequitur. Tot errandi periculis remedium ſtatuitur *dubitare*: quænam tamen ſit dubitandi ſcientia, exponitur. Omnia autem hæc non ad ſcholæ tantum uſum, ſed ad civilem omnem conſuetudinem diſponit. Mens humana proponitur dirigenda, quamcunque illa tandem viam arripiat. Et hinc familiares hominum ratiocinationes in exempla paſſim adducuntur, & amœnioribus argumentis ab artibus, & ſcientiis petitis exornantur.

POMPEJUS DI MANIAGO

è Societate Jeſu

In provincia Veneta Præpoſitus Provincialis

CUm librum, cui titulus: *Philoſophia libera, ſeu Eccleſtica rationalis, & mechanica ſenſuum*: Auctore *P. Ignatio Monteiro ſocietatis noſtræ*, aliquot ejuſdem ſocietatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint: Poteſtate nobis a R. P. *Laurentio Ricci* Præpoſito Generali, ad id tradita facultatem concedimus, ut Typis mandetur; ſi ita iis ad quos pertinet videbitur: cujus rei gratia has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus.

Pompejus di Maniago

Bononiæ 20. Martii *1768.*

Loco ✠ Sigilli.

Pag.	lin.	ERRATA	CORRIGE
4	22	Creationis	*adde* tempus
9	16	Judicio	Judicium
19	28	Idea	Ideæ
27	1	teſſellunt	refellunt
31	31	militarum	militum
41	37	Spectuali	Spectaculi
32	28	Inferuntur	referuntur
47	22	communes	communia
49	28	verum	rerum
50	15	appoſiti	oppoſiti
71	33	vocem	vocum
72	27	poſſiones	paſſiones
72	30	ob hac	ab hac
78	2	tenorum	tonorum
81	4	appoſitum	oppoſitum
81	42	excitatos	excitatas
90	36	tum	Jam
92	28	æquiparare	æquiparari
95	37	aſſignet	aſſignent
99	16	fuſo	fuco
100	12	cum vero	tum vero
100	35	Confubulationes	Confabulationes
101	23	tam	tum
106	27	attingant	attingam
106	37	Antiſcum	Antiochum
108	37	Riduculum	Ridiculum
130	15	rationum	nationum
130	30	perdicem	perdricem
134	40	Enthimena	Enthimema
137	29	aurum	auro

139	17	Tam	Jam
142	29	aut	autem
143	23	fuerit	fuerint
146	21	figura	figuræ
159	8	raiicinando	ratiocinando
164	4	ambago	ambage
170	10	ego	ergo
173	20	univerſiiatis.	unius veritatis
175	1	raiicinationem.	ratiocinationem
177	25	clariſſimur	clariſſimus
194	1	arctivum	arcticum
199	28	diviſitionis	diviſionis
200	8	juſtitiam	juſtitia
202	33	pronuntiamus	pronuntiemus
210	5	fodinum	fodinam
235	25	Japona	Japone
248	19	Concedeie	concedere
250	26	teſtimonia	teſtimonio
255	28	ſecundo	ſecundi
256	24	habemus	habeamus
269	28	certe	certa
272	4	ille	illa
285	15	remotiſſimam	remotiſſimum
341	33	regularum	recularum
347	21	quenam	quaſnam
348	18	viiium	virium
353	2	ſe ipſum	ſe ipſam
356	29	verſat	vertat
370	21	et ſi	*dele* &
373	35	Injectorum	infectorum
383	5	Quo	quibus
396	9	deprehendas	reprehendas
406	20	hoc eſt aut	*ſupple*, diſcendi
407	30	diſputationis	diſpoſitionis
410	7	eorumdem	earumdem
419	ulti.	ſternunt	ſternant
420	11	vim	cum
423	3	hujus	hujuſmodi
428	5	Jataliſta	Fataliſta
442	20	uirumque	utcumque
458	11	aſſenſaiionem	oſtentationem
462	41	ſaluiaris	ſolutionis
472	16	poſſunt	poteſt
476	ulti.	quæ	qua

PHILO-

PHILOSOPHIÆ LIBERÆ
SEU
ECCLECTICÆ RATIONALIS
PARS PRIMA
De Mente Humana exiſtente, & cogitante.

1. CUM Logica noſtra, tota quota eſt, ſive theoricam illius partem ſpectemus, ſive uſum, & regulas conſideremus, ſit humanæ mentis opus, ad eamque ſemper referatur; cum a ratione noſtra, tamquam a principio, fonte, & magiſtra originem ſuam ducat, profluat, doceatur, eamdemque viciſſim doceat, in eam refluat, & referatur; cum in eum tantummodo collineet finem, & humanam animam, ſeu mentem, cujus opus eſt, recta ſemper ad veritatem dirigat, recte judicare, & ratiocinari doceat; qua in rebus omnibus humanis ad verum tenenda ſit via, qua ab errorum periculis cavendum, aperiat; ejuſque rei gratia omnes humanæ ipſius mentis actus diſtinguere, internoſcere, atque recenſere opus ſit; aliqua in logicæ ipſius limine circa humanam mentem, ejuſque actus in lectoris gratiam ſummis labiis delibanda exiſtimo. Quandoquidem enim de manuducenda mente, illiuſque actuum facienda analyſi agitur; quid hæc ſit mens, aut anima dirigenda, quanam humani

Corporis parte exiſtat, quinam illius ſint actus, ideæ, perceptiones, judicia, ratiocinationes, quonam etiam pacto externorum objectorum actiones ad ſpiritualem animam perveniant, aliaque id genus leviter ſaltem in anteceſſum exponere debemus. Quæ quidem omnia cum ad penitiorem metaphyſicam, atque Viventium phyſicam ſpectent; duo hinc facile conſequuntur, 1. neque hujuſmodi argumenta poſſe in logica pro dignitate tractari, neque penitus omitti: primum tyronum captum excederet; ſecundum vero methodo atque dicendarum rerum claritati, atquæ intelligentiæ opponeretur; 2. Logicæ ſtudium, penitioremque cognitionem non parum a metaphyſica, atque humani Corporis phyſica pendere. Methodi igitur, brevitatis, atque claritatis gratia notiones metaphyſicas, & phyſicas hoc loco neceſſarias, tamquam poſitiones, & principia ſuo loco probanda, impræſentiarum dabimus. Niſi ſcilicet ex metaphyſica, & phyſica Viventium, ſeu Animaſtica notiones aliquas in hunc locum deſumeremus; vel lectorem ad illas diſciplinas divertere, vel de rebus agere, de quibus ne primas quidem notiones haberet, opus eſſet. Præterea cum naturæ ordinem in tractanda logica tenere omnino ſtatuam, prius erit mentis noſtræ exiſtentiam, atque notionem in ſe ipſa videre, quam ad illius operationes gradum facere.

LECTIO PRIMA.

Poſitiones Metaphyſicæ, & Phyſicæ; Multiplex Animæ operatio; Logicæ notio, & diviſio.

§. I.

Poſitiones ex Metaphyſica, & Animaſtica deſumptæ circa humanæ mentis exiſtentiam, naturam, diſtinctionem a Corpore, & Sedem.

2. 1ª. *Animæ humanæ nomine aliud non intelligimus, quam principium illud nobis intimum, & præcipuam noſtram hominum partem, qua non ſolum*

ſolum vivimus, & ab inanimis rebus, v. g. terra, aqua, diſtinguimur, verum (quod in re præſenti præcipuum eſt) intelligimus, volumus, credimus, judicamus, odio habemus &c.

Hæc ſcilicet eſt recepta animæ notio, quæ non quid anima ipſa ſit, ſed quid nomine ſignificemus, declarat.

3. 2ª. *Principium hujuſmodi nobis intimum, quo vivimus, & intelligimus, hoc eſt, animam humanam eſſe peculiarem ſubſtantiam a noſtro organico Corpore penitus diſtinctam, poſitionis loco habendum nobis eſt.*

Ex duplici proinde ſubſtantia conſurgimus, & conſtamus homines. Hanc Animæ a corpore diſtinctionem in Phyſica generali attingimus, in metaphyſica vero pleno calamo demonſtramus. Rem alioquin certam hoc loco indicare ſatis ſit.

4. 3ª. *Peculiare hoc principium, ſeu Anima eſt ſubſtantia Spiritualis ab omni corpore, & ſubtili quacumque materia diſtincta.*

Duas haſce poſitiones, de quibus neque Chriſtiana Fides, neque humana ratio dubitare permittunt, in loco demonſtramus. Impræſentiarum igitur litem Materialiſtis non intendimus, qui animam noſtram nihil aliud eſſe præter ſubtilem quamdam flammulam materialem in organico Corpore reſidentem, atque vitales functiones organorum ipſorum ope mechanice exercentem præfracte affirmant. Unde autem ſit, ut tot olim fuerint philoſophi, & noſtra etiam tempeſtate exiſtant, ingenio alioquin, & eruditione præditi, qui in id abſurditatis devenerint, ut ſe puras eſſe machinas exiſtimarent, atque in animum inducere poſſint; id nos partim in Metaphyſica, partim etiam in Phyſica Viventium exponimus. Interim vel fide, vel ratione, quod philoſophici muneris eſt, agere malis, ſatis ſit rem utroque capite certam ponere. Id tantum animadvertere oportet, ſubſtantiæ nomine a philoſophis intelligi rem per ſe, aut in ſe ſubſiſtentem, quin dependeat ab aliquo ſubjecto.

5. 4ª. *Anima noſtra ſpiritualis eſt vera, & realis ſubſtantia, ab omni, & quacumque alia entitate*

ſpirituali vere, & realiter diſtincta.

Etenim cum animas noſtras concipimus, rem cogitantem apprehendimus, quæ per ſe, & propria indole, atque energia abſolute intelligat, quin hujuſmodi cogitandi vis, & energia in rei alterius modificatione conſiſtat, aut alterius ſubſtantiæ modus exiſtat. Hæc etiam hiſpotheſis ratione omnino conſtat, ut fuſe in loco proſequimur: Animam enim noſtram eſſe rem cogitantem, in dubium vocari non poteſt; jam vero ſpiritualem hanc cogitandi energiam alicujus Spiritus modificationem eſſe, menti humanæ repugnat: quid enim illa eſt Spiritus modificatio? Sed rem & fide quod Chriſtiani eſt, & ratione, quæ philoſophum decet, omnino certam, & alibi demonſtratam ponere ſufficiat.

6. 5.ª *Anima noſtra, ſeu Spirituale hoc cognoſcendi principium humanum a ſolo Deo creatur, atque humano Corpori infunditur, cum primum vivere incipimus.*

Duo hic ponimus, animæ creationem a ſolo Deo factam, & hujuſce creationis: utrumque ſuis locis exponitur. Quod primum attinet, cum anima ſit Spiritualis ſubſtantia; neque eſt Corporis, neque alterius cujuſcumque rei modus: quare impium *Hobbſii* dogma, quod animæ noſtræ aliud non ſint, quam ſubſtantiæ Divinæ, hoc eſt, juxta illius mentem, ſubſtantiæ materialis ubique extenſæ modificatio, & fide, & ratione profligatum ſuppone. Quod ſecundum ſpectat, animas noſtras longe ante Corporum generationem fuiſſe creatas (quod Platonicum, aut Origenianum dogma fuit) rejectum, & exploſum ponimus; individuum vero creationis diem non definimus.

7. 6.ª *Humanum hoc noſtrum, & ſpirituale intelligendi principium, ſicut a nulla naturali cauſſa produci poteſt, ita neque etiam deſtrui, diſſolvi, aut corrumpi.*

Id vero ex duplici capite animabus noſtris convenit, ex eo ſcilicet quod ſunt ſubſtantia, & ex ratione ſpiritus. Cauſſa enim naturalis non eſt, ſubſtantiam vere, & proprie deſtruere: quod ſi id relate

relate ad materialem etiam ſubſtantiam verum ponitur, relate ad ſpiritum eſt omnino certum: eſt enim ſpiritus ſubſtantia indiviſibilis, quæ proinde diſſolvi, aut corrumpi nequit, cum naturalis diſſolutio, aut corruptio per partium ſolummodo ſeparationem peragatur. Anima igitur humana poſt Corporis diſſolutionem ſuperſtes remanet, natura ſua, & peculiari Dei lege (a quo ſolo deſtrui poteſt) immortalis.

8. 7.ª *Licet anima noſtra ſit ſpiritus, res ſcilicet penetrabilis, cogitans, nullamque habeat Corporis proprietatem, figuram, impenetrabilitatem, diviſibilitatem, pondus, & alia ſimilia; nihilominus eam a Deo naturam, vim, & indolem accepit, ut vel mutuo in ſe agere Corpus, & Anima poſſent, vel aliqua ratione mutuum inter illa commercium exerceretur.*

Quo pacto inter Corpus, & animam commercium intercedat, & aliud ab alio afficiatur, anima ſcilicet Corpus regat, moveat, ſiſtat, & a Corpore ſimiliter bene multa in animam deriventur, qualia ſunt dolor, gaudium, triſtitia, lætitia, & mille id genus alia, quo pacto, inquam, hæc fiant, vix intelligere, exponere nequaquam poſſumus: illud tamen commercium proculdubio in rebus exiſtit. Sitne aliqua harmonia inter animam, & Corpus a Deo *præſtabilita*, ut voluit *Leibnitius*, an vero potius unius in alterum actio, atque influxus phyſicus, aut moralis, mutuus, aut non mutuus, quæ aliorum ſunt opiniones; id nos hoc loco non diſputamus: rem ponimus, quæ certa eſt; rei modum alio remittimus.

9. 8.ª *Rurſus Anima humana ita a Deo facta eſt ſubſtantia cogitans, & volens, hoc eſt, ita illi cogitandi, & volendi vim, atque naturam dedit, ut organici Corporis, humanique compoſiti forma ſimul eſſet, & una cum Corpore hominem componeret.*

Anima proinde humana, tamquam vera, & propria humanæ machinæ forma, anima, & diretrix, corpori, quod regit, informat, animat, aliqua tandem ratione unitur. Quid tamen ſit hujuſmodi in-

ter res adeo diſparatas unio, vinculum, & commercium, neque modo diſputamus, neque ulla nobis ſpes affulget in præſenti vita aſſequendi: adeo occulta nobis eſt noſtrarummet partium harmonia, & natura. Id unum igitur hic tamquam indubium ponimus, aliquam ſcilicet eſſe inter utramque humani compoſiti ſubſtantiam, animam, & corpus, unionem: quid tamen rei ſit hujuſmodi unio, qua ratione explicetur, in metaphyſica dabimus.

10. 9. *Vivens igitur hæc, & ſpiritualis, & cogitans Corporis forma intra corpus ipſum exiſtit, latet, cogitat, ſentit; objecta externa mediantibus ſenſibus, hoc eſt, mediante ſuomet corpore, cui eſt unita, percipit.*

Corpora nimirum externa agunt in ſenſus, ſeu noſtras corporis partes; eæ objectorum actiones, & modificationes externis ſenſibus impreſſæ ad animam transferuntur, atque communicantur ex illius commercii lege, quam Deus inter Corpus, & Animam ſtabilivit. Rem vide in Phyſica Viventium fuſe explicatam. Per hoc tamen definire nequaquam intendimus, omnes humanæ mentis ideas, & cogitationes ope ſenſuum acquiri, nullaſque eſſe aut animæ ipſi innatas, aut ab illius energia productas; ſuus erit hiſce tractandis locus.

11. 10. *Noſtra hominum anima, & ſubſtantia cogitans, mea ſaltem, & quamplurimorum philoſophorum ſententia, in cerebro tantummodo exiſtit: id ſaltem ab omnibus ſtatuitur, cogitandi facultatem in cerebro exeri, atque exerceri.*

Primam hujuſce poſitionis partem in Phyſica Viventium probavi, quantum argumenti obſcuritas patitur: Secunda tamen, quæ a nemine in dubium vertitur, hoc in loco ſatis eſt, ne logicam noſtram dubiis, & extraneis controverſiis implicemus.

Si harum poſitionum poſtremam excipias, quæ opinionis probabilitatem non tranſcendit, reliquæ omnes, ut dogmata in Philoſophia prorſus indubia, ſupponendæ ſunt; quidquid in contrarium reclamet Materialiſta, ſibimet ipſi, & integræ humanæ ſpeciei infenſus, atque injurius.

§. II.

§. II.

Multiplex Animæ, & Mentis potiſſimum Operatio.

12. Quandoquidem humanæ mentis inſtitutionem, ejuſque actuum analyſim nobis in logica proponimus: noſmet ipſos parumper inſpiciamus, & quid a mente humana fiat, examinemus. In anima igitur humana ſubſtantia indiviſibili, multiplex diſtinguitur facultas, & multiplex etiam ab illa editur operatio. Primo duas eaſque notiſſimas in anima agnoſcimus potentias vitales, & ſpirituales, *Intellectum* ſcilicet, ſeu *Mentem*, atque *Voluntatem*: ad hæc enim duo capita *cogitare*, & *velle* reducuntur omnes Spirituales functiones animæ. Duplex tamen hæc ſpiritualis facultas, atque potentia ſunt una eademque indiviſibilis anima, quæ ex natura ſua habet *cogitare*, & *velle*: aliam igitur in re diſtinctionem non habent, præter illam, quæ a diverſis objectis, aut a diverſa, qua in objecta tendit, ratione deſumitur: aliud enim eſt objectum a me cogitari, atqua a me amari. Prior animæ facultas, *Intellectus*, *Mens*, aut *vis cogitandi* unicum fere eſt totius logicæ fundamentum, & architectrix: *Voluntas* præcipuas ſibi in Æthica partes ſumit; a logico, tamquam præjudiciorum, & plurium errorum ſcaturigo, conſideratur, & caute etiam attenditur, ut infra exponemus.

13. Actus animæ, qui ad voluntatem ſpectant, enumerare, aut definire, neque eſt hujuſce loci proprium, neque ad logicam ediſcendam neceſſarium, de iis enim eam omnes cognitionem habemus, quæ inſtituto noſtro, cavendis nimirum erroribus, & menti ad veritatem ubique inſectandum dirigendæ ſufficiat: nemo enimvero noſtrum eſt, qui ignoret, quid ſit diſçendi v. g. aut ſtudendi *amor*, *odium*, *ſegnities*, *indolentia*, *partium ſtudium*, & bene multa alia, quæ nos intimus conſcientiæ ſenſus docet, & quantum illa in ſtudia noſtra influant, non perſpiciat, ſi vel modicum in nos metipſos

ipſos reflectere velimus, ut inferius exponemus.

14. Mentis noſtræ præcipui actus numerantur *ſentire*, *imaginari*, *cogitare*, ſeu *apprehendere*, *dubitare*, *judicare*, *ratiocinari*, *examinare*, *diſponere*; *& hinc naſcuntur ſenſus*, *imaginatio*, *apprehenſio*, *dubitatio*, *judicium*, *diſcurſus*, *judiciorum*, & *diſcurſuum examen*, cogitationum noſtrarum *diſpoſitio*, ſeu *methodus*. Horum omnium, quæ gradatim ſeſe excipiunt, & aliæ ex aliis naſcuntur, notiones, & ordinem ſingillatim dabimus.

15. *Senſatio* eſt *rei materialis*, *ſeu actionis organa ſenſuum afficientis* perceptio. Corpus aliquod externum, v. g. Cultellus, nos tangens, aut feriens, tactus, aut alterius ſenſus organum afficit, & hinc primo, & immediate ab anima utcumque percipitur; hæc igitur perceptio eſt *ſenſatio*. Prima hæc eſt animæ circa materialia objecta operatio, & reliquarum omnium fundamentum, ad quam ſpectat *dolor*, *titillatio*, & mille id genus alia. Cum ſit ſenſio animæ, & perceptio, eſt etiam objectorum idea.

16. Primam hanc animæ perceptionem alia excipit, quæ *Idea* etiam *Apprehenſio*, & *Imago mentalis* dicitur. Eſt autem apprenſio *ſimplex objecti repræſentatio*, *contemplatio*, *aut imago in anima* (*) Sunt qui apprenſionem rei, ab ejus idea diſtinguant; apprehenſionem dicunt illum mentis actum ſimplicem, quo anima objectum ſibi repræſentat, & percipit; ideam vero formam illam, & veluti imaginem, ſub qua rem contemplatur, quam etiam vocant *Speciem*. Quoniam tamen nullo modo conſtat, eſſe imaginem, & ſpeciem a ſimplici mentis contemplatione, aut repræſentatione diſtinctam; idcirco nos, quin ſpeciem rejiciamus, quam & phantaſma dicimus, & alibi late exponimus, ideam a ſimplici mentis contemplatione non diſtinguimus.

17. Du-

(*) Primo igitur ſenſationes & perceptiones objectorum ſunt ideæ in anima, quas poſtea aliæ ſubſequuntur ab anima elicitæ, vel a prioribus emanantes: primæ etiam in memoria conſervaræ ſunt ſemper objectorum ideæ.

17. Duplex autem eſt Idearum, ſeu hujuſmodi repræſentationum genus: vel enim eſt de re corporea, vel de incorporea: primum dicitur *imaginatio*; Secundum *pura apprehenſio*, aut *idea intellectualis*.

Imaginatio vero, ſeu imaginationis actus (aliquando enim pro potentia accipitur) eſt rei ſub corporea ſpecie idealis repræſentatio. Hoc modo cum *Pegaſum*, aut *Hippogryphum* audimus, mente nobis effingimus, & videre nobis videmur *alatum equum*, aut *gryphum* equino corpore per aera volantem.

18. Idea intellectualis eſt rei, aut Veritatis alicujus citra corpoream ſpeciem repræſentatio: has potiſſimum elicimus circa veritates univerſales, de quibus adhuc judicio non ferimus v. g. cum primo audimus, hoc principium. *Cogito: ergo exiſto*, eſt primum philoſophandi *principium*: rem concipimus, adhuc non credimus, mente apprehendimus. Videtis quæ in Phyſica Viventium dicimus.

19. Circa ideas, aut res ideis depictas mentem poſtea reflectendo, eaſque nobis repræſentando plurimos elicimus ſpirituales actus; & primo quidem judicium: eſt autem *judicium* illa mentis operatio, qua ideam, aut rem unam idem eſſe cum alia, aut illi convenire affirmamus, aut negamus: eſt igitur ſententia mentalis de ideis noſtris prolata, quam alio nomine dicunt *aſſenſum*, aut *diſſenſum*: hoc modo ad veram caloris, & ignis ideam attendentes philoſophi, ignem eſſe calidum negant, & caloris tantummodo cauſſam eſſe concedunt, ſi calor pro ſenſatione illa uſurpetur, quam in nobis caleſcentibus experimur.

20. Inter ideas, & judicia intercedit plerumque dubium, aliquando etiam diverſa judicia, & ſententiarum momenta conſequitur: eſt autem *dubitatio* ſententiæ poſt idearum contemplationem ſuſpenſio; v. g. qui multiplices & figurarum, & philoſophorum ideas circa hujuſce Univerſi figuram meditatur, ſe ſe a ferenda ſententia cohibet. Dubitatio judicium plerumque complectitur, multoties

ties tamen ſine ſententia conſiſtit; cum inter utramque partem hæremus.

21. Ex omnibus hiſce animæ operationibus *ratiocinatio* conſequitur, quæ licet ſit mentis actus æque ſimplex, atque idea, & judicium, ad plura objecta extenditur: eſt igitur *ratiocinatio* illa mentis operatio, qua ab uno, vel pluribus judiciis præhabitis aliud deducimus: Sic cum de vera terræ deſcriptione geographica ideam, & ſententiam feramus, antipodeſque exiſtere certo ſciamus; recte ex hiſce ratiocinando inferimus, lapſos fuiſſe antiquos, qui antipodas negarunt. Sicut multiplex eſt dubitandi ratio, ita varius etiam eſt ratiocinandi modus, ut inferius dicetur.

22. Noſtrarum idearum, judiciorum, & ratiocinationum examen eſt illa mentis operatio, qua attente noſtros illos actus enucleamus, perpendimus, & cum veritatis regula conferimus, ut eorum veritatem detegamus. Hæc mentis indago totius artis criticæ fundamentum exiſtit, & aliquid a ſimplicibus aliis mentis operationibus diverſum eſſe videtur; licet ad earum aliquas, aut omnes reduci poſſit. Cum ii, qui terram moveri negant, quibuſdam S. Paginæ textibus ducantur; rem nos prudenter diſcuſſuri, & meritone ex iis opinionem ſuam deducant, perſpecturi, eorum textuum ſenſum rimamur; quæ ſit verborum vis in originali lingua Hebraica; unde, & qua certitudine habeamus, Hebræum Scriptorem litterali, non alio ſenſu loqui, reique phyſicæ veritatem, tamquam philoſophus, ſtabilire, non ad communem hominum ſenſum ſcribere; quem denique ſibi ſcopum ita ſcribendo præfixerit. Hujuſmodi, inquam, propoſitæ ſententiæ, aut ideæ perpenſatio, atque ad veritatis notas, tamquam ad lydium lapidem, *collatio*, *examen*, & *criſis* nuncupatur.

23. *Methodus* ſeu *diſpoſitio* eſt recta idearum, judiciorum, & ratiocinationum ſecundum ſimplicitatem, aut univerſalitatem, aut ſecundum gradus ordinatio; ſeu illa mentis operatio, & plurimarum rerum comprehenſio, qua ipſæ ita diſponuntur, ut

vel

vel a ſimplicioribus ſemper ad magis compoſita, vel ab univerſalibus ad particularia progrediamur. Hæc omnia, quæ totius logicæ velut indices, & capita exiſtunt, ſummis labiis hic attigiſſe, & in anteceſſum noviſſe, ſufficiat.

§. III.

Logicæ notio, & diviſio.

24. In definitis hactenus mentis operationibus, rectoque earum uſu intelligendo, explicando, corrigendo, atque ad veritatem ſemper intendendo tota logica abſolvitur: aliqua igitur de iis, atque de animæ ipſius natura, & præſenti exiſtendi, & cognoſcendi modo ideam dare oportuit, ut logicam aggreſſus, neque de quo ageretur, ignoraret, neque neceſſariis prolegomenis deſtitueretur.

25. Jam vero logicam generatim definimus: *Facultatem dirigendæ rationis ad veritatem aſſequendam*. Cum logicam ita exponimus, notionem tradimus omnibus iis logicæ ſpeciebus, quas modo recenſebimus, communem; ſingulis enim earum notionibus aliquid præterea addendum eſſe conſtabit.

26. Logica in *naturalem*, & *artificialem*, in *docentem*, & *utentem* communiter dividitur: quoniam de hiſce omnibus frequenter apud Scriptores incidit ſermo; quid hiſce nominibus, & diviſionibus peculiariter intelligatur, exponamus.

27. Prima logicæ diviſio eſt in *naturalem*, & *artificialem*. Humanæ menti vis quædam, atque naturale lumen, indoles, & criterium eſt, quo ſuopte ingenio ad veritatem tendit, illam ſubodoratur, verum a falſo, bonum a malo proprio lumine diſtinguit, quin ad aliquas regulas ad id muneris præſcriptas attendat, aut rationem teneat, quare hoc potius, quam alio modo de rebus judicium ferat.

28. Id paſſim in hominibus animadvertimus: Plures videas homines Picturæ, Architecturæ, aliarumque Artium regularum prorſus ignaros, quibus tamen ſi pictas tabellas, aut ædificium demonſtres,

exa-

exactum de eorum elegantia, excellentia, aut defectibus judicium ferant; hac in parte, inquient, res bene habet, illac diſplicet, hoc erat vividius, illud magis obſcure repræſentandum: quære ſententiæ rationem; neſcimus, reponent, artis regulas numquam didicimus, rationis lumine tantum ducimur. Idipſum omnibus hominibus claro rationis lumine pollentibus circa plurimas artes evenit (cum nullus ſcilicet omnium gnarus inveniatur): Unum artis opus probamus, aliud rejicimus; alterum alteri præferimus.

29. Quod circa Artes mechanicas, atque res alias familiares, id ipſum circa mentis operationes, judicia, ratiocinationes, methodum, Poeſim etiam, atque Eloquentiam hominibus paſſim accidit: in homines paſſim incidimus, qui exacte, perſpicue, concinne, & ornate de propoſitis ſibi rebus ratiocinantur, propriomet numine ab aliis ad alia argumenta gradum faciunt, quin vel logicam, vel Rhetoricam umquam viderint, aut in mundo eſſe cognoſcant; ſi vitioſo, obſcuro, implexo ratiocinio cum iis agas; corrugato naſo rem accipiunt: nihil agis, reponunt; aliquid, neſcio quid, in tuomet ratiocinio deſideratur, aut etiam abundat, quo deſiderato, aut non ſublato, nequaquam mihi perſuadeas.

30. Hæc omnia ad naturalem logicam ſpectant, eamque componunt, quæ idcirco recte definitur: *Inditum humanæ menti lumen, facultas, & criterium, quo citra ullas artis regulas mens in judicando recte dirigitur.*

Omnes homines rationis lumine præditi tantillam ſaltem hujuſce logicæ partem habent; cum omnes circa aliqua ſaltem materialia, & familiaria objecta ratione ductante recte utcumque ratiocinentur. Quin immo ſi homines ſingulos audiamus, nullus eſt, vel hebetiſſimi ingenii vir, qui *Lycurgo*, aut Areopago regulas præſcribere non poſſet; a quo tamen rectius percunctaretur Horatius.

. . . . *quare*
Deſipiant omnes, æque ac tu, qui tibi nomen
Inſano poſuere . . . .

.... *Huic*

. . . . Huic ego vulgum
Errori ſimilem cunctum inſanire docebo. (a)

31. Eos ſolummodo naturali logica præditos dicimus, qui claro rationis lumine, atque recto mentis dictamine mentem, vel ſuam, vel exterorum ad veritatem aſſequendam recta dirigunt. In hominibus infinitos pene habet perfectionis, aut imperfectionis, ſeu diverſitatis gradus naturalis hæc eorum logica, prout ſcilicet majori ingenii acumine, & rationis lumine donati a Deo fuerint. Ea vero fuit artificialis logicæ, omniumque ejus regularium fundamentum, inventrix, & auctor, ut jam ſupra diximus: hæc enim eſt, quæ ſeipſam quaſi reflexe intuens, totam humanarum ratiocinationum ſeriem perpendens, & ſingula ſcrupuloſe inſpiciens, quid tenendum, quid fugiendum, qua eundum ſemper eſſet, tandem invenit, docuit, ſtabilivit.

32. Hanc *naturalem logicam*, vel uſu ſolummodo exercemus, vel alios etiam & nos docemus: Et hinc recte eam divides in *Docentem*, atque *Utentem*: Elegans utriuſque exemplum in Horatio videre mihi videor, qui juvenis adhuc acri ingenio præditus, a libertino patre, litterarum experte, ſed maturi judicii homine docebatur

Si neque avaritiam, neque ſordes, ac mala luſtra
Objiciet vere quiſquam mihi: purus, & inſons,
(Ut me collaudem) ſi & vivo carus amicis,
Cauſſa fuit pater his . . . . . .
. . . .
Ipſe mihi cuſtos incorruptiſſimus omnes
Circum doctores aderat (b) . . . .
. . . . . . Inſuevit pater optimus hoc me,
Ut fugerem exemplis vitiorum quæque notando.
Cum me hortaretur, parce, frugaliter, atque
Viverem uti contentus eo, quod mi ipſe paraſſet;
Nonne vides, Albi ut male vivat filius? utque
Barrus inops: magnum documentum, ne patriam rem
Perdere quis velit . . . .
. . . . Sapiens, vitatu, quidque petitu
Sit

(a) Horat. lib. 2. ſat. 3.
(b) Idem lib. 1. ſat. 6.

Sit melius, cauſſas reddet tibi: mi ſatis eſt, ſi
Traditum ab antiquis morem ſervare, tuamque,
Dum cuſtodis eges, vitam, famamque tueri
Incolumem poſſim . . . .
. . . . ſic me
Formabat puerum dictis &c. (*a*)

33. Quo in exemplo vivide depictum nobis exhibet Poeta priſcorum temporum hominem, ut dicitur, qui & corde puro, & mente ſana a Deo donatus optimæ indolis, & acerrimi ingenii adoleſcentem natura duce, & antiquo more præformabat. Naturalis ille animæ noſtræ & cuſtos, & doctor, qui mentem ducat, doceat, ductuque, atque doctrina inſtruat, eſt mens ipſa, ſeu clarum mentis lumen, atque rationis dictamen, quod vel propria energia veritatis viam detegens, vel ſuiſmet periculis, ac erroribus cautum, doctiuſque factum, certas ſibi, quibus poſtea ſemper ducatur, regulas ſtatuit.

34. Naturale hoc, & innatum humanæ mentis Criterium, numen, & logica uſu ipſo, quotidianis experimentis, & hominum commercio maxime augetur, & perficitur, ut in ſemetipſo unuſquiſque noſtrum facile videt. Logicam igitur naturalem duo hæc componunt, clarum ſcilicet mentis dictamen, ſeu numen innatum a Deo conceſſum, atque ipſamet recte judicandi habitudo uſu acquiſita, & perfecta. Qui duobus hiſce polleat, optima ille logica eſt inſtructus, & ſine ullo cortice nabit.

35. Quoniam tamen innumeri ſunt ſuarummet rerum adoratores, qui naturali illa logica gloriantur, cum ingenio alioquin, & mente obſcura, hebeti, reptante, in rerum cortice hærente donentur; opus erit lydium aliquem agnoſcere lapidem, quo vera a falſis dignoſcatur, naturalis logica: lapis hujuſmodi eſt *logica artificialis*, hoc eſt, regulæ illæ naturali ratione inventæ, & probatæ, quæ unæ ſunt verum aſſequendi, atque dignoſcendi duces. Ita concionem quamcumque, utrum eloquenter ſcripta ſit, examinaturi, eam cum Rhetoricæ re-

(*a*) Sat. 4. ejuſdem libri.

regulis conferimus, illæque unæ ſunt lydius lapis, veram a falſa eloquentiam diſcernens: utriuſque hujuſce artis regulæ aliud non ſunt, quam obſervatio, & collectio quarumdam dicendi, aut ratiocinandi rationum, quæ in hominibus communi judicio recte loquentibus, aut exacte ratiocinantibus obſervabantur.

36. *Logica Artificialis* eſt *collectio regularum, quibus humana ratio ad veritatem aſſequendam, & dignoſcendam dirigitur*. Et hinc recte dicitur *Ars*, propterea quod regulis conſtet, & artificiale ſit rationis opus; Cum *naturalis logica* dicatur ſolummodo *facultas*, eo quod ſit purum putum rationis dictamen, vis, atque clarum numen, ſuapte naturâ abſque regularum adminiculo veritatem indagans, & docens. Quoniam igitur Artificialis logica eſt collectio, ſeu ſcientia regularum; ille artem logicam callet, & logicus merito nuncupabitur, qui eas regulas agnoverit, nullusque illarum ignarus logicus citra injuriam poterit appellari: exemplum habemus notiſſimum in Pictura, Poeſi, Eloquentia.

37. Eas regulas vel ſolummodo calles, vel doces, vel in uſum quoque deducis. Si primum, artem quidem logicam interrogatus non ignorare demonſtrabis; ſed illam tamen in reconditiori cerebri ſinu ſepoſitam, pulvere coopertam, & vix tibi notam ſervare uſu ipſo doces. Hujuſmodi ſunt ex eorum numero plurimi, qui logicam in Scholis didicerunt; vale enim Scholis dicto, & ad res ſuas agendas converſi, quas olim audierunt, regulas omnino otiari patiuntur, vix eas retinendi conſcii.

38. Ex duplici alia diviſionis parte logicæ Artis in *docentem*, & *utentem* partitio oritur; res per ſe quidem ſatis nota, quam paucis indicare ſufficiat. Homines videas, vitium ſane communiſſimum, ſtudio logicæ detritos, ejus regulis optime inſtructos, illam vel etiam in ſcholis profeſſos, qui tamen poſtea ita ſcribunt, loquuntur, agunt, quaſi logica in mundo non eſſet, aut apud antiquos ſolum coleretur. Ii fere ſunt, qui natura parum felice

lice præditi naturalem logicam deſiderant, neque ægrotanti animo oportuno tempore remedium quæſierunt. Fatendum eſt, vix aliquid poſſe artem contra pullulantem ſemper vitioſæ naturæ ſurculum (de rebus naturalibus loquimur, gratiam, & mores hic non attingimus). Hinc forſitan originem ſuam duxit vetus illa nota ſcholaſticis Studiis inuſta, his ſcilicet ſtudiis mentem potius corrumpi, quam illuſtrari, clariorem, aut prudentiorem reddi. Sed de hiſce redibit inferius ſermo.

39. Ut præſentem lectionem abſolvamus, ſequentia, quæ vera eſſe comperies, animadverto: 1.° tum naturalem, tum artificialem etiam logicam uſu maxime, exercitatione, ſcientiarum ſtudio, atque hominum commercio augeri, & perfici: hac enim exercitatione deficiente omnis logicarum regularum apparatus animæ alte inſculptus, tamquam feriantia, & neglecta arma, rubigine conſumitur: mentem poſtea, tamquam inutilis ſarcina, potius gravant, & inficiunt, quam expediant, atque perficiant. Cum *exercitationem* dico, diſputationem precipue non intelligo; hæc enim nonniſi exigua eſt logicæ exercitatio, atque objectum.

40. 2.° Niſi naturali logica, hoc eſt, claro mentis lumine, bona indole, & acumine donatus a Deo fueris, licet omnia logicæ præcepta memoriæ ſtudioſe commendes, & commendata ſerves, merus mihi erit pretioſi theſauri cuſtos, aut ex iis (qui plurimi ſunt) deſidioſis hominibus unus qui lectiſſimæ, & erudítiſſimæ bibliothecæ domini, domo tamen egredientes omnem illic eruditionem relinquunt: adeo rarum eſt, *ſine divite vena pulchra poemata pangere* (a). 3.° Et hinc eſt, quod innumeros paſſim homines in ſcholis detritos, & logicis præceptis ob temporis diuturnitatem jam fere rancidis infartos videamus, quibus, dum ratiocinandum, ſuadendum, & agendum eſt, doctor eſſe poſſit, qui ſcholam numquam ſalutavit, claram tamen a Deo mentem accepit.

LE-

(a) Horatius.

LECTIO SECUNDA

De Idearum Notione, & Origine.

§. I.

Idearum Notio, & prima Diviſio.

41. Omnes mentis operationes hactenus a nobis enumeratas noſtræ hominum mentes eliciunt, efformant, & aliquo modo memoria ſervant. Earum ſimpliciſſima, & prima, quam de rebus ut plurimum comparemus, atque eliciamus, eſt idea; ab ejus idcirco examine incipiendum. Quid autem illud eſt, quod *Ideæ* nomine ſignificamus? Facilius id tibi ipſi intelligis, quam aliis explices, aut definire poſſis: cum enim ſit ſimpliciſſima mentis operatio, & quaſi radix, & commune aliarum omnium elementum; aliunde vero humano intellectui ſit maxime intima, & ſemper familiaris; ipſamet ſe ſe menti explicat, ab ea explicari ulterius, & clarius nequit. (Inferius præterea probabimus ex definitionum legibus, claras, atque ſimplices ideas, & notiones definiri non poſſe). Ea nihilominus dici poteſt *pura viſio*, *perceptio*, *ſeu repræſentatio rerum mentalis*. Navem tibi aliquando, Americanum animal, machinam, exercitum committendo prælio inſtructum aliquis explicet: audis, machinæ partes, tibi ordine propoſitas, ordine percipis, & mente quaſi vides, inde totam machinam mente intueris, apprehendis, quin aliquid circa explicatam, & apprehenſam machinam pronunties, aut ratiocineris: En tibi rerum ideas, ex quibus deinceps judicia, ratiocinia, methodum componimus, aut elicimus.

42. Cum ergo ideam dicimus *puram mentalem rerum viſionem*, *ſeu perceptionem*, Judicia, Ratiocinationes, Methodum ſatis excludimus; hæc enim non ſunt puræ viſiones mentales objectorum; ſed de iis inſuper aliquid, affirmant, negant, dubitant, diſponunt; quæ quidem idea non peragun-

tur, qua res tantum repræſentantur, & percipiuntur. Diximus præterea; eas eſſe primas mentis noſtræ operationes; id vero eſt, quod a nemine inficiabitur: ſunt enim ideæ propoſitio, & cognitio rerum, quaſi cauſſarum: prius autem eſt proponi, & cognoſci cauſſam, quam ferre ſententiam: quare ipſum etiam loquendi uſum idea præcedit. De rebus enimvero, de quibus ideam nullam habemus, loqui non poſſumus: niſi pſyttacorum inſtar puro mechaniſmo agamus, qui imitatione tantummodo citra ullam rerum, quas dicunt, perceptionem loquuntur. Prius igitur eſt cogitare, hoc eſt, objecta percipere, quam loqui, atque objecta enuntiare.

43. Generali hac notione omnes, quæ multæ ſunt, Idearum ſpecies comprehendimus: & ut dandas poſtea diviſiones paullisper omittamus, primo Imaginationem, & puram ideam hac notione complectimur, in quas, tamquam in diſtinctas ſpecies, *Ideam* dividimus. Vel enim mentalis illa, & pura rerum repræſentatio in mente citra ullam ſenſibilem imaginem ſplendet; & peragitur, aut potius una cum imagine elicitur, aut in imagine conſiſtit, & videtur: ſi primum, illa erit *pura intellectualis rei idea*, *repræſentatio*, ſeu *perceptio*: ſi ſecundum illa erit imaginationis idea, quam definies: *Viſio*; *ſeu repræſentatio mentalis rerum ſub aliqua ſenſibili imagine*.

44. Quod autem hæc duo ſint inter ſe diſtincta, obviis exemplis, & animadverſione edocemur: actus mentis & voluntatis v. g. *Cogitationem*, *amorem*, *libertatem* apprehendimus; cum dicimus *volo*, *nolo*, *liber ſum*, *cogito*; dicta intelligimus, eorumque ideas habemus; citra ullam tamen materialem rerum imaginem hæc omnia nobis exhibemus: quæ enim eſt, amabo, cogitationis imago? Deinde ideas proculdubio rerum elicit homo & cæcus, & ſurdus; quo autem pacto in hujuſce hominis mente, quæ magna imaginum penuria laborabit, cogitationis, & propriæ exiſtentiæ ideæ ſub corporeis imaginibus repræſententur, difficile expedies. Quid tamen? non eſt omnis idea viſio, & repræſentatio?

quæ-

quænam autem ſine imagine videmus? Utique, ſed adde *pura intellectualis*, *aut non pura intellectualis*, *ſed ſenſibilis*, ut tota difficultatis umbra evaneſcat: aliquæ ſcilicet ideæ ſunt viſiones pure intellectuales.

45. Aliquando igitur res pure apprehendimus, immo & plures ſunt, quas ſub ſenſibili imagine imaginari non poſſumus. Ut plurimum tamen ob humanæ mentis infirmitatem, & objectorum, de quibus agimus, naturam, ideæ noſtræ ad imaginationem ſpectant: nonnumquam etiam utroque modo rem apprehendimus, licet ſenſibilis imago mentem ſuavius alliciat, fortius ad ſui contemplationem trahat, puramque ideam debilius allicientem obumbret. Rem illuſtrabunt exempla: vim cogitandi in anima cognoſco; apprehendo, certus de illa exiſto; ullam tamen illius imaginem ſenſibilem nec mihi fingere, neque aliis proponere poſſum: mundi creationem, alium etiam mundum poſſibilem mihi propoſitum ſub ſenſibilibus rerum præſentium imaginibus mihi repræſento. Deum Optimum Maximum cogito; quædam mihi hominis venerandi imago illico mentem pulſat: hujuſmodi imaginem vitioſam, & a vero abludentem eſſe facile agnoſco; aliam igitur Dei ideam mihi comparo puram & intellectualem, quæ a priori illa imagine toto cælo diſtat.

46. Idea igitur in puras, ſeu intellectuales, & imagines dividuntur: neque aliæ cum aliis confundendæ: Sunt, de quibus ſolam habemus ideam puram; de quamplurimis etiam ſolam imaginem; de multis tandem utramque elicimus: in hiſce poſtremis ad imaginem fere ſolam attendimus, quæ mentem magis ad ſe rapit, & delectat: unde hæc ſola eſt Poetarum, & Rhetorum propria, iiſque maxime neceſſaria.

§. II.

Idearum natura adumbratur.

47. Hactenus dicta vix in dubium vocari poſſunt: quod ſi aliquis datam idearum diſtinctionem neget; eſto, ſuam ille ſibi opinionem habeat; nihil enim inde in logicæ regulas incertitudinis derivabitur. Porro logica non eſt diſputatrix, licet diſputare doceat: Suum eſt, mentem certo dirigere, & ubique rectum ad veritatem iter demonſtrare: regulas igitur, quas ad id muneris tradit, eas eſſe oportet, quæ aut ab omni contentione ſint liberæ, aut ita demonſtrari poſſint, ut ab omnibus earum medullam enucleantibus, probari omnino debeant. Niſi res ita eſſet, nullam haberemus logicam, nullusque, qua eundum eſſet, agnoſceret; cum in ipſiſmet regulis examinandis in diverſa abiremus. Aliqua tamen ſunt, licet maxime dubia, quæ logicus deſiderare, aut omnino ignorare non debet; cum non exiguum illinc dicendis rebus lumen affulgeat: hujuſmodi ſunt, quæ modo ſummatim perſtringemus, in quibus opinionem potius noſtram alibi probandam indicamus, quam impræſentiarum ſtabiliamus: neque detrimenti aliquid in regulas logicæ derivabitur, licet unam, aut alteram opinionem teneas.

48. Quoniam igitur ideas noſtras *mentales rerum repræſentationes, puras*, aut *ſenſibiles imagines* eſſe diximus; quærimus modo, quid ſunt illæ imagines, ſub quibus res apprehendimus? viſi olim fluminis ideam ſervo, imaginem videre adhuc mihi videor: flumen illud, & cum olim vidi, & cum modo recordor, a me erat aliquot paſſuum millibus diſſitum: lucis tamen ope illius imago in oculorum meorum fundo fuit elegantiſſime depicta, ut fuſe in Optica Phyſica explicamus: illa tamen imago neque eſt idea, neque lux ad cerebrum uſque pervenit: illuc affectio ſolum, ſeu modificatio traducitur; bene eſt; verum hæc modificatio per nervum opticum tranſmiſſa, flumen poterit in cerebro,

bro, quaſi in tela, depingere? Confuſiſſima hæc ſunt; eſto tamen, demus illa parumper; illud igitur, quodcumque tandem rei ſit, in cerebro depictum, illa impreſſio, ſeu imago erit idea? Apage materialiſmum! etſi enim admitteremus delineari quamdam in cerebro objecti picturam, cum hæc pictura ſit materia, ſeu materiæ modificatio, idea autem ſit perceptio objecti; qui ejuſmodi picturam eſſe objecti ideam affirmaret, perceptionem, ſeu vim cogitandi materiæ, aut illius modificationi tribueret, quod eſt purus putus materialiſmus. Quod ſi qualiſcumque illa imago non eſt fluminis idea; erit ne potius hæc mentis illam imaginem intuentis, ſeu percipientis viſio, ſeu perceptio? Quid tamen eſt hæc viſio, aut potius perceptio? eſtne anima ipſa, aut actio quædam ab illa elicita? Præterea ideæ in mente noſtra aliquid luminis eſſe videntur, quo anima in tenebris antea exiſtens relate ad objectum modo apprehenſum, & cognitum illuminatur. Quid autem hoc lumen? Se forſitan mens noſtra illuminat, ſe ipſam docet, aut de objectis ſibi ignotis imaginem creat?

49. Habes paucis indicata quæ te, quantumvis rem mediteris, & omnes philoſophos per totum vitæ curſum exerceant, & meditantem ſemper fugiant. Etſi tamen minime hæc aſſequamur; animum ne deſpondeas: is enim mihi eſſes faber ferrarius, qui artem ſuam nullam eſſe, aut a ſe exerceri non poſſe exiſtimaret, propterea quod rationem ille non caperet, qua motus ab anima in ſpiritus animales, a ſpiritibus in muſculos, ab hiſce in brachium, a brachio in ferrea, aut lignea artis inſtrumenta tranſmitteretur. Bene ſcilicet noſtræ hominum artes ſtant, vel rationales illæ ſint, vel mechanicæ, licet illa ignoremus, quibus ea potiſſimum exercentur.

50. Hæc omnia in Phyſica viventium expoſita habes, quam conſulere potes: ne tamen vel animum ad alia diſtrahas, vel in rebus obſcuriſſimis diſputandis tempus inutiliter inſumas; mentem meam paucis accipe: 1.° Nullæ ideæ, vel puræ illæ ſint, vel ad imaginationem ſpectent, in

aliqua imagine in cerebro depicta conſiſtunt ; neque hujuſmodi imagines fieri, aut explicari aliqua ratione poſſunt. Hoc ſecundum a nemine, credo, negabitur : primum autem ſi inficies, in materialiſmum nollens manuduceres, ut jam ſuperius notavi. Omnis enim imago, aut pictura in corpore expreſſa, aut eſt corpus, aut modificatio corporis: jam vero ſi corpus, aut modificationem corporis ideam eſſe ſtatuas ; actum eſt de rerum ſpiritualium a materialibus diſcrimine, niſi rerum nomina immutes. Semel enim dato, quod corpora, ſeu materia, aut materiæ modificationes percipere poſſint, & objectorum perceptiones exiſtere, conſequens inde erit, omnia eſſe materiam, nullumque ſpiritum in rebus eſſe a materia diſtinctum.

51. 2.° Ideæ igitur, qualicumque tandem nomine donentur, ſunt actus, & perceptiones ipſius animæ circa objecta elicitæ, & quæ in anima veluti ſplendent, atque ab ipſa explicantur, cum primum illa certis quibuſdam modificationibus in corpore, & organis ſenſuum factis, determinatur, aut amplius ſaltem non impeditur. Rem videre mihi videor in lumine per denſam caliginem ſubſultim lucente, aut ſcintillante utcumque adumbratam, cujus radiatio explicatur, ſi luminoſum ipſum excites, aut interpoſita caligo rareſcat : interim tamen dum vivum lumen opacis impedimentis penitus circumdatur, nulla irradiatione ſe ſe explicat, ſed mortuo ſimile exiſtit. Duplex hæc agendi, aut lucendi ratio aliqualem mihi & imaginum, & intellectualium idearum ſpeciem exhibet: ſi luminoſum, hoc eſt animam, mediis organorum modificationibus excites, eæ oriuntur irradiationes, quæ ſunt excitantium rerum imagines : ſi impedimenta removeas, luminoſum ipſum, hoc eſt, anima dato ſibi a Deo, atque indito lumine, ſeu lucendi facultate ſpirituali modo irradiat ; hæc autem irradiatio erit intellectualis, & pura rerum idea. Cum luminoſæ materialis irradiationis exemplo utor, illudque ad res ſpirituales explicandum adhibeo, analogia tantum utor, quam hoc loco tantum indico, in Metaphyſica proſequuturus. Neque

que aliunde ignoro, quam latum ſpiritualis animæ luminis, ſeu irradiationis a materiali diſcrimen intercedat.

52. Quare in cerebro admitto quidem impreſſa rerum phantaſmata, ſeu veſtigia quædam per ſenſuum organa ad cerebrum traducta, ibique utplutimum ad tempus aliquod relicta, ut late in Phyſica Viventium expoſui. Hujuſmodi phantaſmata impreſſa, ſeu potius objectorum ſigilla, & inſculpta veſtigia, non ſunt ideæ; cum non ſint perceptiones mentis; ſunt ergo pura idearum excitamenta, & occaſiones, quarum ſingulis ſingulæ in mente ideæ reſpondent.

53. Duplex nobis opponitur opinio, Materialiſtarum prima ab *Hobbeſio* (*a*), & aliis propugnata: qui noſtras omnes cognitiones, & conſequenter ideas in cerebri modificationibus reponunt: Quo pacto impius hic error exponatur, & a nobis rejiciatur, vide in citato loco. Secunda in Scholis communiſſima tenet, ſignacula illa, & objectorum veſtigia, atque phantaſmata cerebro impreſſa, reapſe eſſe eorumdemmet objectorum imagines, & ideas materiales, *ſpecies impreſſas* ab ipſis nuncupatas, quarum ſingulis in mente reſpondent ideæ intellectuales: Utrum ſolo nomine hic diſſentiamus, ipſi viderint: mihi quidem idea ſolummodo eſt vera mentis perceptio, & actus, quo ipſa objectum repræſentat: nihilque aliud idearum nomine intelligo. Sunt homines cæci, in quorum oculorum retina objectorum imagines depinguntur: ſi hujuſmodi materiales picturæ, aut aliæ proculdubio etiam materiales, in cerebro impreſſæ vocari debent, aut poſſunt ideæ; tunc nihil eſt, quominus vitra omnia convexa veros idearum artifices dicamus; cum objectorum imagines poſt ſe, ut oculorum chriſtallinus, repræſentent: quidquid enim diſcriminis inter picturas in oculo expreſſas, & imagines in cerebro impreſſas intercedat, omnia tamen ſunt materialia. Quæ hic nobis opponunt Scholaſtici, vel

(*a*) Th. Hobbeſ. leviathan de Homine cap. 12. De cive cap. 45.

in ipſos recidit, vel nullius ſunt ponderis, citatiſque in locis luculenter diluuntur.

§. III.

Aliqua circa idearum originem, quantum in logica ſatis eſt, attinguntur.

54. In antiquiſſimum philoſophorum diſſidium, quod noſtra ætate maxime recruduit, modo incidimus, quæ ſcilicet ſit noſtrarum idearum origo, quæ cauſſa? quomodo producantur? A duobus, & amplius annorum millibus, a *Platonis* nimirum, & *Ariſtotelis* ætate hæc a philoſophis inquiruntur, & diſputantur. Paucis igitur accipe, & quæſtionis ſtatum, & diverſas hominum ſententias, & noſtram demum opinionem. Materialiſtæ, qui animas noſtras ſpiritus eſſe negant, ideas etiam omnes in quibuſdam partium cerebri motionibus reponunt: earum motionum, ſeu idearum cauſſæ ſunt corpora ipſa externa in cerebro per organa ſenſuum, & nervos agentia! Alio remittamus hujuſce erroris examen: vix enim hæc ad rem præſentem ſpectant.

55. Animam habemus, ſpiritum quidem a Deo creatum, intelligentem, & volentem, corpori organico infuſum, illud informantem, vivificantem, mediiſque ejus organis cum externis corporibus commercium habentem. Eſt ne hujuſmodi anima res cogitans, an potius ipſamet actualis cogitatio? quæſtionem metaphyſicam alio remittamus: priorem partem communiſſimam, & veram ponamus, ſi ergo eſt res cogitans, (vel ſemper cogitet, vel identidem ferietur), non eſt cogitatio, neque idea: cum ergo cogitare, atque objecta percipere cœpit: unde illi cogitationes, & ideæ advenerunt, quæ earum origo, fons, & cauſſa? illaſne mens ipſa ex ſuomet fundo parturit, aut a Deo accipit; an potius ab objectis per ſenſus acquirit? Habes rei totius ſtatum, & controverſiæ nodum.

Anno-

Annotatio hiſtorica.

56. „ Philoſophorum tentamina ad implexum „ hunc nodum ſolvendum ad tria capita reduci po- „ tiſſimum poſſunt: ideas ſcilicet vel animæ eſſe „ innatas, vel ab illa propria virtute elici, aut ab „ eadem tandem per ſenſus acquiri dixerunt: hoc „ eſt, vel Anima ideas in ſe innatas invenit, vel „ producit, vel acquirit.

„ Ut ab hoc ultimo incipiamus, antiquiſſima eſt „ opinio, omnes noſtras ideas ab objectis ſenſuum „ per ſenſus ipſos in cerebrum, & animam deri- „ vari, omneſque proinde ideas eſſe per ſenſus ac- „ quiſitas: ex quo antiquum illud proverbium: *Ni- „ hil eſt in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu*. „ Hæc fuit Peripateticorum, & quorumdam alio- „ rum communis ſententia, diverſe tamen a ſuiſ- „ met auctoribus expoſita. Sunt enim qui ab obje- „ ctis imagines, neſcio quas, circumquaque diffun- „ di, eaſque per ſenſus in cerebrum adveuire, ibi- „ que objectum menti, veluti in ſimulacro exhi- „ bere, autument. Illud prætérea ab aliis additur, „ hujuſmodi ſpecies materiales objectis ſuis ſimiles, „ poſtquam cerebro imprimuntur, ab activo intel- „ lectu illuminari, reddi intelligibiles, & in paſſi- „ vo tandem intellectu recipi.

57. „ Ideas omnes per ſenſus acquiri, cum- „ muniſſima etiam eſt recentiorum philoſophorum „ ſententia; quidquid tamen de expoſitis objecto- „ rum imaginibus, de intellectu agente, & patien- „ te dixerunt antiqui, & tenent etiamnum Scho- „ laſtici, a ceteris hodie philoſophis rejicitur. Si „ prima hæc ſententia eſt vera, anima omnibus „ ſenſibus deſtituta nullas haberet ideas, neque „ proinde cogitaret. Non pauci hujus opinionis fau- „ tores in materialiſmum declinarunt, cui (nol- „ lens forſan) favet *Joannes Locke* egregius philo- „ ſophus, & relatæ ſententiæ princeps.

58. „ Contra ideas eſſe innatas Platonici olim, „ noviſſime *Carteſius*, & *Leibnitius*, eorumque di- „ ſcipuli propugnant; multiplex tamen eorum ſen-

„ ſus

„ ſus: Platonicis enim omnes noſtræ ideæ erant „ menti ingenitæ, quæcumque tandem eſſet earum „ natura, ſpecies, & objectum: quem etiam ſen- „ ſum *Leibnitius* admiſit, licet rem ope Harmoniæ „ præſtabilitæ longe aliter exponat.

59. „ Alia longe eſt *Carteſii* a Platonicorum „ circa rem præſentem opinio ideas ille in tres claſ- „ ſes diſtinguit, *Innatas*, *Adventitias*, *Factitias*: „ ad primum ordinem ſpectant Idea Dei, princi- „ piorum evidentium, & ſimiles: ſecundi ordinis „ ſunt objectorum illorum ideæ, quorum motiones „ per ſenſus accipimus: tertiæ tandem illæ ſunt, „ quas Anima ſupra innatas, & adventitias ideas „ reflectens, easque contemplans, comparans, con- „ jungens, dividens, multiplicique alia ratione „ tractans propria virtute producit. Hæc ſententia, „ quidquid in contrarium excogitaverit *Lockius*, & „ alii, eſt admodum probabilis.

60. „ Sed vitandæ confuſionis gratia, ſedulo „ attendendum nobis eſt, quid *innatarum* idearum „ nomine philoſophi earum aſſertores intelligant. „ Quinam ſit Platonis ſenſus jam diximus, juxta „ *Carteſium* ideæ innatæ, prout ab illo admittun- „ tur ab adventitii, & factitiis diſtinctæ, illæ ſunt, „ quæ neque ſenſuum ope, neque arbitrio noſtro „ proveniunt, aut gignuntur, ſed a propria, & in- „ tima mentis natura, dataque illi a Deo indole „ neceſſario manant: *Non enim umquam ſcripſi, vel* „ *judicavi, inquit, mentem indigere ideis innatis,* „ *quæ ſint aliquid diverſum ab ejus facultate cogi-* „ *tandi: ſed quum adverterem quaſdam in me eſſe* „ *cogitationes, quæ non ab objectis externis, nec a* „ *voluntatis meæ determinatione procedebant, ſed a* „ *ſola facultate cogitandi, quæ in me eſt, ut ideas,* „ *quæ ſunt iſtarum cogitationum formæ, ab aliis ad-* „ *ventitiis, aut factitiis diſtinguerem, illas innatas* „ *vocavi*: (a) En tibi ideas innatas juxta Carteſii „ ſenſum a Platonico, & Leibnitiano toto cælo „ diverſum.

61. „ *Lockius* tamen, & plures alii, cum in-

„ natas

(a) Reſp. ad. Art. 12. Progr. Belgici.

„ natas ideas tefellunt, eas ſolummodo uſurpant „ pro quibuſdam notionibus, quas Deus humanis „ mentibus imprimit, cum animas creat: quæ quidem communior eſſe videtur idearum innatarum „ acceptio, prout a vera mentis repræſentatione „ diſtinguuntur.

„ Sunt e Carteſianis, qui dicant, omnes ideas „ eſſe a Deo, aliquas tamen eſſe innatas, alias „ vero tum in mente a Deo produci, cum reſpondentes quædam in corpore motiones accidunt. „ Poſtremum hunc diſcurrendi modum, qua parte „ animæ noſtræ vim omnem cogitationum ſuarum „ effectricem negat, cum humana libertate ægre „ componas. Juxta Platonicos igitur anima omnes „ ideas in ſeſe innatas invenit; ſecundum *Locke* „ omnes acquirit; ſecundum Carteſium aliquæ ab „ anima producuntur, & manant, cæteræ ſunt acquiſitæ, aut factitiæ.

61. „ Nihil in re præſenti *Nicolai Malebranchii* opinione magis ſingulare: mentes noſtræ, inquit, Deo ſecundum eſſentiam ſunt unitæ; quoniam igitur Deus in ſe habet omnium rerum „ ideas; nos etiam, objecta quæcumque noſcamus, „ in Deo videmus. Hanc ſententiam expoſitione „ ipſa, meo ſaltem judicio, ſatis rejicias: eamdem „ vix in lucem editam acrius, & ſalſius irriſerunt „ Galli, auctorem urbano hoc officio excipientes.

„ *Luy, qui voit tout en Dieu, n' y voit pas, qu' „ il eſt fou.*

„ Tandem ideas omnes a propria ipſius animæ „ vi, & efficacia creari, aut elici, cum certi quidam in cerebro, aut ſenſibus motus fiunt ideis „ ipſis reſpondentes, non pauci tenent; imprimis „ vero *Antonius Arnaud*, qui ideas a perceptionibus non diſtinguit, perceptiones vero a mente „ elici ſtatuit: quo circa acerrime inter eumdem, „ atque Malebranche diſputatum eſt.

63. „ Hujuſce loci non eſt harum opinionum „ momenta expendere: retuliſſe in tyronum logicorum gratiam ſatis exiſtimo: tenellas enim eorum mentes ſubtilibus hiſce metaphyſicæ argumentis penitus intelligendis aptas non eſſe lon-

„ ga

,, ga experientia didici : eos tamen non ignorare
,, velim quamcumque in re præſenti opinionem te-
,, neas, nullam inde in dandas regulas varietatem
,, derivari. Meum interim circa propoſitam diffi-
,, cultatem judicium, alibi probandum paucis ac-
,, cipe.

,, Primo. Materialiſtarum ſententiam, tamquam
,, impiam, rationi, & religioni contrariam prorſus
,, rejicimus.

,, Secundo. Singularem Malebranchii opinionem
,, a ratione prorſus alienam exiſtimo.

,, Tertio. Quidquid Scholaſtici de imagine illa
,, objectorum materiali ab objectis ipſis evolanti,
,, cerebroque impreſſa, de illius illuminatione, &
,, ad ſpirituum ordinem elevatione, de intellectu
,, agente, atque patiente affirmant, res prorſus fi-
,, cta, atque imaginaria mihi eſt.

40. ,, Quarto. Ideæ noſtræ, hoc eſt, mentis
,, repræſentationes, a mente quidem ipſa eliciun-
,, tur, aut manant: ſed præter eam mentis effica-
,, ciam, a qua tamquam á cauſſa fluunt, aliæ ab
,, innatis ſpeciebus, ſeu notionibus menti noſtræ
,, a Deo inditis; maxima tamen pars ab ſenſuum
,, actionibus, & phantaſmatibus; aliæ demum a
,, meditatione noſtra originem ſuam ducunt. Qua-
,, re quod ad rei fundum, licet maximam idearum
,, partem acquiſitam eſſe, aut meditatione partam
,, dicamus; mentis tamen efficaciam, & motiones
,, quaſdam animæ a Deo inditas, quibus anima ipſa
,, ad Dei, & primorum principiorum cognitionem
,, perveniat, tenemus. Utrum vero motiones illæ
,, humanis mentibus ab illo inditæ, *qui illuminat*
,, *omnem hominem venientem in hunc muudum*, ap-
,, pellentur a te ideæ, nec ne, nihil moror. Sed
,, hæc omnia, quæ difficilia ſunt, late in metaphy-
,, ſica expendimus.

64. ,, Addo tamen quamplurima a me circa
,, idearum originem, & naturam ignorari, qui ni-
,, mirum illæ ſint humanæ mentis actus, quomodo
,, mentem illuminent, ab ea eliciantur, in illa re-
,, ceptentur; quid etiam ſint illæ impræſſiones Dei
,, in anima; quo demumpacto phantaſma materia-
,, le

„ le per ſenſus in cerebrum translatum, ibique im-
„ preſſum ad ſpiritualem cognitionem conducat,
„ in eamque influat, ut jure merito dici poſſit,
„ ideas per ſenſus acquiri: Hæc, inquam, omnia
„ ſpes nulla affulget, ut in præſenti vita enuclee-
„ mus, atque percipiamus.

LECTIO TERTIA.

De Idearum diviſione, & affectionibus intrinſecis.

65. Hactenus idearum noſtrarum notionem, originem, naturam ſummis labiis, quantum tyroni logico ſatis eſt, perſtrinximus. Eæ ſcilicet ſunt omnium noſtrarum cognitionum, ſcientiarum, & artium Elementa, a quibus, ſi male examinentur, innumeri errores & præjudicia; ſi bene internoſcantur, rectus noſtræmet mentis, judiciorum, & opinionum uſus, tamquam uberrimi fructus deducuntur. Ad peculiares modo idearum affectiones examinandas deſcendamus, ut iis omni ex parte perpenſis noſtrorum errorum fontes detegamus, & rectum veritatis, atque prudentiæ tramitem teneamus. Ut id aſſequamur, naturam ſemper inſpiciamus. In humana mente, poſtquam in lucem editis prima rationis crepuſcula albeſcere incipiunt, primum eſt, rerum, quibus circumdamur, allicimur, offendimur, & in quæ curioſe rapimur, ideas nobis comparare in id fere unum toti illa ætate ſumus. Quin immo infantiam jam prætergreſſi, cum in nova incidimus, princeps illud nobis eſt, ut rei ignotæ ideam comparemus: comparatis ideis, aut idearum objectis ſua nomina vel imponimus, vel impoſita jam memoriæ mandantes, judicia, propoſitiones, & ratiocinia nobis, aut aliis efformamus. Hunc ergo ordinem, natura duce, ſequamur.

§. I.

§. I.

Idearum noſtrarum Diviſio.

66. Ideæ, quas mens noſtra prædita ratione, ſecundum varias philoſophorum ſententias, acquirit, elicit, aut inditas explicat, multiplici modo ſpectari poſſunt, nimirum vel relate ad ſuam originem, & cauſſas, vel abſolute in ſeipſis, vel relate ad objecta, quorum illæ ſunt imagines. Secundum triplicem hanc conſiderationem varie ideas noſtras dividimus. Ex primo ſcilicet capite eas omnes dividimus in Ideas *innatas*, *acquiſitas*, *factitias*, quarum notiones ſuperius dedimus, & quid circa illa teneamus, paucis indicavimus.

67 Admitto ſcilicet, tamquam rem admodum probabilem, aliquas eſſe ideas humanis mentibus innatas. Eas ego hoc nomine appello, quæ vel ex notionibus peculiaribus animæ a Deo inditis, vel ab propria ipſius animæ energia, & natura profluant, quæ naturali ſua perſpicacia Deum, & univerſalia, atque evidentia principia cogitat, cum primum cogitandi impedimenta tollantur. Ipſas vero motiones, aut naturalem mentis perſpicaciam *ſpeciem*, *vimque innatam* appellare poſſumus.

68. Maxima tamen idearum pars ad duos alios ordines ſpectat. *Acquiſitas ideas* nuncupo illas, quas mens noſtra ope ſenſuum, ſeu objectorum per ſenſuum organa in cerebro agentium de objectis ipſis elicit, & quas in hoc rerum ſtatu non eliceret, niſi prædictæ objectorum impreſſiones præcederent: hujuſmodi ſunt ideæ civitatis, in qua vivo, corporum omnium, quæ tangimus, videmus, ſentimus, & innumeræ aliæ.

69. *Factitiæ* ſunt illæ, quas mens noſtra ſupra ideas ſuas innatas, aut acquiſitas reflectens, aut ab iis ſimul excitata proprio genio, vi, atque energia elicit. Hujuſmodi ſunt illæ ideæ, quas de rebus in ſenſus noſtros nunquam incurrentibus, ſed vel auditu ſolummodo acceptis; vel imaginatione oblatis elicimus, aut affingimus, v. g. cum hiſtorias

rias legimus, cum rerum Indicarum imagines nobis legendo efformamus, cum ſpatia ultra mundum concipimus &c. Poſt longam argumenti, atque idearum mearum meditationem, rem ita concipio. 1. Cum ideas in pure intellectuales, & in ſenſibiles imagines, imaginationis ſcilicet, aut phantaſiæ opus ſupra diviſerimus; ideæ innatæ ad primum ordinem, aquiſitæ ad ſecundum, factitiæ partim ad primum, partim etiam ad ſecundum ſpectant: *innatarum* enim idearum objecta ſunt Deus principia evidentia, & alia hujuſmodi puræ intellectionis objecta: *acquiſitas* a ſenſibus immediate accipimus; ſunt igitur ſenſibiles, & objecta ſua ſub ſenſibilibus imaginibus repræſentant.

70. *Factitiæ* non immediate ab objectis, ſed ab objectorum ideis, aut ab eorum veſtigiis cerebro, aut animæ impreſſis oriuntur, ſeu excitantur: pro ſpecierum igitur indole mentis energia, atque ſubtilitate modo rem ſub ſenſibili imagine, modo pura ratione ſibi repræſentabit.

71. 2. *Factitias* ideas nobis potiſſimum comparamus, atque elicimus, cum aliarum idearum objecta comparamus, conjungimus, dividimus, ampliamus, diminuimus, perfectius, aut imperfectius, ſecundum plures, aut pauciores partes copulamus: ex aliarum etiam idearum ſimilitudine, proportione, partibus alias nobis architectamur. Parvum v.g. armatorum militum manipulo militari ordine diſpoſitum bellicas evolutiones peragere vidimus, gladios, ſclopeta, tormenta bellica, uno verbo, ſingula militaris apparatus capita in parvo illo militarum numero obſervavimus: cum poſtea igitur hiſtoriam legendo in magni exercitus mentionem incidimus, commiſſum prælium, fugam, ſtragem legimus; priores illas ideas ſenſibus comparatas ampliamus, multiplicamus, alio, & alio ordine diſponimus, eoque pacto novi illius rerum ſpectuali; quod numquam vidimus, ideam nobis comparamus.

72. Tertio. Ad tertium hunc idearum ordinem illæ ut plurimum ideæ ſpectant, quas mens noſtra rerum, librorum, ſcientiarum ſtudio inſtructa,

cta, & locupletata ex proprio elicit fundo: Eas maxime eliciunt fertiles illorum hominum mentes, quas creatrices vulgo appellamus: ex qua fœcunditate facilis ad poeſim vena, quædam dicendi amœnitas vividis multiplicium rerum imaginibus, & metaphoris ornata provenit. Summa igitur rerum eſt, quod ideæ omnes ſint aut *acquiſitæ*, aut *factitiæ*, aut *innatæ*: primæ a *ſenſatione* objectorum originem ducunt; ſecundæ a *reflexione*, hoc eſt comparatione, ampliatione, diminutione idearum, tertiæ ab *ingenito animæ lumine*, aut *energia* ipſius animæ per hujuſce luminis irradiationem explicantur, &, ſi ita de rebus ſpiritualibus loqui licet, evolutione producuntur. Innatæ brevi numero comprehenduntur: quod ceteras attinet, infinita pene eſt in humanis mentibus varietas. Infantes, rudes, ignorantes acquiſitis magis, quam factitiis abundant; contra vero litterati ut plurimum homines diuturna librorum lectione detriti.

73. Quarto. Omnes prædictæ ideæ, quæ relate ad cauſſam, & originem *innatæ*, *factitiæ*, *acquiſitæ* nuncupantur, in ſeipſis ſpectatæ in *claras* & *obſcuras*, in *diſtinctas* & *confuſas*, in *ſimplices* & *compoſitas* dividuntur: quarum notiones, diſcrimina, & proprietates modo conſiderabimus.

74. Quinto tandem omnes recenſitæ ideæ, quas ad originem ſuam retulimus, & in ſeipſis conſideravimus, ad objecta etiam inferuntur, eaque relatione pro objectorum varietate, & natura dividuntur in *ſingulares* & *univerſales*; in *relativas* & *abſolutas*; in *adæquatas* & *inadæquatas*; in *abſtractas* & *concretas*; in *reales* & *non reales*; in *intuitivas* & *abſtractivas*; in *veras* & *falſas* &c. Quarum exempla, & notiones paullo inferius dabimus.

§. II.

§. II.

Ideæ relate ad mentem, ſeu potius in ſe ipſis conſideratæ: hoc eſt, De Ideis claris, & obſcuris, diſtinctis, & confuſis.

75. Claritas, & Diſtinctio, ſicut etiam confuſio, & obſcuritas, promiſcue ut plurimum accipiuntur: in re tamen præſenti diſtingui etiam poſſe videntur, ita ut claritati opponatur obſcuritas, diſtinctioni confuſio. Utcumque res ſit, illa eſt idea *clara*, quæ vivide in nobis ſuum objectum, aut objecti imaginem repræſentat, ita ut vel objectum videre nobis videamur (ſi ſenſibile ſit, atque corporeum) vel vivido quodam lumine nos percellat, & tenebras e mente depellat. Clara igitur eſt idea, quam de noſtramet exiſtentia habemus: clare intelligimus nos cogitare, mundum exiſtere, cogitationes noſtras non eſſe materiam, Deum exiſtere, quantumvis duo hæc poſtrema in dubium ab Atheiſtis, & Materialiſtis vocentur. Et hæ quidem ideæ ſunt pure intellectuales; quam plurimæ etiam ex acquiſitis, atque ad imaginationem ſpectantibus, bene multæ ex factitiis claræ ſunt. Interim tamen diligenter notandum, aliquas eſſe ideas omnibus cogitantibus claras, ut idea doloris, cogitationis, exiſtentiæ; alias vero eſſe, quæ acutioris ingenii, atque a præjudiciis magis liberi hominibus claræ ſunt, aliis vero confuſæ, ut paſſim obſervamus, dum rem eamdem diverſis hominibus explicamus, aut deſcribimus.

76. *Ideæ obſcuræ* erunt illæ (ſunt vero innumeræ) quæ ita nobis objecta ſua exhibent, ut maligna tantum luce illa videamus, aliquidque ulterius deſideremus, quo noſtra videndi, atque ſciendi aviditas expleatur: ad eum modum, quo rem aliquam vel e longinquo, vel ſubobſcura luce offuſam curioſe obſervantes, vix umquam animum explemus, aut nobiſmet ipſis facimus ſatis, licet pluries in objectum collineemus, & connitamur. Major noſtrarum idearum pars ad hunc ordinem ſpectat.

ctat. Obſcurarum idearum exempla in infinitarum pæne rerum, quas cogitamus, audimus, legimus, deſcriprionibus habemus. Aſſumptis *Cæſaris* commentariis, *Curtio*, aut *Arriano*, Cæſarem in Galliis, aut Alexandrum in Aſia ſequere: niſi Geographiam, Topographiam, Artem bellicam illorum temporum, & nationum calleas, elegantiſſimæ illæ hiſtoriæ obſcuras ut plurimum tibi in cerebro imagines, & ideas depingent.

77. Ideæ ſunt magis, vel minus claræ, magis, minuſve obſcuræ: Sunt etiam quamplurimæ ex parte quidem claræ, deinceps vero obſcuræ. Ita Demonſtrationem geometricam ad certam uſque conſequentiam vides, aut perceptam olim recordaris, cætera ſubobſcure intueris. Montes in luna eſſe clariſſime agnoſcimus, cum plurimæ tamen aliæ lunaris ſuperficiei partes nobis non ſint clare notæ; hinc de tota illius planetæ ſuperficie obſcuram ſolummodo ideam habemus.

78. Si ideæ non tantum objecta ſua, ſed eorum etiam partes nobis vivide repræſentent, ita ut non tantum integrum objectum ab aliis, ſed partes etiam a partibus diſtinguamus, illæ nobis erunt *ideæ diſtinctæ*, vel ſi mavis, circa objectorum partes *claræ*: quod ſi objecti partes tibi non repræſentent diſtinctas; erunt hujuſmodi ideæ *confuſæ*. *Confuſio* igitur cum *obſcuritate*, *claritas* cum *diſtinctione* confundi etiam poſſunt: idea enim non tantum integrum objectum, ſed ejus etiam partes vivide repræſentans, & diſtinguens, pro clara & totius, & partium idea uſurpari poteſt.

79. Maxima noſtrarum idearum pars, quoad vivimus, confuſione, & obſcuritate laborat, idque vitii ex indicandis ſtatim fontibus potiſſimum derivatur. Claræ, & diſtinctæ idearum exempla tam inter innatas, quam inter acquiſitas, & factitias, tam inter pure intellectuales, quam inter phantaſticas deprehendemus, ſi rem attente obſervemus. Quamplurimi tamen ſunt in ſingulis hiſce idearum ſpeciebus claritatis, vel diſtinctionis, confuſionis, aut obſcuritatis gradus. Rem exempla breviter illuſtrabunt.

80.

80. Idea, quam de Deo, & primis Legis naturalis principiis habemus, *Deum ſcilicet eſſe ſuper omnia amandum; nemini malum inferendum; virtutem colendam; nulli faciendum quod, ſi nobis inferatur, ægre feramus, & jure doleamus*; hæ, inquam, ideæ, quæ ad innatas, & pure intellectuales ſpectant, claræ quidem ſunt, ſed non diſtinctæ, aut omni claritate præditæ. Prima circa Dei exiſtentiam, & neceſſitatem eſt clara, circa Numinis naturam, & attributa eſt maxime confuſa, & obſcura. Poſteriores inconcuſſam univerſalium illorum principiorum veritatem clare nobis exhibent; ad quos tamen caſus prima illa rationis dictamina nos ſingillatim adſtringant, non adeo clare repræſentant.

81. Figurarum corporum ideæ inter acquiſitas, aut factitias recenſentur: earum plures claræ, immo & diſtinctæ ſunt circa eorumdem figuram; obſcuræ autem, & maxime confuſæ, ſi ad veram Corporum naturam, & proprietates referantur. Contra vero multiplicem nobis & claram, & diſtinctam ideam ſuppeditat Geometria; non tantum enim quæ ſit trianguli rectanguli notio, & natura, manifeſte mihi oſtendit, verum etiam illius proprietates, & partium relationes clariſſime demonſtrat. De rebus omnibus ſenſibilibus mira eſt noſtrarum idearum confuſio, atque obſcuritas. Harmonicum inſtrumentorum concentum audis: quid de eo exiſtimas? ubinam eſt, quæ te delectat harmonia, & ſonus? extra animam, dices, in inſtrumentis ipſis, & per totum aerem circumfuſum: ſuaviter enim vero erras. In aere, & inſtrumentis, nihil eſt, præter materiæ, motum, tremitum, tremorem; & repetitos ictus: iſtane vero harmoniæ dulcedinem, qua mire delectaris, nuncupabis? minime, dices: harmonia igitur, ſonus, concentus, & eorum ſuavitas ſunt tantummodo in anima: vera quidem hæc ſunt, licet ab vulgi opinione, & communibus præjudiciis aliena quo tamen modo, pergimus, hæc omnia in anima gignuntur, illam afficiunt, ad illam perveniunt? in reconditiores Phyſicæ ſinus rimamur: interim quanta ſit in re maxime ſenſibili, &, ut forſitan exi-

ſtimabas, clara idearum obſcuritas facile deprehendis: ab uno vero diſce omnia

82. Illud claris, diſtinctiſque ideis proprium, & peculiare eſt quod ſcilicet illæ menti ſatisfaciant, animum ſuaviter delectent, & quamdam in ſe ipſis veritatis notam contineant, ut poſtea explicabimus: dum ex adverſo ideæ obſcuræ, & confuſæ (niſi Divinæ alioquin infallibili auctoritati evidenter probatæ innitantur) quamdam in anima inquietem, &, ita fas eſt dicere, ob male perceptum objectum triſtitiem linquunt. Ita dum teleſcopio planetas, inermi oculo terreſtria corpora longinqua, & meditatione remotiorem temporum; aut mundi antiquitatem perpendimus, aut rimamur, ſubobſcura illa rerum, & objectorum viſio, aut contemplatio noſtrum ſciendi pruritum potius acuit, quam expleat.

83. Bene multa hoc etiam loco circa idearum claritatem quæri poſſunt. Quæ etenim, inquis, illa erit mihi nota, ex qua ideæ claritatem dignoſcam? repræſentationis vividitas, dixi: Bene eſt, ſed hæc vividitas, pergis, infinitos pene habet in eadem etiam mente claritatis, & intenſionis gradus, ut facili reflexione ſupra noſtraſmet ideas habita animadvertere poſſumus: quæ igitur erit in tanta claritatum, atque intenſionum varietate, & diſcrimine vera ideæ claræ characteriſtica nota? Rurſus quanta non modo in diverſis, verum in eadem etiam mente de eodem objecto pro diverſis temporibus idearum varietas? Circa illas etiam veritates, quas & certa, & univerſalia principia, & diſtinctarum idearum objecta dicimus, eſt ne idem, aut ſimilis omnium hominum ſenſus? Tandem cum objectorum ideis, in totius vitæ curſu ducamur; omneſque nos in felicitatem tendere via ad rem aſſequendam tuta amemus, qui fieri poteſt, ut in re tanti momenti ideis ut plurimum obſcuris ducamur? Vide totius rei explicationem inferius, cum de veritatis criterio, enthuſiaſmo, & fanatiſmo agimus.

§. III.

§. III.

Confuſionis, & Obſcuritatis Idearum Fontes.

84. Potiſſima, ut diximus noſtrarum idearum pars, quoad vivimus, eſt maxime confuſa, & obſcura, ut propria experientia edocemur. Juvabit autem potiſſimos ſaltem hujuſce confuſionis fontes agnoſcere, ut quæramus, ſi fieri poſſit, communi malo remedium, vel ut naſcentes inde errores evitentur. Prima obſcuritatis, & confuſionis origo eſt hebes, & obtuſa humani ingenii acies, atque percipiendi facultas, quæ partim ex noſtramet hominum conditione, partim ex præſenti animæ in corpore ſtatu, partim etiam ex peculiari cerebri, aliorumque organorum diſpoſitione provenit. Ex poſtremo hoc capite fit, ut alii aliis ſint ingenioſiores, miraque inter hominum ingenia varietas obſervetur: quæ quidem varietas ex mille non ſatis notis cauſſis oritur, & vix ullum patitur ab arte remedium: eam, qua quis naſcitur, ingenii perſpicaciam a cunis ad ſepulchrum ut plurimum ſervat; licet artium, ſcientiarum, & humani commercii cultura mentem inſtruat, erudiat, uſu ipſo doceat, atque expediat: quod tamen ingenii fundum attinet, vix in melius mutatur.

85. Secundus obſcurarum idearum fons eſt humanæ locutionis neceſſitas, certis ſcilicet ſonis, & vocibus prolatis, aut ſcriptis intima noſtra ſenſa, atque ideas exprimimus, aliiſque ſignificamus. Porro ſi rerum ideas ſine ſenſuum ope acciperemus, & mutuo in nobiſmet ipſis videremus; melius idearum obſcuritati conſuleretur; cum vero & ideas per ſenſus, aut mediis quibuſdam motionibus in cerebro acquiramus, aut excitemus, eaſque medio ſolummodo materiali ſono aliis comunicemus, aut ab aliis accipiamus; fieri non poteſt, quin obſcuritas inde augeatur: neque enim eadem voce idem, aut eadem claritate intelligunt, ſignificant, atque exprimunt. Rem in lingua etiam viva animadvertimus; mortuas enim nullus omnino mortalium eſt,

qui maximam partem non ignoret. Iiſdem ſane verbis, &, ſonis ideas ſuas exprimunt plures hominum milliones: quanta in infinita hac multitudine ingeniorum perſpicaciæ, claritatis, & imaginationis varietas? qualenam etiam inter ipſos diverſorum hominum ſenſus diſcrimen? Quoniam igitur hiſce omnibus idearum fontibus, fontiumque varietati diverſæ reſpondent ideæ; quanam idearum diverſitate uno eodemque verbo ejuſdem nationis homines utantur, nemo non videt.

86. Tertius: Ideas ſæpiſſime ex natura rei diſtinctas aſſociamus; quæ contra in rebus ſunt idem, in partes diſtinguimus, atque res hoc modo male diſtinctas, aut aſſociatas aliis tradimus: diverſis, exempli cauſſa, ideis, nominibus, & notionibus plurima Dei entis ſimpliciſſimi attributa, juſtitiam, miſericordiam, immenſitatem exprimimus: qui diverſis hiſce ideis res omnino diverſas reſpondere arbitraretur, immane quantum a veritate deflecteret, & quanam confuſione rem ſibi repræſentaret.

87. Quartus tandem eſt, ut plures alios omittam, nimia in rebus apprehendendis, & tradendis præcipitantia, quin ullus detur reflexioni, aut examini locus. Quod ſuperius numero 81. circa ideam de phyſica natura ſoni, atque harmonia annotavimus, ſatis noſtrorum mentis actuum præcipitantiam oſtendit: qui pedetentim procedit, & ſcrupuloſe rem totam ad ſonum ſpectantem examinat, longe aliam, atque præceps vulgus, clariorem, diſtinctioremque ideam comparat.

§. IV.

Aliqua noſtrarum Idearum Confuſionis, & Obſcuritatis Remedia.

88. Cum in id collineet logica, ut mentem doceat, qua ratione errores devitare, & recta ad veritatem tendere poſſit; præcipua autem errorum cauſſa ex idearum obſcuritate deſcendat; operæ pretium erit aliqua hic annotare, quæ prædictam obſcu-

obſcuritatem imminuant. Primo tamen ſi mens priori vitio, hoc eſt, nativa percipiendi hebetudine laboret, vix ullum adhiberi, aut inveniri poteſt ſalutare remedium. Res, credo, eſſet Experimentalium Phyſicorum, & Medicorum meditationibus digna, & argumentum æque curioſum, atque hominibus forſitan aliquando etiam utile, humanæ mentis hebetudinem, tamquam veram, & phyſicam animæ, ſeu potius cerebri ægritudinem ſpectare, & exinde hoc ſibi problema magno totius humani generis beneficio ſolvendum proponere, *nativum ſcilicet hominis ingenium meliorare*. Poſſe problematis ſolutionem non citra rei obtinendæ ſpem tentari, inde mihi perſuadeo, quod ingenii perſpicacia major, vel minor (quantum præſens animæ ſtatus, & conditio ferunt) ab noſtri cerebri ſtatu dependeat; omnes enim humanas animas æqualis eſſe perfectionis, communis eſt omnium ſenſus. 2.° Paſſim videmus homines mentis antea ſanæ ſola cerebri læſione inſanire, inſanos ad priſtinam ſanitatem phyſicis medicamentis reſtitui. 3.° Infrequens etiam non eſt, homines acuto ingenio præditos hebeſcere, repueraſcere, & convaleſcere. Ex his, inquam, ſperari poſſet phyſico illi, & communiſſimo animæ malo remedium. Vide, quæ dicimus in Phyſica Viventium.

89. Secundam obſcuritatis originem a vocabulorum uſu, & neceſſitate natam effugiemus, primo ſi eam, quam loquimur linguam, & proprias verborum ſignificationes a communi hominum ſenſu, & uſu confirmatas recte intelligamus; aliter neque noſtras aliis communicare, neque aliorum ideas intelligere poterimus. Id facile obſervabis, ſi aliqua ab una in aliam linguam non ſatis tibi notam, vel viciſſim transferre pericliteris: tum enim vero eſt, quod de genuina verborum, phraſiumque ſignificatione dubitamus, atque utriuſque linguæ diſcendæ neceſſitatem, & noſtram præterea, dum loquimur, oſcitantiam agnoſcimus. Litterati homines ne dimidiam quidem ut plurimum propriæ linguæ partem; vulgus vix quintam, aut ſextam callet. Bene multis non probabitur hæc ſententia; ſi

rem tamen non perfunctorie, ut fieri ſolet, ſed ut philoſophi examinent; plurimum a me eorum eruditioni datum comperient. Secundo, ſi verba æquivoca tollas, aut quonam in ſenſu a te, dum loqueris, vel ab alio loquente, vel ſcribente accipiantur, prius explices, aut explicari petas: Omnes linguæ innumeris pene æquivocis ſcatent: longiſſime ſcilicet major eſt in qualibet gente idearum, quam verborum numerus: plura idcirco uno eodemque verbo ſignificare opus habent. Tertio ſi verba ipſa dubiæ ſignificationis, & quæ ad diverſos ſenſus trahi poſſunt, prius definias.

90. Dicitur autem hæc *nominis definitio*, paſſim apud Geometras, Phyſicos, & alios ſcientiarum Scriptores claritatis gratia adhibita. Eſt igitur hæc propriæ verbi ſignificationis determinatio: ſic cum multiplex ſit hujus vocis *ſpiritus* ſignificatio, (rem enim *immaterialem*, *halitum*, *reſpirationem*, *partes ſubtiliſſimas* ſanguinis, aut liquorum ſignificat), pro rei oportunitate dices, ſpiritus nomine ſubtiliſſimas partes ſanguinis per glandulas percolatas intelligo. Niſi ita fiat, cum de ideis non conveniamus, neque nos mutuo intelligamus, neque ullus erit diſputandi finis. Porro omnia lexica, & dictionaria ſunt totidem vocum definitionum acervi, & promptuaria ſingulis nationibus peculiaria.

91. Tertium confuſionis principium ex parte ſaltem tollemus, ſi ideas ipſas (cum ſimplices ſunt) alias ab aliis ſeparemus, quæ in objecto clara ſunt ab obſcuris diſtinguamus, & unicuique proprium claritatis, aut confuſionis gradum tribuamus. Si vero ideæ ſint ex plurimis aliis complexæ, eas item in partes ſuas diſtinguamus. Animam noſtram exiſtere, & non eſſe materiam, clare percipimus; de ſpiritu interim, & intima animæ ipſius eſſentia, unione cum corpore, & aliis ſimilibus aut nullas, aut confuſiſſimas tantum habemus ideas: ſi igitur materialiſta aliquis ex hac idearum confuſione aut defectu animam noſtram ſpiritum non eſſe argumentaretur, aptiſſime illi reponeremus diſtinguamus, amabo, quæ clare, ab iis, quæ confuſe percipi-

cipi-

cipimus: clare percipio *me eſſe*, *cogitare*, *rem cogitantem non eſſe materiam*: hiſce inſiſtamus, cetera parumper omittamus.

92. Quartus obſcuritatis fons majorem hominum partem per omnem vitæ curſum comprehendit: Sunt, quorum in mentem objecta, & ideæ, tamquam fulgura pertranſeunt, & aut vix ſcintillant, aut citiſſime evaneſcunt, priſtinamque obſcuritatem poſt ſe relinquunt: major tamen pars oppoſito laborat vitio, & non ſolum tarde rerum ideas comparare ſibi ſtudet, verum etiam in ipſarum idearum, quas legendo, audiendo, videndo acquiſivit, priori cortice ſiſtit.

LECTIO QUARTA

De Ideis relate ad earum objecta conſideratis, ſeu de multiplici idearum noſtrarum objecto.

93. Cum ideas noſtras ad objecta referimus, eaſque hoc modo relatas conſideramus, duplici adhuc ratione eas ſpectare, dividere, atque tractare poſſumus: vel repræſentationes, atque expreſſas imagines objectorum conſideramus, vel potius objecta in repræſentationibus ipſis expreſſa: utroque modo ſpectatæ multiplices habent diviſiones, quæ maxime in re logica attendi debent; cum in ſcientiis, artibus, & toto humanæ ſocietatis commercio infinitum pene habeant uſum. Quin etiam quæ hic de ideis dicemus, quodammodo etiam iis terminis, & vocibus a philoſophis applicari conſueverant, quibus ideæ ipſæ exprimuntur, & ſignificantur. Et hinc veteres Scholaſtici nihil, aut pauca de ideis, de terminis vero, ſeu vocibus plurima explicabant.

§. I.

§. I.

De Ideis ſingularibus, Univerſalibus, particularibus, & abſtrahendi ratione.

94. Vix in lucem edimur, cum objecta, quibus circumdamur, in nos agere incipiunt, de quibus poſtea ad primum rationis lumen diverſas elicere ideas incipimus: primus ille idearum noſtrarum ordo actionum objectorum ordinem ſequitur; objecta autem, quæ in nos agunt, ſunt ſingularia corpora, aer, aqua, & alia quibus afficimur: poſtea vero uſu ipſo edocti, & clareſcente ratione; cum jam mens humana ex ſuo veluti fundo, atque proprio marte efficere aliquid valet, a ſingularibus peculiarium corporum ideis, primum a nobis perceptis, ideas pluribus communes, magis, & magis univerſales elicimus, dum objecta ſingularia, eorumque ideas reflexione mentis inter ſe comparamus.

95. Omnes igitur noſtræ ideæ, vel innatæ illæ ſint, acquiſitæ, aut factitiæ, vel claræ, aut confuſæ, ſi ſecundum objecta attendantur, ſunt *ſingulares*, aut *communes*; in re enim omnes ideæ ſunt ſingulares, determinatamque, atque individuam habent naturam: eſtque iſta prima idearum diviſio ex objectis, & ex ipſomet naturæ ordine petita. *Singularis idea* eſt, quæ ad individuum aliquod objectum ſpectat, idque unum repræſentat, nullique alii competere poteſt. Sic idea vaſtiſſimæ ſphæræ igneæ lucidiſſimæ circa tellurem perenniter vere, aut apparenter girantis, ex qua lumen accipimus, eſt idea ſingularis noſtri planetarii ſolis. Hujuſmodi ideas omnium primas, ut dixi, acquirimus; cum ab immediatis objectorum ſingularium actionibus pendeant: ſæpiſſime tamen fit, ut quas ſingulares exiſtimavimus, communes poſtmodum eſſe deprehendamus.

96. *Idea communis* eſt, quæ pluribus objectis convenit, ſeu plura repræſentat: ita *homo niger* eſt idea communis majori Affricæ incolarum parti competens.

petens. Ideas communes ut plurimum acquirimus meditando, obſervando, & comparando rerum ſingularium notiones: ſæpiſſime ex cauſſa animadvertimus, pluribus competere, quod unius aliquando proprium eſſe exiſtimavimus. Communes ideæ diverſos habent amplitudinis gradus, aliæque aliis latius patent, ut modo dicemus.

97. Ideæ ſingulares, cæteris quidem paribus, ſunt communibus perfectiores, cum non ſolum partem, in qua objecta plura conveniunt, ſed etiam in qua individua diſtinguuntur, exprimant, non vero communes. Quod aliis terminis eſt dicere, *idea communi* non niſi partem, *ſingulari* vero totam objecti naturam exprimi poſſe: poterit tamen viciſſim communis ſingularem claritate, aut diſtinctione ſuperare.

98. Communes elicimus ideas mentis abſtractione, ut dicitur, hoc eſt, cum ad ea ſolum capita, & rationes attendimus, in quibus objecta plura conveniunt, quin ad individua, & magis propria prædicata animadvertamus; ita cum nos vivere ex propria conſcientia agnoſcamus, inſimulque in brutis omnibus eadem ſimul deprehendamus, quæ nos vivere dicimus; ſi ad vitæ tantummodo notionem attendamus, & hoc unum *vivere* conſideremus, ideam *viventis* elicimus omnibus animantibus communem, & hoc quidem mentis abſtractione peragimus, quatenus a peculiaribus viventium differentiis abſtrahendo, unum *vivere* cogitamus. Sed fuſius hæc explicanda ſunt.

99. Ideæ ſecundum ſuam naturam ſpectatæ ſunt omnes ſingulares, cum determinatam, atque individuam ſingulæ habeant naturam & unaquæque ſit individua ſui objecti repræſentatio. Ex objectorum tantummodo ratione, natura, aut repræſentandi modo eſt, quod ſint *ſingulares*, *particulares*, *communes*: hæc tamen ſingula diverſo modo ſe habent: cum quidcumque eſt in rebus, ſit ſingulare, ſolæ ideæ ſingulares verum, & reale habent objectum: v. g. idea *Solis*, *Lunæ*, *Telluris*, quæ in mente ſingularia, & realia hæc objecta repræſentant: quæ dicuntur *particulares* v. g. *aliqua natio*,

tio, id nominis habent non ex natura obiecti, ſed ex modo illud exprimendi, & vage repræſentaudi, quod in natura non vagum, ſed determinatum exiſtit, quæ enim res eſt, aut eſſe poteſt in natura, quæ in ſeſe non ſit certæ, atque determinatæ naturæ? Objecta etiam idearum communium, ſeu univerſalium, v. g. *magnitudo* non exiſtunt in natura eo modo, quo illarum idearum ſunt objectum, & ab iis repræſentantur. Quamcumque magnitudinem mihi in rebus demonſtres, illa erit res aliqua ſingularis ab omnibus aliis magnitudinibus diſtincta: eſtne in mundo homo aliquis communis? Objectum igitur ideis communibus repræſentatum, eo modo quo ab iis repræſentatur, in mente ſolum, ſeu in ipſis ideis exiſtit: mens igitur eatenus ideam communem, & univerſalem pluribus objectis convenientem elicit, quatenus illa ipſa objecta ita conſiderat, ut ad illorum inter ſe differentias nequaquam attendat, ac proinde ſolum illam rationem attingat, in qua conveniunt, tamquam in prædicato iiſdem communi: Exemplo res fiet manifeſta; triangula, rectangulum, acutangulum, obtuſangulum, ſecundum integras eorum notiones contemplaris, & ab ſe invicem diſtinguis: ab iis deinde mente, & cogitando detrahe eorum differentias, quibus diſtinguuntur, hoc eſt, ita illa conſideres, ut ad angulorum magnitudines, ſeu ſpecies non attendas, aut mentem ab iis abſtrahas, ſolumque in iis conſideres, quod ſingula tres angulos habeant: ideam igitur trianguli omnibus communem, ſpecificam, & univerſalem abſtrahendo, aut detrahendo comparaſti. Hanc deinde ideam trianguli cum idea quadrati conferendo, facile animadvertis, triangula, & quadrata in eo convenire, quod ſint *figuræ planæ*; differre autem in angulorum, & laterum numero: ab hac differentia mentem parumper avoca, ſeu eam a prædictis figuris detrahe, ad rationem tantum *figuræ planæ* attendendo: habes igitur aliam ideam univerſalem, & priori magis communem mentali abſtractione, aut detractione comparatam. Si hanc ideam *figuræ planæ* cum ſuperficie curva prædicto modo compares; aliam

ideam

ſideam magis univerſalem *figuræ* elicies: atque ita mente ſemper gradatim procedendo ad ideam *magnitudinis*, & uſque ad ſupremam *Rei*, ſeu *Entis* devenies.

100. Plura hinc elicimus, primum, ideas communes, eoque modo conceptas eſſe factitias, & ſolius animæ opus: cum quidquid in rebus exiſtit, individuam, & determinatam habeat naturam. Secundum, illas omnes eſſe ideas imperfectas, ſi ad realia objecta referantur, cum nullius veri objecti in rebus exiſtentis partes omnes, atque differentias repræſentent: communium tamen notionum poſſunt eſſe claræ, atque perfectæ repræſentationes. Tertium, Objecta, & eorum ideas hoc modo conſiderare, in quotidiano etiam civilium, & humanarum rerum uſu, & hominum commercio utile ſæpiſſime eſt, & multoties neceſſarium: ita in nobis ſæpe diſtinguimus jura hominis, jura civis, jura hominis Europæi &c. dicimuſque multoties, mihi quidem, qua homo ſum, communia debentur humanitatis officia: titulo hominis Angli v. g., aut Londinenſis civis, hiſce privilegiis frui, & hiſce moribus vivere conceſſum eſt: ratione demum Europæi hominis, in bello etiam captus in ſervitutem redigi non debeo: itaque in uno eodemque objecto plures rationes communes diſtinguimus, quæque illi ſingillatim ex iis rationibus conveniant, aſſignamus. Quartum, Mentis abſtractio hoc modo explicata noſtræ hominum mentis imperfectionis nota, & argumentum exiſtit: Si enim res clariſſime ſemper, atque perfecte perciperemus, de quocumque loqueremur, ſingulares omnes ejus differentias intelligeremus. Ex alia tamen parte, ea qua ſumus, humana conditione ad civile commercium, ſcientias, arteſque omnes illa mentis abſtractio, communiumque idearum uſus maxime ſunt neceſſaria. Lexica omnia evolve: quid præter communium idearum uſum, & vocabula deprehendis?

101. Quod hic dicimus de ideis, dici etiam debet de earum objectis, & vocibus quibus illa exprimuntur, ita ut vox, & objectum ideæ communi reſpondens dicatur objectum, vel terminus, aut

vox

vox communis v. g. *habitatores planetarum*, *homo niger*, objecta vero, & nomina propria dicantur, quæ ſingularibus ideis reſpondent, v. g. *ſol*, *luna*, *hæc moneta auri* &c.

102. Ex modo tamen ſignificandi vocum aliquid medium intercedit inter *ideam ſingularem*, & *communem*, quæ dicitur idea particularis, v. g. cum dicimus, *aliqui philoſophi ſunt atheiſtæ*: hæc, inquam, idea non eſt ſingularis, neque pure communis, ſed de utroque participat, inter utrumque mediat, eſtque modus quidam ſignificandi, quo communis, & univerſalis idea reſtringitur, ſingularis ampliatur, & vage exprimitur. Hæc tamen cum ad propoſitiones, ſeu judicia proprie ſpectent, fuſius infra exponentur.

§. II.

Quinque Porphirii, vel Ariſtotelis Prædicabilia.

103. Ideæ *communes* non ſolum amplitudine diſtinguuntur, cum aliæ aliis latius pateant, & ad majorem individuorum numerum extendantur, ſed (quod præcipuum, & magnopere notandum eſt) ratione etiam in plures claſſes diſtribuuntur, quæ *univerſalia* Porphirii nuncupantur, *Genus*, *Species*, *Differentia*, *Proprium*, *Accidens*: diſtinctius hæc explicanda ſunt, cum non ſolum in Scholis ſint recepta, verum in omnibus ſcientiis, artibus, communique hominum commercio uſum habeant.

104. Cum ad plura individua attendimus (ut naturæ ſemper ordinem ſequamur) v. g. ad plures homines, in quibus nihil notabilis diſcriminis obſervamus quod eorum notiones, naturas, aut definitiones variet, ea dicimus *individua ſolo numero diverſa*. Horum individuorum primo quidem quærimus naturam, & eſſentiam, quid ſcilicet rei ſint rem examinando in hanc ideam *animal rationale* incidimus, quæ eſt, aut ſupponitur illorum individuorum notio: omnia igitur illa individua, ſeu notionem, & definitionem iis omnibus communem, *animal* ſcilicet *rationale*, dicimus *ſpeciem*, ſeu rationem,

tionem, & ideam *ſpecificam*, quæ certam rerum claſſem conſtituit. Hæc autem notio, ſeu individuorum complexio aliquid habet, nempe *rationale*, quo ab omnibus materalium rerum individuis notabiliter, & pluſquam numero diſtinguatur; aliud inſuper, in quo cum aliis animantibus convenit, nimirum *animal*, ſeu *animalis ideam*. Rurſus *animalis* ideam expendentes invenimus in animantis idea comprehendi ideam *viventis*, & ideam *ſenſitivi*, primam quidem, qua animans cum plantis convenit; ſecundam vero, qua ab illis diſtinguitur; hoc pacto progrediendo aſcendimus ad *Corpus*, a *Corporis* idea ad *ſubſtantiam*, a *ſubſtantia* ad *Ens*, quæ eſt univerſalis, & ſimpliciſſima noſtrarum idearum.

105. Deinde poſt cognitam individuorum, ſeu rerum eſſentiam, ut rem melius dignoſcamus, eam ab omni parte rimamur; ſi quid habeat, quod licet illius natura non ſit, ex illa tamen veluti fluat, illamve neceſſario, aut ſemper comitetur; & quæ tandem illam exterius, aut interius ornent, quin tamen neceſſario ſemper adſint. Hiſce obſervatis, quæ ſint communes Porphirii prædicabilia, exponamus.

Genus.

106. *Genus* eſt *idea*, *notio*, ſeu *ratio* quædam pluribus ſpeciebus communis, illarum eſſentiæ partem conſtituens, ſubſtantivo nomine ut plurimum expreſſa, qua quærenti *quid res ſit*, reſpondemus. Aliud eſt genus *infimum*, aliud *medium*, ſeu *ſubalternum*, aliud *ſummum*. Primum eſt, quod immediate in infimas ſpecies dividitur, ut *Triangulum rectilenum*, in ſpecies *trianguli rectilinei rectanguli*, *obtuſanguli*, & *acutanguli* dividitur; animans in homines, & beſtias: *Subalternum*, ſeu *medium*, quod inter inferius, & ſuperius aliquod genus mediat, v. g. *triangulum*, quod mediat inter triangulum rectilineum, & *figuram*, latiuſque patet, quam primum, minus quam ſecundum: a *Figura* enim deſcendimus ad figuram triangularem, ſeu triangulum a triangulo ad triangulum rectilineum &c.

Dif-

Differentia.

107. Differentia eſt illa altera pars eſſentiæ, ſeu idea, & communis notio, quæ inſimul cum idea generica integram ſpeciei, aut inferioris generis notionem conſtituit, & qua quærenti, *qualis res ſit*, & quonam modo ab aliis ſpeciebus natura differat, reſpondemus: differentiam adjectivo nomine communiter exprimimus, ut rem ſcilicet, aut modum ideæ genericæ adjacentem. Hoc pacto dicimus *Rationale* humanæ ſpeciei differentiam, propterea quod hominem ab aliis animantium ſpeciebus ſecundum eſſentiam diſtinguat, & inſimul cum generica hac idea *Animans* integram humanæ ſpeciei notionem conſtituat. Differentiæ, ut genus, in infimas, medias, & ſupremas dividuntur. Differentia ſuprema eſt, quæ genus ſupremum contrahit, hujuſmodi ſunt, quæ ſummum genus *Ens* ad Spiritum, & Corpus contrahunt. Reliquæ explicatione non indigent. Ultimæ tandem differentiæ quibus alia ab aliis ejuſdem ſpeciei individuis diſtinguuntur, *individuantes*, ſeu numericæ nuncupantur.

108. Quare differentiæ aut ſunt genericæ, quæ genus, aut ſpecificæ, quæ ſpeciem, aut individuales, quæ individuum conſtituunt. In quo tamen animadvertendum eſt, differentiam vel referri ad ideam univerſaliorem, quam contrahit, vel ad æque late patentem, quam ex parte conſtituit. Differentia v. g. hominis, nempe *rationale animal*, ideam ſcilicet genericam, latius patentem, contrahit, hominem vero conſtituit, & æque cum illo extenditur: De quocumque igitur affirmabitur, aut negabitur eſſe hominem, affirmabitur, aut negabitur propria hominis differentia, & viciſſim: relate vero ad ideam, quam contrahit, aliter ſe res habet: *Cogitatio* eſt differentia Spiritus a corpore, & ad gradum Spiritus contrahit *ſubſtantiam*, de quocumque igitur dicetur *cogitare*, dicetur & eſſe ſubſtantiam, non tamen viciſſim: contra vero de quocumque neges, eſſe ſubſtantiam, negabis etiam eſſe Spiritum, ſed non converſo.

109.

109. Plurimarum rerum differentias vel defectu verborum ſola negatione exprimimus, vel (quod eſt univerſale malum) defectu cognitionis plurimis verbis circumloquimur, atque exprimimus, vel tandem uno, aut pluribus appoſitis verbis breviter enuntiamus, primo modo res utcumque diſtinguimus, ſecundo deſcribimus, tertio definimus.

Species.

110. *Species* eſt idea illa, aut notio, quam generica, & differentialis idea conſtituunt, & immediate infra ſe habet individua, de quibus affirmatur. Licet autem *genera media* dici etiam poſſint *ſpecies*, ſi cum inferioribus ideis, de quibus immediate affirmantur, compararentur, proprie tamen ſpecies ſolum vocamus, ſub quibus individua ſola inveniuntur.

111. Unico nonnumquam vocabulo, ſicut genus, duobus, aut pluribns interdum exprimitur ſpecies; primo modo dicimus *hominem*, *eqnum*, *leonem* &c., ſecuudum ut brutorum animam exprimamus, plura adhibemus vocabula. v. g. *rem immaterialem*, *ſpiritum alterius ordinis*, *flammulam in artificioſa machina agentem* (pro varia philoſophantium opinione). Ita nos penuria verborum, aut idearum ad obſcuras, & longas ambages adigit. Species etiam, ſicut genera, & differentiæ, tamquam res, & ſubſtantiæ exprimuntur, licet in ſe ipſis non omnes ſint ſubſtantiæ, ſed verum modi: ita *figura plana* eſt genus, *figura quadrata* eſt ſpecies.

Proprium.

112. *Proprium*, ſeu proprietas quartum prædicabile dicitur in logica illud, quod de re dicitur, eique convenit tamquam pars, aut prædicatum ad eſſentiam quidem non pertinens, neceſſarium tamen, atque a rei ipſius natura profluens, aut illi peculiari ratione neceſſario conveniens: ita ut ſit

veluti ſecunda ſpeciei differentia, qua integra ſpecies, & ſingula ejus individua ab aliis omnibus ſpeciebus, & individuis ulterius diſtinguantur: eſtque nova hæc diſtinctionis ratio inter *differentiam*, & *accidens* media, quia proprium ita ad omnia ſpeciei individua ſpectat, ut neque eorum eſſentiam, ſeu naturam ingrediatur, ut differentia, neque a natura ipſa ſejungi poſſit, ut accidentia, & qualitates. Exemplo ſit triangulum rectangulum: *triangulum* eſt genus, cujus ſpecies ſunt *rectangulum*, *acutangulum* &c. habere angulum rectum eſt differentia eſſentialis, quæ una cum ratione generica trianguli conſtituit ſpeciem *triangulum rectangulum*: ab hac tamen eſſentiali differentia oritur, quod quadratum lateris angulo recto appoſiti ſit duobus aliorum laterum quadratis æquale: hoc igitur ultimum eſt *proprium*, ſeu proprietas omnis trianguli rectanguli.

113. Proprii quatuor diſtinguuntur ſpecies: prima, & præcipua eſt, quæ competit *omni ſoli ac ſemper*: hujus generis eſt, quod omnes ejuſdem circuli radii ſint inter ſe æquales: cum hæc æqualitas circulo omni, ſoli, & ſemper competat. Secunda eſt quæ *omni*, *ſed non ſoli* ſpeciei competit: hoc modo humanæ ſpeciei proprium eſt *diſcurrere*, cum integra quidem hæc ſpecies vim hujuſmodi habeat, quæ tamen aliis ſpiritibus convenit. Tertia eſt, quæ *ſoli ſpeciei*, *ſed non omni* convenit: hujuſmodi eſt *reſpirationi inſervire*, quod ſolius quidem, non tamen omnis aeris proprium eſt; cum aer vel nimium ſubtilis vel nimium impurus huic muneri ſit ineptus. Quarta denique; quæ *omni*, *ſoli*, *ſed non ſemper*; hoc modo omnium animantium proprium eſt *dormire*.

114. *Proprium* eoſdem habere poteſt latitudinis gradus, atque differentia eſſentialis; a ſummo ſcilicet genere per intermedia omnia uſque ad individuum deſcendit: Supremi nimirum generis, ſicut omnium intermediorum, atque ſpecierum ſuæ ſunt proprietates, quæ ad quartum hoc prædicabile ſpectant, ut nihil dicamus de ſingulariſſimis Entis Supremi DEI Optimi Maximi proprietatibus,

ſeu

ſeu Attributis, quæ Theologis relinquamus. Aliquæ etiam proprietates naturis ſuis conveniunt neceſſitate naturali, ſeu phyſica a Deo in alia providentia ſuperabili; aliæ vero neceſſitate inſuperabili, ſeu metaphyſica: quorum exempla paſſim occurrunt.

Accidens.

115. Aliqua tandem ſunt, quæ naturis genericis, aut ſpecificis conveniunt, reſque afficiunt, quin earum eſſentiam componant, aut iis neceſſaria connexione conveniant, poſſintque proinde adeſſe, aut abeſſe, quin naturæ ipſæ deſtruantur, aut ſubſtantialis mutatio in iis peragatur: hujuſmodi eſt *color albus* relate ad Chartam, in qua ſcribimus; is enim aut poni, aut tolli poteſt, quin Charta ipſa deſtruatur, aut ſecundum ſubſtantiam mutetur. Quidquid eſt hujuſmodi, dicitur *accidens* illius ſubſtantiæ, in qua ineſt, & quintum prædicabile logicum conſtituit: hoc modo dicimus; hæc Charta eſt rectangula, aut quadrata; Corpus quodcumque finitum hanc, vel illam determinatam habet figuram.

116. Accidentia cum de naturis, quibus inſunt, affirmantur, nominibus adjectivis *coloratum*, *flavum*, *rubeum* v. g. enuntiantur, quæ quidem duo ſignificant, accidens nimirum clare, ſubjectum autem confuſe. Quod ſi nominibus abſolutis, aut, ut dicitur, abſtractis *color*, *albedo*, *flavedo* ſignificentur: tum vero neque quintum prædicabile conſtituunt, neque ut accidens conſiderantur, ſed ut ſubſtantiæ, genera, ſpecies &c.

117. Aliqua eſſe accidentia intrinſeca, ut eſſe *ſapidum*, aut *inſipidum*, alia extrinſeca, ut eſſe *figuratum*, *cognitum*, *viſum*; ſicut & aliquas alias eorum denominationes omittimus, cum res ſint nullius momenti, omnibuſque ſint paſſim notæ.

Digitized by Google

§. III.

De Ideis Abſolutis, Relativis, Adæquatis, Simplicibus, Complexis.

118. Ideæ ad objecta ſua relatæ illa omnia ſortiuntur nomina, & affectiones, quæ ipſiſmet objectis conveniunt: præcipua capita percurramus. Omnia humanæ mentis objecta aut ejus ſunt naturæ ut citra ullam relationem ad aliud exiſtere, & exprimi poſſint, vel ea ſunt, quæ licet reapſe relativa exiſtant, exprimantur tamen, & a mente repræſententur, quaſi in ſe etiam ſiſterent, quin ad aliud referrentur; primi generis ſunt *anima*, *corpus*, *magnitudo*; ſecundi autem *rotunditas*, *cogitatio*, & alia, quæ licet ſint ſubſtantiarum modi, & aliquid neceſſario relativum, tamquam ſubſtantiæ tamen exprimuntur. Harum rerum omnium ideæ dicuntur *abſolutæ*. Quæ hujuſmodi non ſunt, aut re, aut expreſſione, aut utroque ſimul modo relationem dicunt ad diſtinctam aliquam ſubſtantiam: talia ſunt *Pater*, *filius*, *creatura*, *figuratio*, *motus*, & infinita alia. Ideæ, quibus hæc objecta cognoſcimus, aut ita exprimimus, *relativæ* nuncupantur. Idea igitur *abſoluta*, eſt, quæ recte intelligi poteſt, alia non intellecta: quæ proinde nullam relationem ad aliud in ſe includit. Contra vero *relativa* dicitur, quæ intelligi non poteſt, quin alia etiam idea attingatur, ad quam illa refertur. Interim tamen notandum, omnia, aut quamplurima objecta diverſa ratione accepta, modo a relativa, modo ab abſoluta idea repræſentari. Ut hæc melius intelligantur, animadvertendum oportet, qua ratione objecta omnia aut in rebus exiſtant, aut ab humana mente attingantur.

119. Mens humana vel objecta conſiderat, prout illa in rebus exiſtunt, vel diverſo modo ea ſibi proponit, atque repræſentat: quacumque ratione id fiat, multiplex ex utroque capite idearum ſpecies enaſcitur. Quidquid eſt in natura, ad tria hæc univerſalia capita reduci, & ſecundum ea ſpectari

ctari poteſt, *res*, *modus*, *res modificata*: quidquid concipimus , atque ſignificamus ut abſolute in ſe exiſtens, quin peculiarem ad aliud relationem dicat, id *rem* nuncupamus, aut tamquam rem exprimimus: eo pacto *mens*, *corpus*, *tabula*, *linea* rerum notionem habent, & earum idea concipiuntur. Alia ſunt, quæ ad res ita neceſſario referuntur, ab iiſque dependent; ut neque ſine rebus exiſtere poſſint, neque ſine illis exprimi: hujuſmodi ſunt *figura*, *motus*, quæ ſine rebus, quarum ſint affectiones, exiſtere, aut intelligi non poſſunt : Alia tandem ita exiſtunt, & exprimuntur, ut, & rem, & modum ſignificent, & tertium genus conſtituant, quod *res modificata* nuncupatur: hujuſce generis eſt *coloratum*, *figuratum*, *recedens*, *Pater*, *Filius*, & innumera pene alia, quæ duo priora *rem*, & *modum rei* ſignificant, ſeu rem peculiari modo affectam, aut relatam exprimunt. Quod primo modo ſignificatur , eſt *ſubſtantia* , aut ſaltem tamquam ſubſtantia exprimitur: plura enim ſunt, quæ licet ſubſtantia non ſint, ſed qualitates, ſeu ſubſtantiarum modi, quibuſdam tamen nominibus expreſſa, quaſi ſubſtantiæ ſignificantur. Secunda ſunt *modi rerum*, tertium ſunt *res modificatæ*.

120. Diverſa omnino eſt harum idearum indoles: Res, ſeu ſubſtantiæ, aut ad inſtar ſubſtantiatum expreſſæ, nominibus abſolutis, & ſubſtantivis ſignificantur, ut arbor, ſol &c. earumque *rerum* ideæ ſubſtantias exprimunt: Modorum nomina ſunt etiam ſubſtantiva, ut *figura*, *motus*, *calor*; ideæ tamen & modum clare, & rem obſcure exprimunt; Rerum tandem modificatatum nomina ſunt plerumque adjectiva, ut *figuratus*, *compreſſus*, *tenſus*, earumque ideæ duo ſemper, modum ſcilicet, & rem repræſentant, rem quidem præcipue , & directe , licet minus clare; modum autem ſecundario, licet clarius: omnia hæc vel ipſis etiam nominibus *Res*, *Modus rei*, *Res modificata* exprimuntur.

121. Duo ad rem præſentem notanda ſunt: primum: Res nonnumquam ut ſubſtantias, aliquando etiam ut rerum aliarum modos, ſeu qualitates exprimimus : ſecundi generis ſunt *habitus*, *armatu-*

ra, & alia multa: modos etiam veros ſæpiſſime ut modos, nonnumquam ut ſubſtantias concipimus, ut jam diximus. Secundum: Et hinc ſunt modorum diviſiones in *accidentales*, & *ſubſtantiales*, in *internos*, & *externos*, in *veros*, ſeu *phyſicos*, & *logicos*, ac denominationis.

122. *Modi accidentales* ſunt, qui ſubſtantiæ non ſunt, ſed ſubſtantias aliquo modo afficiunt: cujuſmodi ſunt *figura*, *calor*, *motus* &c. *Modi ſubſtantiales*, ſunt reapſe ſubſtantiæ, quæ vel ſubſtantiam aliam tamquam modis afficiunt, ut *armatura*, *veſtis*: vel licet de rei eſſentia ſint, tamquam modus tamen a mente humana exprimuntur: hujuſmodi ſunt *humanitas*, *Divinitas*, *cogitatio*, quæ licet ab eſſentia hominis, Dei, & mentis non diſtinguantur, quaſi formæ tamen, & modi ſubſtantiales, aut eſſentiales a mente noſtra imperfectiſſima exprimuntur, quibus hominis, Dei, & mentis natura conſtituuntur.

Modi, ſeu *qualitates internæ* ſunt, quibus ſubſtantiæ intrinſecus afficiuntur, *externæ*, quæ extrinſecus afficiunt; priorum exemplum ſit *calor*, poſterioris vero *figura*. Alias diviſiones, quæ clariſſimæ ſunt omittimus.

123. Idea *adæquata* eſt, quæ omnia objecti prædicata attingit, & cognoſcit: contra vero *inadæquata* nuncupatur, quæ unum, aut alterum ſolum rei attributum repræſentat. Vel ex hac ſola definitione, atque ex noſtramet hominum infirmitate, & humanæ mentis conditione patet, quam pauca ſint, de quibus adæquatas ideas habeamus; cum nihil phyſicum comprehendamus. Interim tamen diſtinguendum eſt inter confuſas, & claras: Si de confuſis loquamur, nihil vetat, quominus ideas adæquatas de quampluriimis rebus habeamus; hoc enim aliud non eſt, quam plurima omni ex parte, ſeu ſecundum omnia eorum prædicata, confuſe tamen attingere. Sed hujuſmodi ideæ confuſæ (maxime ſi de obſcuriori mentis caligine participent) utcumque ſint, aut vocari poſſint adæquatæ, parum ad mentem ipſam illuſtrandam, & inſtruendam conferunt. Confuſionis idearum infiniti fere

fere ſunt in humanis mentibus gradus. Id non modo humanorum ingeniorum varietas, ſed diverſus etiam unius ejuſdemque noſtræ mentis ſtatus, & experientia demonſtrant. Rem materiali exemplo utcumque adumbratam intelliges, ſi a perfectiſſimis tenebris ad meridianam, clariſſimamque lucem creſcentes luminis gradus conſideres.

124. Ideæ inadæquatæ ſunt potiſſimum duplicis generis; aliæ enim veras, & phyſicas ſuorum objectorum partes ſecundum ſe diſtinctas ſeorſim perpendunt, quin eam diſtinctionem mente inducant, aut partem unam ad aliam, aut ad totum referant: hujuſce generis ſunt ideæ Corporis, & animæ humanæ, partium ſcilicet, quibus humana ſpecies componitur: aliæ non veras, & phyſicas in objecto partes ſupponunt, quas ſeorſim attingant, ut prioribus accidit, ſed in objectum ipſum phyſice ſimplex partes quaſdam logicas mente inducunt, ſeu plures in objecto rationes diſtinguunt, quas ſeorſim perpendunt: ita cum in anima noſtra diſtinguimus *memoriam*, *intellectum*, *voluntatem*: rem ſimpliciſſimam, qualis eſt anima ſpiritualis, in tres ideas, ſeu potentias, ſola mente, & munere diverſas diſtinguimus, mente dividimus, unamque ſeorſim ab alia tractamus, nihil interim de aliis partibus cogitando. Idem eſt, cum in nobiſmet ipſis, aliiſque animantibus rationes *rationalis*, *ſenſitivi*, *viventis*, *corporis*, *ſubſtantiæ* diſtinguimus, aliaſque ab aliis mente ſeparamus.

125. Primum quod attinet, ſunt illæ ideæ in omni ſcientiarum, & artium genere utiliſſimæ, nullaque alia ratione, quoad vivimus, ad veritatem aſſequendam pervenire poſſumus, quam dum hiſce ideis inadæquatis partes ſingulas objectorum conſiderando ad plenam, atque adæquatam rei totius ideam paullatim pervenimus: regula enim generalis eſt, quod a ſimplicioribus ad compoſita, a partibus ad totum mens humana conſcendit. Ita ſane in Geometria triangulorum angulos ſeorſim a lateribus, latera deinde ſeorſim ab angulis expendimus, ut inde quid triangulis cum ratione laterum, tum etiam ratione angulorum conveniat;

D 4 eli-

eliciamus . Sed fuſius hæc in loco proſequemur.

126. Ab objectis etiam dicuntur ideæ *ſimplices*, aut *complexæ* , ſeu *compoſitæ* ; ſecundum ſe enim ſpectatæ omnes ideæ ſunt ſimplices, aut ſaltem ita a nobis conſiderantur, & ſupponuntur , cum ſint vel anima ipſa ſimpliciſſima, aut mentale quoddam lumen, modificatio, aut imago ſimpliciſſima rei in anima : ab objectis igitur illa dicitur : & eſt *idea ſimplex*, cujus objectum fuerit etiam tum phyſice, tum etiam ratione ſimplex, atque unicum. Plurima ſunt phyſice quidem ſimplicia; ratione tamen compoſita, ut ex dictis conſtat: *Spiritus intelligens* eſt objectum phyſice ſimpliciſſimum, cum *eſſe ſpiritum*, ac *eſſe intelligentem* in re non diſtinguantur: ratione tamen non eſt ſimplex objectum, cum mens noſtra paſſim unum ab alio cogitando ſeparare, atque in duas rationes dividere poſſit : erunt igitur ſimplices illæ ideæ ; quarum objectum tamquam ſimplex exhibetur , licet alioqui partes habeat aut phyſice, aut ratione diſtinctas , ut idea *Spiritus*, *corporis*, *cogitationis*, & innumeræ aliæ.

127. Ideæ *complexæ* ex adverſo ſunt illæ , quarum objectum eſt complexum , ut *vir doctus* , *dux ſtrenuus*, *ſcientia naturalis*: Complexarum idearum infinita pene eſt multitudo, atque varietas , cum ad eas reducatur maxima noſtrarum idearum pars: exemplis res fiet clarior: una eademque idea plura aliquando objecta ſignificantur, præcipue cum rem nomine adjectivo exprimimus, ut *figuratum*, *mobilem* , *longum* , & mille hujuſmodi aliis , quæ duo objecta una voce, & idea exprimunt: aliquando etiam idea erit complexa, quia & duplex objectum diſtinctum duplici etiam idea ſignificamus , unamque cum alia componimus; cujuſmodi eſt *miles armatus*, *America auſtralis*. Aliquæ ideæ complexæ nihil aliud ſunt, quam ſimplicium explicationes, aliæ ſunt earumdem reſtrictiones, aliæ etiam ampliationes: prioris ordinis eſt: *America, quæ eſt quarta, & ampliſſima noſtri globi pars*: ad ſecundam claſſem ſpectant: *pars globi monſtrorum feraciſſima* , quod de ſola Africa verum habet: tertii tandem : *incolæ omnium globorum noſtri vorticis*, in quo *incolæ*

ſæ non ſolum ad Terricolas, ſed etiam ad Planeticolas extenditur.

128. Cum tot fere ſint ideæ complexæ, quot ſunt diverſæ rationes, quibus mens humana objecta cogitare, proponere, de iiſque loqui, & aliquid enuntiare poteſt; familiariſque, & ornatus etiam hominum ſermo hiſce ideis maxime componatur: ſatis erit in immenſa hac ſilva duo animadvertere: primum de ideis complexis ſæpe negantur, aut affirmantur, quæ de ſimplicibus earumdem rerum ideis non negantur, neque affirmantur, & viciſſim v. g. de homine polari negabis quotidie ſolem videre; id tamen de homine abſolute non negabis: ideæ igitur complexæ, quantumvis plurima de ſimplicibus participent, cum tamen in pluribus etiam differant, tamquam peculiares ideæ a ſimplicibus ſibi reſpondentibus diſtinctæ, tractandæ ſunt: v. g. idea *hominis armati* neque eſt idea *hominis*, neque idea *armati*, ſed tertia quædam idea priores illas comprehendens.

129. Secundum: Idearum complexarum plures ſunt gradus compoſitionis, ſeu complexionis, magis vel minus ab idea ſimplici recedentes pro majori, minorive ſimplicium idearum numero, quem comprehendunt: integra periodus v. g. eſt idea complexa, quæ ex pluribus aliis ideis, complexis etiam ipſis, magis tamen ad ſimplicitatem accedentibus componitur: viſitur id potiſſimum in ideis complexis, quæ ſunt ſimplicium explicationes: *Europam* v. g. uno nomine, & idea pronuntias, atque repræſentas: ut ejus tamen vocis ſignificatum neſcienti explices, atque deſcribas, ampliſſima verborum, atque ſimplicium idearum ubertate opus erit: tota hæc rerum deſcriptio eſt idea *Europæ* complexa, primæ illius ſimplicis explicatio. In hoc etiam ſenſu omnes definitiones ſunt ideæ complexæ totidem aliarum ſimplicium explicationes. Omnes hujuſmodi complexarum idearum partes in ſimplicibus illis ideis clare, aut confuſe continentur, ſeu attinguntur. Quare ſi primorum principiorum, & veritatum abſtractarum ideas excipias, vix alias inve-

invenias, quæ aut compoſitæ non ſint, aut in compoſitas non reſolvantur.

§. IV.

130. *Ideæ Abſtractæ, Concretæ, Reales, Fictitiæ, Intuitivæ, non Intuitivæ.*

Ideæ ratione objectorum duplici modo dici poſſunt *abſtractæ*, primo (quem numero 99. 100. expoſuimus), quatenus unius ejuſdemque rei rationem unam ab alia mens noſtra diſtinguit, & abſtrahit; v. g. cum ſolem conſideramus, ut *ignem*; non vero, ut *luminoſum*, licet hæc duo in Sole non diſtinguantur. Simili mentis abſtractione aurum conſideramus, ut *extenſum*, non vero, ut *ſolidum*: Secundo cum rerum modos accidentales, aut eſſentiales perinde concipimus, atque exprimimus, quaſi eſſent res, ſeu ſubſtantiæ, quæ tamquam formæ ſubjectum ipſum componerent, velut accidens, aut eſſentiæ pars, ſubſtantivoque nomine exprimuntur: hoc modo abſtractæ ideæ dicuntur *humanitas*, *Divinitas*, *infinitudo*, *rationalitas*, *cogitatio*: in Deo v. g. Ente nimirum ſimpliciſſimo idem omnino ſunt *natura divina*, *Divinitas*, *infinitas*, *Omnipotentia &c.* nihilominus Divinitatem quaſi *formam*, & modum eſſentialem concipimus, quo natura Dei ſit, & nuncupetur divina. Eodem modo abſtracta ſunt accidentalia *albedo*, *nigredo*, *flavedo* &c.

Contra vero ideæ *concretæ* dicuntur illæ, quibus adjectivo nomine duo ſignificantur ſecum concreſcentia, & in unum coaleſcentia, *forma* nimirum, & *ſubjectum*: hujus generis ſunt *figuratum*, *coloratum*, *humanum*, *divinum* &c. *figuratum* enim & corpus, & figuram corporis exprimit, qua ipſum afficitur.

131. Ideæ ſecundum ſe ſunt omnes reales, ab objectis vero illæ dicuntur *reales*, quæ verum habent objectum, hoc eſt, a mente noſtra minime fictum: Contra vero nuncupantur fictæ, ſeu fictitiæ, quarum objecta neque exiſtunt, neque exiſte-

ra

re poſſunt in rebus, ſed ſunt purum noſtrarum idearum opus. Cum aliquid mente concipio, vel rem actu exiſtentem, aut ſaltem poſſibilem apprehendo, ut *lunam*, *alium ſolem*, *alium mundum* &c. vel rem plane impoſſibilem cogito, ut *Deorum pluralitatem*, *materiam cogitantem* &c. primum ſunt ideæ *reales*, ſeu *veræ*: ſecundum *fictitiæ*, quæ etiam nuncupantur *Ens rationis*; cum per rationem tantum ſint, & humanæ mentis opus exiſtant.

132. De hoc *rationis ente*, de quo tantopere in Scholis olim ſaltem diſputabatur, nihil ulterius dicendum exiſtimo; ne in re, & quæſtionibus inutilibus tempus perdamus. Id ſolummodo animadvertendum, omnes ideas *fictitias* eſſe etiam factitias, cum non ſint neque innatæ, neque ſola ſenſuum actione acquirantur; non tamen omnes factitias eſſe etiam *fictitias*: duplex igitur eſt idearum factitiarum genus: aliæ quidem veræ, & reales a mente copulantur, & perinde, ut in rebus ſunt, aſſociantur: aliæ vero reales item & veræ, ſed tamen maxime oppoſitæ a mente in unum copulantur, quaſi unica eſſent idea complexa: priori modo ideas factitias veras comparamus; poſteriori autem *fictitias*, atque purum *ens rationis*. Hoc igitur aliud non eſt, quam objectum alicujus ideæ factitiæ, quod ut a mente concipitur, in rebus eſſe non poteſt, ac proinde ſola ratione exiſtit; v. g. *corpus ſpirituale*, *ſpiritus materialis*.

133. Ab objectis præterea, vel modo & ſenſu quo acquiruntur, aliæ ſunt, & nuncupantur ideæ *intuitivæ*, aliæ vero *non intuitivæ*: primæ ſunt, quas viſionis ſenſu acquiramus; Secundæ, quæ aliis ſenſibus, auditu vero potiſſimum. Sed melius ideas relate ad ſenſum dividemus in *experimentales*, & *non experimentales*: priores ſunt, quarum objecta in nos immediate agunt: atque ad hanc claſſem pertinent omnes *intuitivæ*, rerum ſcilicet, quas videmus: 2°. ideæ omnium ſenſationum, viſionis ſcilicet, auditus, guſtus, odoratus, tactus, doloris, pruritus, & aliarum ſimilium ſenſationum, & actionum, quibus afficimur, & quas in nobiſmetipſis immediate experimur: 3°. quamplurimæ ideæ phantaſti-

taſticæ, quas dicimus *phantaſmata*, & purum imaginationis opus: omnes enim fere novimus, quid in humano ſenſu, corpore, & etiam ſpiritu poſſint, quidque reapſe efficiant imaginationis vires: hæ igitur omnes ſunt ideæ experimentales. Illa vero omnia, quæ auditu, aut lectione ediſcimus, quin immediate in ſenſus noſtros cadant, atque in nos agant, ſunt ideæ *non experimentales*; eaſque nos ut plurimum comparando elicimus; cum ſcilicet res illas nullo ſenſu immediate perceptas, v. g. murum 400 leucas longum, & Sinam a Tartaris dividentem, quem numquam vidimus, rebus a nobis ſenſu perceptis comparamus, & comparando nobis repræſentamus.

134. Aliis etiam terminis, & eleganter quidem ideæ *experimentales* dicuntur ideæ rerum in ſe ipſis: rem enim, quam videmus, ſentimus, ſonum, quem audimus, in ſe ipſis ſentimus, hoc eſt, ut ea percipiamus, opus non eſt, ut res illas ad alia objecta referamus: Contra res narratione, & lectione notas, & in ſenſum immediate non agentes, cognoſcimus in aliis; eas ſcilicet ad aliarum rerum nobis notarum formam mente concipiendo: v. g. cum antiquæ Memphis deſcriptionem apud veteres legimus, eam urbem a tot jam ſæculis dirutam in aliis civitatibus, nobis viſu notis, ideas interim ampliando adſpicimus.

135. Ideæ rerum *in ſe ipſis*, ſeu *experimentales* ex genere ſuo ſunt clariores, quam ideæ rerum *in aliis*, ſeu *non experimentales*: rem in ſe ipſo unuſquiſque facile animadvertet: longiori rerum, & viarum ambage ad nos perveniunt ideæ *non experimentales*, ſeu *in aliis*, quam ideæ rerum in *ſe ipſis*: priorum claritas v. g. idea *Memphis* non ſolum ab ipſamet re, verum etiam ab referentis fide, & diligentia, ab rerum ſimilitudine, quibus Memphim comparo, & tandem a mentis meæ attentione pendet: cum idearum experimentalium claritas a paucioribus capitibus infici poſſit. Pro varia tamen rerum indole, mentis applicatione, & hiſtorici fide, fiet multoties, ut ideæ *in aliis* clariores, & exactiores deprehendantur, quam ideæ

re-

rerum in ſe ipſis, quas multoties oſcitanter apprehendimus.

136. Inter ideas ſenſuum, ſeu experimentales, quæ oculis acquiruntur, clariores, & vividiores eſſe ſolent, quam illæ auditu, atque aliis ſenſibus comparatæ: ut vere ſcripſerit *Horatius*:

Segnius irritant animos admiſſa per aures,
Quam quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus.... (a).

id tamen de viſarum, atque auditarum rerum, non de viſionis, auditioniſque ideis intelligo: aliunde enim auctor eſſe nolim, vividius in me viſionem, quam auditionem ſuimet ſpeciem efficere. Id ſecundo verum intelligo ſecundum communiorem hominum, & ſenſuum indolem: alias enim multiplici ex capite fieri poteſt, ut clarius nonnumquam audiendo, quam videndo rerum ideas comparemus.

§. V.

De Idearum Veritate, & Falſitate.

136. Inter plurima, quæ de ideis noſtris proponuntur, aut quæruntur, illud etiam eſt, ſintne ideæ noſtræ veræ, & falſæ, an potius veritas, & falſitas ideis nullo modo conveniant? Quæſtionem ego majori ſaltem ex parte de nomine eſſe exiſtimo: primo igitur ſtatuendum oportet, quid veri, quid falſi nomine intelligamus: quo ſemel ſtatuto facile erit quæſtioni reſpondere. Communiter dicitur, atque inferius a nobis probabitur, omnibus humanæ mentis judiciis, ſeu propoſitionibus mentalibus, aut vocalibus, v. g. propoſitioni: *Vivunt homines ſub polo arctico*, veritatem, aut falſitatem convenire, nullamque eſſe propoſitionem, quæ aut vera, aut falſa non exiſtat: propoſitionum autem veritas, aut falſitas ab eo deſumitur, quod objectum ſit, aut non ſit in rebus, ut mentalis propoſitio affirmat, hoc eſt, a conformitate actus, affirmationis, aut negationis mentalis cum objecto rea-

(a) Horat. de Arte Poetica.

reali . Unde ſi ſub polo arctico reapſe vivunt incolæ, adducta propoſitio cum objecto ſuo, quod affirmat, conformatur, eſtque proinde vera; ſin minus, ab objecto ſuo reali difformatur, & inde dicitur falſa, quia hominibus ſub polo arctico non exiſtentibus, propoſitionis objectum non eſt in rebus, ut propoſitio ipſa dicit, atque affirmat:

137. Ideæ, ſeu puræ apprehenſiones nihil dicunt, aut de objectis ſuis affirmant, ſed eorum tantummodo ſunt puræ repræſentationes, atque imagines mentales, quæ veluti ſpirituales picturæ objectum ſuum in anima exhibent, & repræſentant; ita ut anima ad haſce picturas poſtea attendens, in iis, & per illas externa objecta contempletur. Ita cum homini naturalium rerum curioſo planetas, tamquam totidem terraqueos globos paullatim deſcribo, ſimilibus figuris, montibus, vallibus, maribus, fluminibus, tractibus atmoſphæris, aliiſque partibus conſtantes, in iiſque propterea plurimos, diverſoſque habitatores repræſento; Eorum omnium ideas paullatim ille audiendo acquirit, & ſibi ſervat, ut iis poſtea perpenſis, ſecumque invicem collatis judicium de iſtiuſmodi habitatoribus proferat. Objectum igitur eſt: idea repræſentat: judicium dicit: ſeu objectum eſt in rebus; repræſentatur ab idea; dicitur, aut affirmatur a judicio. Objectum in rebus exiſtens ſuam habet veritatem realem, quæ in Metaphyſica dicitur *tranſcendens*, quia omni enti convenit. Judicium, ſeu propoſitio dicens eſſe planeticolas, ſuam habet veritatem, quia objectum eſt, ut eſſe dicitur: Idea, ſeu mentalis pictura objectum, hoc eſt, planeticolas repræſentans, vera etiam erit, ſi planeticola reapſe exiſtat, ut in pictura exhibetur.

138. Ideæ igitur ſunt veræ, aut falſæ veritate, & falſitate proprie dictis. Veritas enim, & falſitas actuum intellectus ex ipſorum conformitate, aut difformitate cum objectis deſumitur: ſi actus ſint judicia, ſeu propoſitiones, aliquid de objectis dicentes, hoc eſt, affirmantes, aut negantes, erunt veræ, aut falſæ, ſi objecta ſint, aut non ſint, ut a mente hiſce propoſitionibus dicitur: in hoc enim

ſita

ſita eſt judiciorum cum objectis conformitas, aut difformitas. Si actus ſit idea, ſeu mentalis pictura, vera, vel falſa dicitur a conformitate, aut difformitate repræſentationis, in qua ſolum ideæ, & picturæ conformitas, aut difformitas conſtitui poteſt. Hæc quidem, de ipſiſmet materialibus picturis, quæ objecta nobis aliunde nota repræſentant, paſſim dicimus, hæc quidem vera eſt ſui objecti effigies, nequaquam vero illa: cum vere a prima, minime autem a ſecunda objectum repræſentetur: quod de materialibus picturis, immo & aliis imaginibus natura ipſa duce dicimus, mentalibus rerum picturis potiori jure tribuendum eſt. Qui Sinici v. g. Imperii hiſtoriam tum politicam, tum naturalem domi ſedens legit, poſtea vero homini Miſſionario e Pekino redeunti, pluresque annos inter Sinas commorato, rem confabulando deſcribat; ab illo quidem ſæpiſſime audiet; quam de Pekino habes, idea a veritate penitus abludit, hac in parte veram tibi ideam efformaſti, in alia ad veritatem a longe accedis, in quamplurimis tandem quæ tua eſt de Sinenſi imperio idea, rei minime convenit. Communis hæc eſt inter homines doctos loquendi ratio; neque ullus eſt, qui hujuſmodi ſermone improprie ſe loqui arbitretur.

139. Idearum, & judiciorum, ſeu propoſitionum veritas, & falſitas in aliquibus quidem conveniunt, in aliquibus differunt: conveniunt quidem in eo, quod utrorumque veritas in conformitate, falſitas in difformitate actus ab objecto conſiſtant: in modo tamen conformitatis differunt: propoſitio enim habet conformitatem dictionis, idea vero repræſentationis, ſeu ſimilitudinis picturæ, aut imaginis cum prototypo. Quoniam autem veritas idearum, ſeu picturarum mentalium, aut materialium in repræſentatione conſiſtit, repræſentatio vero ſimilitudinem ſecum defert, aut in ſimilitudine poſita eſt; hinc aliud inter ideæ, & propoſitionis veritatem, atque falſitatem diſcrimen profluit: propoſitionis veritas indiviſibilis eſt; aut tota eſt vera, aut tota falſa, nihil eſt medium, ut inferius explicabitur; quia aut objectum eſt, aut

non

non eſt, nihilque inter *eſſe*, & *non eſſe* medium exiſtit: Contra vero ſimilitudo admittit magis, & minus: ejuſdem objecti picturæ, aliæ aliis objectum melius exprimunt, & majorem cum illo ſimilitudinem habent: & hinc noſtræ ideæ, quas de eadem re, v. g. de Turcici Imperii potentia diverſis vitæ annis habemus, diverſæ inter ſe ſunt, magiſque, & magis ad veritatem, majoremque ſimilitudinem accedere poſſunt. Sed hoc ideis quidem complexis, quæ ex pluribus ſimplicibus conſtantur, ratione diverſarum partium, & idearum convenit, quarum aliæ ſint veræ, alteræ vero falſæ: De ideis tamen ſimplicibus, ſemper verum eſt, aut objectum ſuum, ut eſt in rebus, repræſentare, aut non: ſi primum, eſt vera; ſi ſecundum, falſa.

140. Idearum, ut & judiciorum veritas ab illarum conformitate cum objectis, non vero cum aliorum hominum ideis deſumenda eſt. Judicium, *movetur per Eccliptícam terra*, verum, aut falſum eſt ab eo, quod res ita ſe habeat, non quod ita homines vulgo exiſtiment: perinde res eſt in ideis, cum ab earum cum objectis ſimilitudine, aut repræſentatione deſumatur veritas. Fit tamen multoties, ut noſtræ ideæ falſæ communiter reputentur, quia cum aliorum hominum de eadem re idea non conveniunt: v. g. ſi veram virtutis, & fortitudinis ideam ex naturali, moralique philoſophia habes, eamque cum Alexandri Magni rebus geſtis confers; veram virtutem, magnanimitatem, atque fortitudinem illi imperatori negabis; quia tamen alia eſt communis hominum idea; communiter etiam audies, te aut virtutis, aut Alexandri veram ideam non habere. Dum idearum noſtrarum veritas hoc modo ſtatuitur, aut negatur, tacite ſemper ſupponitur, communem aliorum hominum ideam rei eſſe conformem, ac proinde veram, noſtramque proinde non ſolum a communi idea, ſed a re ipſa difformari, & eſſe conſequenter falſam: Cum hoc tamen communi exiſtimatione bene ſtat, ſingularem tuam ideam a communi difformem eſſe veram, communem vero falſam. Unum inde ſeque-

queretur, duplicem in ideis diſtingui poſſe veritatem, aliam quidem *exiſtimationis*, quæ a communi hominum exiſtimatione, & a conformitate ideæ cum aliorum hominum ideis, quæ ſupponuntur veræ, deſumitur: aliam vero *realitatis*, quæ eſt conformitas repræſentationis cum objecto reali, ſit nec ne communibus hominum ideis conformis. De ſecunda hac impræſentiarum loquimur.

141. Ideæ noſtræ, quas de rebus habemus, ſunt majori ſaltem ex parte inadæquatæ, & imperfectæ, ſi ideas aliquas rerum, aut veritatum ſimpliciſſimarum excipias: quis enim hominum eſt, qui in præſenti rerum, animæ, & corporis ſtatu res, ut ſunt, cognoſcere præſumat? ob id tamen dicuntur quidem imperfectæ, obſcuræ &c., non tamen falſæ: ita enim imperfectæ cum objecto ſuo conformantur, illudque, ut in re eſt, imperfecte repræſentant. Quæ ideæ ſint potiſſimum non adæquatæ, dignoſcere poſſumus ex modo, quo illæ ad objecta referuntur: attingunt enim poſſibilitatem, exiſtentiam, naturam, ſtatum, aut modos rerum: quæ poſſibilitatem, aut exiſtentiam repræſentant, & ſimpliciores, & magis completæ eſſe poſſunt, quam ceteræ.

142. Opponi hic poſſet contra hactenus dicta: noſtrarum idearum veritatem, aut falſitatem non eſſe ipſarum idearum propriam, ſed a judicio profluere, quod ſemper cum idea quacumque intelligitur, & tacite ſupponitur: quamcumque enim habeas de re aliqua, v. g. de homine aliquo olim a te viſo ideam; de illa tacite, & per reflexum judicium affirmas, *hæc idea objectum ſuum bene repræſentat*: *hæc idea eſt illius hominis idea*: cum autem judicium ſit neceſſario verum, aut falſum; ab illo eſt, quod ideæ nuncupari poſſint veræ, aut falſæ: eatenus igitur idea, de qua loquor, dicitur falſa, non quod ipſa in re ſit falſa, ſed quatenus falſo a me dicitur, bene illum hominem mihi notum repræſentare, aut eſſe ejus hominis ideam. Reſp. Facilis eſt reſponſio: Communi acceptioni, atque loquendi modo inſiſtimus: veritas, aut falſitas actuum noſtræ mentis eſt eorum conformitas,

aut difformitas ab objectis, quæ repræſentant; vel illa repræſentatio ſit etiam dictio, hoc eſt, affirmatio, aut negatio, vel ſolum mentalis ſimilitudo, & pictura: hanc repræſentationem habent noſtræ ideæ per ſe ipſas, non vero a judicio, aut quocumque alio noſtræ mentis actu: per ſe ipſas igitur ſunt veræ, aut falſæ. Præterea judicia etiam ipſa, ſeu propoſitiones, quæ de objectis, non vero de ſe ipſis aliquid affirmant, v. g. *Turcæ Mecam Abrahami colendi cauſſa ſemel in vita adeunt*, ſunt per ſe ipſas veræ, aut falſæ, quin id habeant a judicio, ſeu propoſitione aliqua reflexa, & tacite intellecta, quæ dicat, ejuſmodi propoſitionem eſſe veram, aut falſam: quidni igitur idem de ideis affirmabimus, præcipue cum & ratio, & communis loquendi modus rem ita tenendam eſſe perſuadeant?

143. Opponi etiam poſſet ſecundo, nullam ideam eſſe falſam; propterea quod idea quæcumque ejus tantum objecti eſt idea, quod exacte repræſentat, cuique eſt repræſentatione ſimilis: idea v. g. quam habeo de Roma, ſi eam mihi civitatem, ut eſt, non exacte repræſentet, illius idea non eſt, ſed alterius urbis, quam forſan ſola idea mihi fingo: ita etiam pictura, aut ſtatua, quæ exemplar, objectumque ſuum perfecte non referat, ejus amplius objecti pictura, aut ſtatua non exiſtit; falſumque judicium pronuntiamus, cum hujuſmodi poſtea picturis animadverſis, En, dicimus, hujus, aut illius præclari hominis imagines. Reſp. Totum hoc argumentum eſt precarium, atque rem ſupponit, quam probari oporteret; ſcilicet ideam, & picturam ejus objecti picturam, ideamque non eſſe, quod exacte omnino non repræſentat. Proba enim, peto: objectum non exacte repræſentat, dicis: Id tamen hoc unum conficit, repono, eam objectum ſuum non exacte omnino repræſentare, eſſeque proinde non omnino veram, atque exactam, quod admitto; minime tamen eſſe alterius objecti ideam, aut picturam. Niſi hæc admittas, fatearis oportet, nullam in hominibus eſſe *objecti realis*, ſeu reapſe exiſtentis ideam *veram*, cum nullius rei ideam habeamus in hoc mundo perfectam.

LOGI-

LOGICÆ PARS SECUNDA.

DE

Mente Humana judicante ſibi, & aliis loquente,

SEU

De Vocibus, & Linguis; de Judiciis ſeu propoſitionibus earumque affectionibus.

LECTIO PRIMA.

De Linguis, ſeu vocibus, earum origine, natura, uſu.

144. MEntem humanam, ſeu potius hominem hactenus conſideravimus, quaſi ille uni ſibi viveret, reſque ſolummodo cognoſcere, atque intra ſe ipſum contemplare contentus, ideas ſuas ſibi haberet, earum indolem tacitus expenderet, ab omnique parte rimaretur, nihil interim ſollicitus, qua tandem ratione vel cogitata ſua cum aliis communicaret, & aliorum ab aliis acciperet. Hic ſane eſſet hominis ſtatus, & conditio, ſi unicum humanæ ſpeciei individuum in mundo poſuiſſet Deus, aut infans caſu aliquo in deſerta inſula relictus creſceret, & vitam ſolus inter feras ageret. (*) Extra omne enim humanum

 com-

(*) Legi in hanc rem ab omnibus deberet elegantiſſima illa humanæ vitæ allegoria ab Hiſpano *Gracian* compoſita, & *El Criticon* inſcripta, in qua ſi minus eſſet ingenii, atque argutiarum illarum, quibus Hiſpana lingua maxime abundans eſt, & omnes Europæi elapſo ſæculo mirifice delectabantur, nil melius excogitari poſſet: omnibus tamen auctor eſſem, ut dictum opus nativa auctoris lingua, qua ſcriptum fuit, legant, traductiones omittant.

commercium vivens, omnium linguarum eſſet ignarus, neque alias agnoſceret voces, præter paucas illas avium, aut brutorum animantium, aut naturales etiam illos ſonos, quos ad dolorem, gaudium, aut ſimiles alias animi affectiones edendum naturæ magiſterio edoctus exprimeret. Se ipſum tamen, animantia, res ceteras, cognoſceret, ex quarum cognitione in alicujus ſupremi, & primi Entis conditoris ideam tacitus, & mutus deveniret: ideaſque illas rerum omnium ſenſu, reflexione, & comparatione acquiſitas ſervaret; verum neque ipſas, neque earum objecta vocibus exprimere poſſet. Multa præterea, quæ homini in illo rerum ſtatu acciderent, facile ex naturæ indole deducimus, plura item ignoramus; cum ea, quæ modo ſunt præſentis conditionis præjudicia, de figuratis circumſtantiis ſane judicare vix permittant. Hominem tamen creavit Deus natura ſociabilem, & iis inſuper mediis inſtruxit, quibus humana ſocietas, & rationale commercium ſtaret, inter quæ potiſſimum locum habent linguæ, & verborum inventio, atque uſus, quo noſtræmet ideæ, & reliqua omnia ſenſa tum ad mentem, tum etiam ad voluntatem ſpectantia exprimuntur. Argumentum, quod modo attingimus, partim Phyſici, partim Logici, partim Gramatici muneris eſt: Phyſici quidem, propterea quod, ut late in Phyſica viventium proſequimur, id omnino a natura, elaſticitate, & preſſione aeris, potiſſimum vero a mirabili humani corporis mechaniſmo, ut pulmonum, aſperæ arteriæ, linguæ pluriumque aliarum partium diſpoſitione, & indole pendet: quorum omnium examen ad Phyſicam pertinet. In eodem etiam argumento logicum verſari oportere, logicæ ipſius notio, atque objectum demonſtrat. In id enim collineamus, ut recte ratiocinari & doceamus, & doceamur, ſenſa noſtra aliis explicemus, & illa aliorum percipiamus. Totum id negotii vocabulis peragitur; reconditiſſima ſcilicet cogitantium animarum ſenſa fluxis vocabulis, ſonis, tonis, hoc eſt, aeris undulationibus ſignificamus, committimus: quales enim vero ſpiritualium, atque reconditiſſimarum

marum humanæ mentis idearum, ſenſuum, affe-ctuum interpretes, & inſtrumenta! Quinam idcirco ab infidis hiſce humanarum animarum internuntiis errores in humanum commercium, omniaque ratiocinia non derivantur? Qui hæc attente, ut Philoſophum decet, perpenderit, fieri non poteſt, quin humanæ linguæ argumentum non modo ad Phyſicam, & Logicam, ſed ad Metaphyſicam etiam ſpectare pronuntiet. Quod ad nos itaque modo ſpectat attingemus.

§. I.

145. *Duplex loquendi modus apud homines; Naturalis, & Arbitrarius.*

Humana ſocietas tribus hiſce potiſſimum innititur, atque conſervatur, Animi indole, mutua indigentia, mutua ſenſa intelligendi, & explicandi facilitate. Tertium, hujuſce loci proprium proſequamur. Qui noſtram hominum indolem ſedulo perpenderit, præcipue ſi depoſitis parumper infantiæ, & conſuetudinis præjudiciis, humanam naturam ſecundum ſe conſideret, facile animadverteret, duplicem eſſe inter homines loquendi & ſenſa noſtra aliis comunicandi modum; primum quidem naturalem, ſolo noſtræ naturæ genio, noſtrique corporis mechaniſmo, & animæ virtute peractum; ſecundum vero artificialem, humanæque induſtriæ, & arbitrii opus, atque mirabile inventum. Si hiſtrionum, mimorum, mutorum geſtus, immo noſtraſmet actiones, geſticulationes, & vocis tonos animadvertamus, quibus doloris, gaudii, averſionis, lætitiæ, admirationis, & mille alios animi affectus, corporiſque paſſiones explicamus, & quibus etiam intimos noſtri animi ſenſus aliis exponimus, cum vel verba deficiunt, aut cum ignotæ linguæ hominibus agimus, vel loquelæ uſu deſtituti loqui tamen adnitimur: fieri non poterit quin fateamur, naturalem hanc eſſe humanæ ſpeciei linguam, & loquendi modum ſolo naturæ inſtinctu, atque magiſterio edoctum, quem propterea nuncu-

 pare

pare poſſumus: *idioma ſeu dialectum naturæ*, actionibus, ſeu geſticulationibus perfectum.

146. Ad eandem hanc naturæ dialectum referendi ſunt humanarum vocum, ſeu loquendi *toni*: eadem enim voce ſolius toni mutatione iram, lætitiam, odium, averſionem, deſpectum, gaudium, & mille alia manifeſtamus: hæc igitur etiam humani ſermonis pars, quæ pathetica nuncupatur, & interjectiones gaudentis, dolentis, exultantis, contorſiones membrorum, & ſimilia alia complectitur, naturæ ſolius opus eſt, atque ad geſtuum idioma ſpectat: quod quidem ex eo probatur. 1°. quia hiſce etiam, aut ſimilibus tonis brutorum animantium paſſiones intelligimus: 2°. quod multoties fiat, ut loquentis quidem verba aut ignota aut male prolata non capiamus, interim tamen ejus animi affectus ſolo tono percipiamus, quantumvis verborum ipſorum ſenſus, atque mentis conceptus non intelligamus. Melius adhuc de hoc naturæ idiomate, ejuſque a communi noſtro ſermone diſtinctione edocebimur, ſi præter ea, quæ modo attigimus, & in nobiſmet ipſis experimur, homines conſideremus primum a Deo creatos, nulla aut lingua, aut voces articulandi facultate præditos, eo tamen mentis lumine, & idearum varietate inſtructos, quibus modo fruimur; quidquid tum homines, animantia nimirum intelligentia, ſocietatis, & mutui commercii amantia, agerent, ut ſe ſe mutuo aliis explicarent, id totum eſſet naturæ idioma. 3°. Quod primus ille, quem diximus, ſit ipſiuſmet naturæ ſermo, vel ex eo demonſtratur, quod apud omnes nationes (cultæ illæ ſint, vel barbaræ) omneſque ætates, & loca idem ſemper ſit. Sinæ, & Japones, Lapones, Groelandici, Canadenſes, Tapuiæ, Huttentoti, Europæi &c. iiſdem plane ſignis dolorem, gaudium, & mille alia geſtibus, & tonis exprimunt: eſt igitur immutabilis, & univerſalis; cum ſit purum putum naturæ opus, licet nationes, immo & homines alii præ aliis in eadem gente melius, & elegantius naturali hoc etiam ſermone loquantur. Hæc una humano generi poſt Babelicam ſeparationem nobis ſupereſt com-

communis lingua, qua omnium gentium ſenſus intelligere utcumque valeamus. Si noſtrammet indolem, atque naturam ſedulo perſcrutaremur, atque hanc ipſius linguam ſtudioſius homines colerent; hac una ratione ſperari poſſet omnium gentium univerſale idioma; quæ tamen idea ad chimærarum regionem amandanda eſt.

147. Quantum naturalis hæc dialectus ab hominibus culta, atque in facta modo hypotheſi promota eſſet, ſatis oſtendunt ipſamet hominum neceſſitas, naturæ genius, & innatus ſocietatis, atque mutui commercii amor. Quod ſi longiſſime ab illa naturalis idiomatis perfectione abſumus, nec ſpes ulla eſt ad eam aliquando perveniendi; in cauſſa eſt longe major arbitrariæ dialecti facilitas, qua partim a natura, partim ab ipſa arte adjuti, vulgarem ſermonem homines invenere, quo totum humanæ ſocietatis commercium perficeretur.

148. Secundus loquendi modus, quem *Arbitrarium & Artificialem* nuncupamus, eſt idioma verborum, ſonis, ſonorumque modulationibus compoſitum: hominem ita conſtruxit Deus, ut præter rationalem animam, qua intelligimus, amamus, odio habemus &c. eo etiam corpore, & corporis membris præditus eſſet, quibus multiplices, & naturales animæ actus ſignificari poſſent: præter cetera autem linguam, & alia ad ſonos edendum, modulandum, & articulandum neceſſaria iſtrumenta dedit. Cum igitur homines creaſſet rationales, mutuæque ſocietatis, & commercii amantiſſimos; aliaque ex parte duo hæc hominibus ſponte veluti innoteſcerent, eos nimirum facile in voces erumpere, mediiſque huiuſmodi vocem tonis internos animorum ſenſus a ſe ſe mutuo explicari; facillime etiam animadverterunt, ope vocum omnia ab his ſignificari poſſe, & mutuo ſecum de rebus quibuſcumque ratiocinari, cum in idipſum eos natura deduceret, qua una magiſtra primam illam geſtuum, & tonorum dialectum didicerunt.

149. Ex his, quæ modo diximus, ſatis ſuperque conſtat, duplicem in humana ſpecie eſſe linguam, & quale inter utramque diſcrimen exiſtat.

Totum inter homines commercium fit, aut geſtu, aut ſono: rurſum in ſono humano, hoc eſt, in ſono a naturali tibia edito, diſtinguuntur toni, & voces: geſtus, & tonus vocum ad idioma naturæ pertinent; voces ſunt dialectus arbitrariæ: loquuntur igitur homines, & vocibus, ſeu ſono, & vocum ſeu ſonorum tonis; prima locutio arbitrarium ſermonem, ſecunda inſimul cum geſtu naturalem efficit: Arbitraria dialecto ideæ ut plurimum, ſeu mentis conceptus, tonis, & geſtu animorum affectus exprimitur: ita ſi vocem *ſervus* nullo aut geſtu, aut vocis tono ſeu modificatione proferas; hominem homini ſubjectum, ſeu tuam de illius hominis conditione ideam ſignificas, quin aliquid de tuo erga illum animo exprimas: voci hunc, vel illum tonum addendo, iracundiam, amorem, aut odium, hoc eſt, animi affectum, erga hominem prodis; quod ſi certum manus, capitis, oris &c. geſtum adjicias, licet unam illam vocem proferas, quid *ſervum* agere velis indicaſti.

150. Ita quidem fit, ut noſter hominum communis, & familiaris ſermo ex triplici illa dialecto participet, ſitque inſimul naturalis, & arbitrarius: mutuo ſe ſe juvant, ſupplent, alterque alterius vices, & munus gerit, neque fieri poterit, quam diu mentem, & voluntatem, ſeu ideas, & animæ cordiſque poſſiones habuerimus, quin utramque ſemper dialectum permiſceamus. Cum linguam arbitrariam vocibus definio, dico tantummodo, quod res majori ex parte exiſtat, neque enim ob hac dialecto, *res* excludo, quibus etiam homines ſenſa aliqua, atque ideas ſignificant. Ita Ægiptii olim Hyeroglificis tamquam arbitrariæ dialecti vocibus utebantur: veſtis apud nos lugubris, militaris, ſenatoria, & hujuſmodi alia dictionarii ſpeciem referunt.

Secundam hanc dialectum arbitrariam omnino eſſe, ex ipſamet rei conſideratione patet: cum altera alterius gentis voces non intelligat: hæc igitur non ſolum apud omnes gentes, tempora, & loca univerſalis non eſt; ſed in eadem etiam natione in dies mutatur, ita ut iidem Luſitani, aut

Galli

Galli veterem earumdem gentium linguam non intelligant; quod quidem argumento eſt communem ſermonem eſſe purum arbitrii opus, qua parte ſonorum; ſeu vocum diverſitate diverſas ideas ſignificamus, ut ſtatim dicemus. Et hinc etiam eſt, quod linguæ ſint non modo pro gentium diverſitate variæ, ſed etiam pro maiori, minorive nationum vivacitate, idearum ubertate, & rerum copia, magis, vel minus amplæ, & verborum ditiores.

151. Prima loquendi ratio, principium, cauſſa, & modus ex noſtræ animæ indole, & corporis mechaniſmo pendet: tota proinde Phyſica eſt, Mechanica, atque humani corporis compoſitioni, ſenſuumque functionibus innitur. Cum ad Phyſicam viventium ſpectet, & Anatomiam ſupponat; præcipua totius rei capita ſeptimo noſtræ Phyſicæ volumine late proſequimur, ubi poſt humani Corporis anatomen, muſculorum, nervorum, & aliarum partium munera, motus, loquelam, & quamplurima alia exponimus, quibus animi noſtri paſſiones explicantur. Hoc igitur in loco artificialem ſermonem (quantum ad Logicam ſpectat) proſequemur, omnia alia Grammaticis reliquentes.

§. II.

De linguarum origine, & natura.

152. Linguarum origo in opere Logico ſummis tantum labiis & curioſitatis gratia attingenda eſt; paucis tantummodo indicando, quid de primo linguarum inventore, quid de ratione, quam primi homines in primo idiomate didicendo habuerunt, quid tandem de prima humani generis lingua ſentiamus. Duplicem loquendi modum inter homines uſitatum diſtinximus: naturalis ille, quo potiſſimum omnes animorum motus, atque paſſiones ſignificantur, ipſiuſmet naturæ opus eſt, qua duce, & magiſtra totam illam dialectum citra laborem, & ſtudium ediximus. Artificialem vero, ſeu arbitrariam linguam in modulatis ſonis conſiſtentem a Deo Optimo Maximo primos parentes accepiſſe, ſeu

ſeu ipſum mundi conditorem fuiſſe primæ linguæ auctorem, eamque Adamum, cum ab ipſo crearetur, peculiari lumine, & inſpiratione fuiſſe edoctum, communiſſima eſt cum Hebræorum, tum Criſtianorum opinio. Non pauci tamen ſunt, tum veteres, tum recentiores Philoſophi, & eruditi quamplurimi alii, quorum judicio omnes arbitrariæ linguæ ſunt ipſorummet hominum inventum, ita ut homines prout ad mutuum commercium, & ſocietatem opus eſſet, paullatim, & non niſi ſucceſſive voces inter ſe ſtatuerent, de iiſque convenirent, quibus, & mutuas ipſorum ideas, & res ad commercium neceſſarias ſignificarent: hæc fuit omnium Epicureorum opinio *a Lucretio* eius Sectæ Philoſopho verſibus expoſita. . . . .

„ At varios linguæ ſonitus natura ſubegit
„ Mittere, & utilita expreſſit nomina rerum
„ Non alia longe ratione, atque ipſa videtur
„ Protrahere ad geſtus pueros infantia linguæ,
„ Quum facit, ut digito, quæ ſunt præſentia monſtrent.
„ Proinde putare aliquem tum nomina diſtribuiſſe
„ Rebus, & hinc homines didiciſſe vocabula prima,
„ Deſipere eſt (a)

153. Eamdem hodie tenent plurimi eruditi viri, inter quos *Richardus Simon* (*b*): e veteribus Patribus eamdem docuit *D. Gregorius Nyſſenus* (c) qui & linguas omnes in Babelica confuſione ortas, non divino miraculo, ſed communi rerum humanarum conditioni tribuit, omniaque illa ſolvit, quæ a ſacra pagina in contrarium adduci poſſent. Ut vero a primo capite exordiamur; ſatis probabilis mihi videtur D. Gregorii Nyſſeni ſententia. Primo enim ſonos edere, immo & ſonum in tonos, & modulationes inflectere ad animi paſſiones exprimendas omnes a natura accipimus: tantillum ſolummodo a prima hac naturæ dialecto diſtat, eos ſonos

(*a*) Lucret: Lib. V.
(*b*) Hiſt. critique du vieux teſt. L. 1. Chap. 14. 15.
(*c*) In oratione.

ſonos multiplici ratione inflexos ad ideas, & res ſignificandas ſtatuere: ad idque tentandum, & peragendum natura iter complanaverat, & primos homines manu ducebat. Secundo, in prima rerum origine integrum humanum genus per aliquot annos ad duo tantum capita pertingebat, quæ, cum ab una parte adulto, atque perfecto rationis uſu, ac lumine in feliciſſimo rerum ſtatu eſſent creata, ab alia vero paucis tantummodo & rebus, & rerum ideis opus haberent, quas ad mutuam inter ſe ſocietatem ſervandam, ſibi ipſis mutuo ſignificarent, & ad id præterea a natura ipſa deducerentur; nullo negotio in rem ipſam devenerunt: quæ enim modo in præſenti rerum ſtatu, & tot linguarum multiplicitate, ubertate, & confuſione difficilia, ac vix non impoſſibilia apparent, ſi rem ad primævum ſtatum, & primam ſimplicitatem revocemus, in qua de paucis tantum duorum hominum inter ſe officiis ſignificandis agebatur, res minime difficilis exiſtimabitur. Humano genere ſe ſe paullatim multiplicante plurimis interfluentibus annis, paullatim etiam pro rerum, & objectorum opportunitate novæ inveniebantur voces ex ipſiſmet rebus potiſſimum deſumptæ, quibus prima linguæ rudimenta augebantur.

154. Quod ſi vel ab ipſa rerum origine Deum ipſum una cum primis hominibus loquentem, vel Adamum propria animanribus ſingulis nomina imponentem in ſacra pagina legimus, nihil inde in nos difficultatis opponitur: quod primum enim attinet, ſatis apud omnes ſacrarum rerum interpretes conſtat, longe aliam eſſe inter Deum, & homines, atque inter homines ipſos linguam, ſeu locutionis modum, & genus. Secundum vero homini ſublimi rerum naturalium ſcientia a Deo inſtructo fuiſſe facillimum, licet verba ipſa a Deo non didiciſſet, nullus diffitebitur: hujuſmodi autem fuiſſe Adamum, communis eſt omnium ſententia, quam quidem facile eſſet, & rationibus, & Patrum auctoritate confirmare. Sed in opere logico rem indicaſſe ſatis; eaque propter ulterius *D. Gregorii* ſententiam impræſentiarum non promoveo:, quod diffi-

difficile eſſe nequaquam exiſtimo, ſi linguarum orientalium antiquiſſimarum Sinnicæ, Hebraicæ, Chaldaicæ a primitiva paullo recedentium, indolem, ſimplicitatem, imperfectionem cum recentioribus linguis comparemus. Concluſionis loco ſit, quod *Nyſſenus* ipſe addidit, Deum quidem res omnes, non tamen verba aut idiomata feciſſe legimus.

155. Ratio inventionis linguarum, ſi vera ſunt quæ modo diximus (rem enim alias obſcuriſſimam fatemur) plane conſtat: ſonos edere, & ſonum ipſum in eos tonos attollere, deprimere, modulari, quibus dolor, triſtitia, gaudium, lætitia, amor, blanditiæ, & mille hujuſmodi aliæ animorum paſſiones exprimerentur, geſtibus præcipue accedentibus, natura ipſa homines docuit. Hoc primum fuit artificialis loquelæ fundamentum a natura ipſa poſitum, quo non ſolum animi motus, ſed mentis etiam ideæ exprimebantur, dum enim aliquis blanda, & interrupta voce ſonum una cum voce exprimebat, non ſolum cordis amorem, ſed amoris quoque ideam ſignificavit. Ex prima hac naturæ lectione, & monitu ad ſingula fere momenta recurrente, plana omnino via erat ad prima artificialis linguæ fundamenta ponendum; aliud enim alii affine eſt argumentum. Sonos quoſcumque, ſeu voces edere, pronum omnino erat; earum modificationibus, non ſolum animi motiones, ſed non paucas etiam mentis ideas ſignificari, natura ipſa docuerat, & ad ſingula momenta confirmabat: aliis igitur ſimilibus vocibus alias etiam mentis ideas, & res quaſcumque alias ſignificari poſſe, pronum erat inferre, remque ad experimentum deducere; Res tamen paullatim, ut diximus, & pedetentim, ſolummodo pro rerum opportunitate, neceſſitate, & creſcente in dies hominum numero procedebat: dum enim paucis omnino rebus duo primi homines ad vitam alendam, mutuamque ſocietatem ſervandam opus haberent, & mutuo inter ſe uterentur; inutile plane eſſet nomina invenire ad res vel ignotas vel ſub ſenſus humanumque commercium nunquam incidentes invenire; cum in ſingulis etiam modo

na-

nationibus, & linguis rerum ſolum iiſdem gentibus notarum nomina animadvertantur. Prima linguæ primitivæ vocabula, ſeu primas, & ſimpliciſſimas radices res externas ſignificantia a rebus ipſis homines veluti hauſiſſe exiſtimandi ſunt: hac enim ratione & infinitis arbitrariis vocibus, quibus res eadem ſignificari poterat, unam præ aliis ſtatuere facillimum fuit.

156. Linguam artificialem humanam homines ipſos habere auctores, & indicata modo ratione paullatim fuiſſe inventam, ſequentia ulterius confirmant: primo certum eſt non paucas eſſe hodie nationum linguas ab antiquis omnibus toto cælo differentes, quas homines ipſi paullatim invenerunt, & ſibi ipſis compoſuere. Eſto, dicet lector, facile enim fuit ab una ad aliam linguam paullatim, & labentibus annis deflectere, aliaque aliis ſubſtituere vocabula: bene eſt, repono: æqua tamen facilitate a naturæ ad artis dialectum natura ipſa duce deveniri potuit. Secundo: Antiquarum linguarum orientalium, quæ ad primitivam proxime accedebant, & Hebrææ in primis, quæ omnium prima communiter exiſtimatur, ſimplicitas atque etiam imperfectio. Radices enim Hebraicas una, duabus aut tribus tantum literis conſtare; plura in eadem lingua deſiderari verborum tempora, omnia fere Hebraica nomina eſſe æquivoca, & mille alias in eadem eſſe ſimplicitatis, & imperfectionis notas, nulli erudito homini eſt ignotum: Hæc autem omnia humanæ mentis opus ſapiunt, a facilioribus, & ſimplicioribus ſemper incipientis, & nihil perfectum primo ſaltem conceptu parturientis.; dum ex adverſo quidquid Deum habet auctorem, licet a mira ſimplicitate non recedat, perfectum tamen ab ipſamet origine exiſtit: quantum enim vero eſt inter Græcorum, & Arabum facundiam, & ubertatem, & Hebræorum paupertatem diſcrimen? Tertio: Aliquæ ſunt antiquiſſimarum Orientalium linguarum, quarum prolatio cantum quemdam continet, ita ut familiaris earum gentium confabulatio, quidam cantus eſſe videatur, & pro tonorum varietate, uno eodemque vocabulo plura ſignificent

toto

toto cælo diverſa, ita ut in ipſiſmet antiquiſſimarum gentium linguis naturæ, ſeu ten~rum idiomatis, non obſcura veſtigia deprehendamus: rem videre eſt apud Sinas (*a*), quorum lingua, ut & imperium, antiquiſſima eſt, & quatuor fere annorum millia numerat, ipſumque univerſale diluvium prope attingit (*b*): eaque propter ſunt, qui ejus gentis linguam, omnium primam fuiſſe exiſtiment (*c*).

157. Quænam tandem fuerit primittiva humani generis lingua, quod tertio loco exponendum propoſuimus, res eſt valde incerta: Hebræi, & plurimi S. Patres, & Scripturæ Sacræ Interpretes id tribuunt antiquæ Hebræorum linguæ quæ in Babilonica captivitate periit: antea vero commune fuerat Phæniciorum idioma, a quibus illam didicit Abraham, eorum in regione plures annos commoratus. Sed Hebrææ litem intendunt Chaldaica Copthica, Arabica, Sinica. Totam hanc controverſiam pro dignitate tractare, res ſane eſſet æque erudita, atque impræſentiarum inutilis: iis igitur omiſſis ad utiliora progrediamur.

§. III.

Linguarum, ſeu verborum natura, Indoles, ſeu ſignificatio.

158. Puros ſpiritus ſolis inter ſe mentis conceptibus ſecum invicem loqui, communis omnium ſenſus eſt; nullis etiam nos vocibus, hoc eſt, articulato ſono, opus haberemus, ſi anima noſtra in humanis corporibus non exiſteret, aut unicuique noſtrum ſecum ipſo tantum agendum eſſet: anima tamen, & corpus ſumus, & humana cum aliis hominibus ſocietas ineunda, atque ſervanda eſt; præter ideas igitur, quæ ad primum caſum ſufficerent, verba etiam adhibere oportet. Problema eſ-
ſe

(*a* Le compte Noveaux ſur l'etat præſent de la Chine. (*b*) Le compte Du-Halde hiſtoire de la Chine. (*c*) Apud Nicolai.

ſe poteſt Philoſopho non indignum, quid primum in hominibus ſit, cogitare, an voces edere ad naturæ dialectum ſpectantes? (arbitraria enim lingua cogitatione poſterior eſt). In pueris res locum habet, cum tamen id ab obſcuriſſima quæſtione illa dependeat, *quorum anima ſemper cogitet*, non facile ſolvetur: utcumque res ſit, cum ideas noſtras ad objecta referimus eaſque exponere adnitimur, verborum jam uſus incipit. Hominum Linguæ arbitrariæ, & artificiales aliud non ſunt quam *ſoni articulati, & inflexi ab hominibus ad arbitrium inſtituti ad ideas ſuas, & objecta ſignificandum & viciſſim aliis explicandum*.

159. Ad hanc definitionem aliqua ſunt notanda, aliqua etiam probanda: primo: Loquimur tantummodo de lingua, & vocibus artificialibus, atque arbitrariis; de naturæ enim idiomate ſonis etiam expreſſo ſuperius jam diximus: non igitur de cordis, & paſſionum animi, ſed de mentis dialecto agimus. Secundo: Nobile hoc linguarum artificium a mira illa, & animi noſtri indole, & inſtrumentorum mechaniſmo oritur, quibus ad ſonos citra difficultatem edendos, inflectendos, modificandos nos inſtruxit Deus. Tertio: Nihil nos hic agimus de ſcriptura: id enim mirabile alioquin inventum, memoriæ ſupplementum, & rerum omnium tabularium, linguas, & voces non componit, ſed tantum ſervat: tota linguæ ratio, atque natura in verborum ideas & objecta ſignificantium prolatione, nequaquam vero in ſcriptura conſiſtit. Alioqui tamen, licet nulla ſit inter ſcripturam, vocem prolatam, ideam, & objectum naturalis connexio; ea eſt conſuetudinis jam inde a cunis hauſtæ efficacia, ut quatuor illa omnia menti in ſimul occurrant, ſimul ac eorum unum oculis, auditui, menti, aut memoriæ obverſatur: & hæc quidem notanda.

160. Per voces ideas loquentium ſignificari, in definitione diximus, & probandum ſupereſt; hic tamen non inficiamur, aliqua nonnunquam ab hominibus proferri verba, quæ vel nullam omnino ideam ſignificent, vel eam ſaltem non exprimant,

quæ

quæ in loquentis mente exiſtit: primum viſitur in iis qui audita aliquando verba, quin eorum ſignificationes caperent, male poſtea proferunt; Secundum in fatuis, & deliris hominibus; at in neutro eorum caſu eſt humana locutio, de qua tantum agimus, ſed alia pſitacorum ſimilis ad rem noſtram non pertinens. Jam vero ideas loquentis vocibus ſignificari facile probatur; primo quia omnes loquimur, ut ab aliis intelligamur, hoc eſt, ut quæ in mente habemus, ab aliis capiantur: ſecundo de iis præterea ſolummodo loquimur, de quibus aliquam habemus ideam, & cum de re quacumque loquimur, de ea agimus, pro ut in mente habemus: tertio; Eo tandem loquendo collineamus, ut quæ quales quantæque ſunt in nobis ideæ, ab aliis intelligatur: atqui his omnibus plane evincitur, verba a nobis prolata ideas noſtras ſignificare.

Sola tamen hæc non eſt verborum ſignificatio, ſed ad res etiam, idearum noſtrarum objecta, extenduntur: de rebus etiam loquimur, de iis ſermonem noſtrum intelligi volumus, neque in humana ſocietate locutione, & commercio, pura imaginationis noſtræ commenta, mentiſque ideas, & fictiones ſignificamus; duo igitur hæc ideæ, & idearum objecta ſunt integra humanæ loquelæ ſignificatio. Dum loquimur, ideam noſtram de re aperimus, objectum, prout a nobis concipitur, vocibus exprimimus; & hoc quidem eſt ideas verbis ſignificari: inſimul tamen vanas rerum imagines aliis obtrudere non intendimus, ſed vera objecta apprehendere ſemper arbitramur, & talia verbis ſignificamus: Enimvero nullus eſt, qui propoſitionem v. g. *exiſtit mundus* non dicat veram aut falſam, propterea quod objectum iis verbis ſignificatum in rebus exiſtat, aut deficiat; quod quidem non ſtaret, niſi vocibus objecta ſignificarentur. Atque hæc omnia unuſquiſque noſtrum in ſe ipſo facile animadvertit: utrum vero voces primo, & præcipue ſignificent ideas, ſecundo autem objecta, aut viciſſim, an potius utrumque æque ſignificent, in ſcholis etiam diſputatur: rem parvi momenti exiſtimo; loquere, & rem ſuppone, ut magis arriferit;

ſerit: forſitan inter voces diſtinguendnm eſt, aliquando ita loquimur, ut ideam potius noſtram, quam objectum verum intelligamus: nonnumquam etiam appoſitum; aliquando utrumque æqualiter intelligimus.

162. Omnia artificialis linguæ verba ex hominum tantum placito vim ſignificandi habere; ultimum erat in data definitione probandum: id vero apud omnes conſtat: ſi a natura enim eſſet verborum ſignificatio, unica eſſet omnium hominum, & nationum lingua; cum una eademque in iis omnibus ſir natura quæ in facta hypotheſi eſſet linguarum principium, & integra cauſſa. Equidem eadem ſunt apud omnes gentes paſſionum animi verba, ſeu ſigna; propterea quod pathetica illa lingua ſit omnino a natura quæ ubique terrarum eſt eadem. Secundo. Earumdem etiam gentium in iiſdem regionibus manentium tempore, & paullatim mutantur linguæ, eadem ſemper perſeverante natura. Tertio. Quæ denique a natura ſunt idearum aut paſſionum ſigna, a quocumque homine edantur, ab aliis diverſarum gentium, & linguarum hominibus capiuntur: Lapponem ſcilicet hominem, cujus linguam ignoro, contriſtari, gaudere, deſiderare, horrere &c. percipio, dum interea neque ipſum loquentem capio, neque natio aliqua alterius gentis linguam percipit, niſi prius opera, & ſtudio ignotam antea linguam ediſcat: aliter enim numquam fiet, ut Hiſpanus hiſpane loquens, quas ideas in mente habet, atque verbis exprimit, audienti Sinæ explicet.

162. Qua igitur admiratione dignum non eſt, ut licet nulla ſit inter ſonos a nobis articulatos, & noſtræ mentis ideas connexio, aut relatio aliqua naturalis; A longa tamen conſuetudine ſingularis illa habeatur catenatio, & veluti ſimpathia inter mentem & os, ideas & voces, ut ad auditas voces, verborumque torrentes, eæ etiam in mente noſtra idearum ſeries, ac veluti torrentes excitentur, loquentis ideis ſimiles, ut ſpontanea atque naturalis potius, quam arbitraria eſſe videatur inter prolatos ſonos, & excitatos ideas connexio. Duo ſane

hæc (ſonus, & idea, res materialis, & ſpiritualis) inter ſe diſſimilia, & toto cælo diverſa ſe ſe mutuo excitare, quædam *naturalis magia* dici poteſt; talis enimvero eſt humanarum animarum indoles, & diuturnæ conſuetudinis efficacia. Veram hujuſce arcani cauſam Deus unus ſcit: phyſicum tentamen ad rem occultiſſimam indagandam dedimus in Phyſica viventium, ubi de memoria diſſeruimus: de primo rei principio in metaphyſica diſputamus. Iis impræſentiarum omiſſis, Logicæ ſtudioſo agnoſcere atque probaſſe ſatis ſit primo; humani generis linguas eſſe humani arbitrii opus: 2°. hominum ideas objecta ſignificare: 3°. vulgarem tamen ſermonem, prout ab hominibus profertur, partim eſſe patheticum, & naturalem, partim & præcipue arbitrarium: ita dominus a vocato, & cunctanti ſervo graviori voce quærens, *quare vocatus non veniſti*: verbis quidem cunctationis cauſſam, verborum tono, & naturæ idiomate iram, & impendentem ſervo percuſſionem ſignificat.

§. IV.

Multiplex verborum diviſio quod ad rem Logicam ſpectat.

163. Quoniam grammatici munus non agit Logicus, ſed aliqua ex grammaticis nota ſupponit; argumenti gratia pauca tantum, quæ neceſſaria ſunt, attingemus. Plures idearum diviſiones ſupra poſuimus; quarum aliquæ iis ſunt propriæ, aliæ ratione objectorum ideis conveniunt: cum ergo voces, & ideæ in eo conveniant, quod ad eadem objecta referantur; eaque aut mente exprimant, aut audienti ſignificent, prout in mente erant expreſſa; eædem ſunt idearum, atque verborum diviſiones, eaſque idcirco ſummatim colligere ſufficiet. Primo igitur verba ſignificant, aut res ſeu ſubſtantias, aut modos rerum, aut res modificatas. 2°. Ideas relate ad objecta diviſimus in *univerſales, ſeu communes, ſingulares abſtractas & concretas, in ſimplices & complexas ſubſtantiarum, modorum* &c.

omnes

omnes hujuſmodi diviſiones verbis etiam conveniunt; cum illæmet ideæ, & idearum objecta, vocibus ſignificentur. Ad has tamen omnes præmittenda eſt alia vocum diviſio, quæ magis ad Logicos ſpectat (Grammaticorum enim propria omittimus), quæ eſt in *verbum & nomen*: hæc enim duo ſunt omnium propoſitionum elementa, ſicut ideæ iis ſignificatæ, totam judiciorum, ac ratiocinationum naturam, hoc eſt Logicam componunt.

164. Nomina ſunt voces, quæ ſignificant *res*, aut *modos rerum*, ſeu ideam, & objectum ſuum exprimunt, ut rem ac ſubſtantiam, ſeu ut modum, hoc eſt, ut rem modificatam, quin aut tempus, aut actionem ſignificent. Hinc prima nominum diviſio, quam ſolam conſiderabimus, in *nomen ſubſtantivum*, & *nomen adjectivum*: primum eſt, quod *res*, aut tamquam res, ſeu ſubſtantias ſignificat, ſeu potius (ut voces ſemper ad ideas referamus) quod rerum, ac ſubſtantiarum ideas ſignificat, ut *Cælum*, *terra*, *planetæ*: Secunda vero ſunt omnia illa, quibus res modificatæ exprimuntur, ut *cultus*, *terrenus*, *rubeus*, *niger*. Prima dicuntur, & ſunt *ſubſtantiva*, quia ſubſtantias, hoc eſt, *res per ſe ſtantes*, *aliiſque non inhærentes* ſignificant: alia vero dicuntur *adjectiva*, quia rem non per ſe ſtantem, ſed alteri *inhærentem* exprimunt; & hinc duo ſemper exprimunt, *rem*, & *modum*, quorum ſecundum primæ inhæret, ut *niger*, quo neque ſolus homo, neque ſolus color, ſed utrumque ſignificatur.

165. Sed cum mentis humanæ ſit, res, & modos diverſis rationibus concipere, & modos tamquam ſubſtantias, ſubſtantias tamquam modos mente cogitemus, nominaque iis hac ratione conceptis imponamus; inde fit, ut *Rubedo*, *habitatio*, *frigus* ſint ſubſtantiva nomina, licet modos rerum ſignificent; quia modos tamquam res exprimimus: contra vero *humanus*, *divinus* ſunt adjectiva, quantumvis nihil, niſi ſubſtantias ſignificent; quoniam rem ita concipimus, quaſi in duo diſtinctam, unumque alteri adhærens, remque ita mente conceptam verbis iis exprimimus. Quare nomina ſunt, & dicuntur

tur ſubſtantiva, aut adjectiva non ex veritate rei, ſed ex modo, quo objecta ipſa concipimus, & vocibus ſignificamus. Nomina, quibus objectum exprimimus, quaſi rem in ſe conſiſtentem, nullique alii adhærentem, ſunt ſubſtantiva: ſint nec ne ſubſtantiæ, quæ exprimimus; contra vero nomina, quæ rem exprimunt, tamquam alii inhærentem, licet longe aliter in re exiſtat, adjectiva nuncupantur. Hæc igitur poſtrema v. g. *rubeus* duo ſemper ſignificant, præcipue quidem, ſed confuſe objectum, ſeu rem; ſecundo autem, ſed clarius modum ipſum *rubedinem*.

166. Rurſus ex modo ipſo ſignificandi, & objectum reſolvendi aliqua apud Grammaticos ſunt ſubſtantiva, quæ inter Logicos adjectiva habentur: hujuſmodi ſunt *Rex*, *Regina*, *Prætor*, *Gubernator*, & innumera alia: cujus ratio eſt, quod duo ſemper ſignificent, hominem, & dignitatem. v. g. Eadem de cauſa *humanum*, *divinum* & alia apud Grammaticos ſubſtantiva, in Logica ſunt adjectiva. Reliqua, quæ de nomine, & pronomine relativo, & multiplici nominum ſpecie dicunt Grammatici, prætermittimus, & nota aliunde ſupponimus: ad propoſitionum veritatem, aut falſitatem detegendam, diligentiſſime ſemper animadvertenda eſt determinata hujuſmodi vocum ſignificatio, & ſignificandi modus: infinitus enim eſt illarum, tum in familiari tum etiam in ornato ſermone uſus; majoremque propoſitionum, atque periodorum partem ingrediuntur, & componunt: multiplex, & varius earum ſignificationum modus; qui diligenter ex grammaticis habendus eſt, ut in iis adhibendis, aut intelligendis non fallamur.

De Verbo.

167. Sicut nominibus exprimimus rerum ideas, ita verba ad actiones, & paſſiones ſignificandas inſerviunt. Quid ſint *verba*, multipliciter apud Logicos, & Grammaticos definitum invenies: nobis quidem, *verbum eſt vox cujus præcipuum munus eſt affirmare actiones, & paſſiones*: in hoc poſita eſt

tota

tota verbi natura, nihilque affirmat, quod verbum non exiſtat; nullumque eſt verbum, quod non affirmet aliquid: idque ſemper ſunt actiones, aut paſſiones: rem meditanti, & verba ſingillatim examinanti definitio probabitur; eamque in omni verborum genere locum habere, comperies: *ſum*, *vivo*, *amo*, *ſedeo*, *frigeo*, *moreris*, *naſcitur*: ſunt puræ affirmationes alicujus actionis aut paſſionis de aliquo; hunc enim ſenſum reddunt: *ego ſum exiſtens*, *ego ſum vivens*, *ego ſum amans*, *tu es moriens*, *ille eſt naſcens*: aliis etiam modis reddere poteris verborum ſenſum; affirmatio tamen ſemper ſignificabitur.

168. Convenit id etiam verbis negativis: omnia enim affirmant: *negaſti* v. g. & alia negativa ſunt voces affirmativæ, cum id tantum ſignificent, *tu fuiſti negans* &c. Convenit etiam verbo ſubſtantivo *ſum*, de quo aliqua eſſe poſſet dubitatio: id enim verbum reapſe affirmat exiſtentiam, quam ſignificat. Contra vero *affirmatio*, *affirmans*, *affirmatum* & ſimiles aliæ voces ſignificant quidem affirmationem, non tamen affirmant, & propterea non ſunt verba.

169. Ex verborum natura, atque linguarum indole, ſeu arbitraria hominum impoſitione ſingula verba, licet ſint ſimplices voces, *amo*, *legi*, *audierunt*, ſunt tamen integra oratio ſeu propoſitio: hæ enim voces ex hominum impoſitione ſignificant perſonam, ſeu ſubjectum ex natura verbi affirmant rem, quam ſignificant: integram igitur propoſitionem continent. Dixi, *ex linguarum indole*, quia in Anglica lingua v. g. quæ, præter alia multa, verba non inflectit, id tantum pronominum ope perficitur. Alios animi affectus verba etiam indicant, atque ſignificant, cujuſmodi ſunt imperium, deſiderium, preces, & alia ſimilia; præcipuum tamen in omnibus verbis eſt *affirmare actionem*, *aut paſſionem*, quam ſignificant. Præterea in hiſce etiam modis, quibus verba diverſos animi affectus indicant, aut ſignificant, facile eſt affirmationem animadvertere.

170. Ex dictis duo inferuntur: primum, verbis

bis quidem, non tam ideas, quam judicia noſtra exprimi; cum omnia ſint affirmationes: affirmatio autem ideam ideæ conjungit, hoc eſt, judicium efficit, ideam ſupponit: Secundum, Judicia noſtra alia ſunt affirmativa, alia vero negativa, non tamen verba: quare judicia affirmativa ſimplicibus verbis elicimus, negativa autem duplici ſaltem voce exprimuntur negatione, & verbo: id autem ab ipſorum hominum natura pendet: unde iterum notabimus duo verba, *nolo*, *nego*, affirmare, & affirmativum mentis judicium exprimere; id quod facile animadvertes, diſcrimen obſervando, quod inter *nego*, & *non affirmo*, inter *nolo*, & *non volo* intercedit.

LECTIO SECUNDA

De Judiciis ſeu Propoſitionibus, earum natura, ſpeciebus, nominatim vero de Propoſitionibus ſecundum earum quantitatem ſpectatis.

§. I.

De propoſitionum natura, atque diviſione multiplici.

171. In mente humana nihil hactenus præter rerum ideas, atque expreſſiones, ſeu vocabula conſideravimus: ſimpliciſſima illa duo ſunt cæterarum mentis operationum neceſſaria elementa, a quibus anima incipit, & in quibus ſiſteret, qui eſſet omnino ſtupidus, atque ob eam mentis ſtupiditatem de omnibus dubitaret, ſeu potius de nullis rebus ſententiam ferret. Naturali humanæ mentis ingenio fit, ut ipſa ideas ſuas, quaſi congeſtas opes reviſens, ad illaſque attendens, earum inter ſe convenientiam, aut repugnantiam animadvertat, aliaſque exinde de aliis affirmet, alias vero neget. Hæc quidem affirmatio, aut negatio aut ſola mente fit, aut verbis etiam exprimitur: ſi primum, nuncupatur *judicium*, *aſſenſus*, aut *diſſenſus*, hoc eſt, *judicium affirmans*, aut *negans*: ſecundum *propoſitio* appella-

pellatur. Exemplo ſint tres hujuſmodi ideæ *Deus*, *juſtus*, *injuſtus*, quas cum ratio noſtra perpenderit, ſola mente, aut verbis etiam pronuntiat, *Deus eſt juſtus*; *Deus non eſt injuſtus*.

172. *Propoſitio*, *Oratio*, ſeu *Judicium eſt dictio unius de alio*: *mentalis* quidem, ſi ſola mente fiat; *verbalis*, ſi & mente, & verbis peragatur: in utroque enim actum mentis intercedere opus eſt, alioquin eſſent verba ſine ſenſu. Tria igitur in omni propoſitione ſint, neceſſe eſt, primum quidem *ſubjectum* nuncupatur, de quo aliquid dicitur, quale eſt in datis propoſitionibus *Deus*: Secundum vero attributum, ſeu *prædicatum*, quod de ſubjecto dicitur, cujuſmodi ſunt in allatis propoſitionibus *juſtus*, & *injuſtus*: Tertium denique per verbum *eſt* communiter expreſſum *nexus*, ſeu *copula* nuncupatur, mentiſque aſſenſum aut diſſenſum indicat. Priora duo ſunt, & vocantur propoſitionum *materia*, *termini*, *extrema*; tertium vero *forma*. Omnis igitur propoſitio eſt ſententia mentis, totaque illius natura in affirmatione, aut negatione prædicati de ſubjecto conſiſtit: in anima nihil eſt aliud, quam approbatio, aut reprobatio convenientiæ, aut diſconvenientiæ inter propoſitionis terminos.

173. Multiplex hinc naſcitur propoſitionum diviſio, tum ex ratione materiæ tum etiam ex ratione formæ, idque potiſſimum ex mentis noſtræ ubertate, quæ ideas multiplici ratione tractat, dividit, conjungit, abſolute, aut non niſi certa modificatione enuntiat, ut modo proſequemur. Interim tamen animadvertimus, ex linguarum genio eſſe, quod propoſitiones pluribus paucioribuſque verbis exprimantur; dummodo tamen verum ſit, tria, quæ diximus ſemper ſignificari. Propoſitionum unico, aut duobus verbis conſtantium exempla ſint: *Scribo*, *Deus exiſtit*, *es*, *fuiſti*: unica ſæpe particula præſertim in patheticis non modo propoſitiones, ſed integræ periodi comprehenduntur: ita ſi longo argumento tibi probem, te eſſe cruce dignum, cui iratus ſubjicias, *ego ne?* unico hoc verbo non modo unam propoſitionem, verum & plures, & integrum periodum comprehendes: id vero apud co-

micos potiſſimum, & ſermone varios animorum affectus experimente locum habet. Contra vero infinitæ paſſim occurrunt propoſitiones, quæ non modo tribus verbis, atque ideis, verum magno utrorumque numero, atque, ut ita dicam ſatellitio conſtant, quæ quidem ſunt terminorum *adjuncta*, aut *partes*, *explicationes*, *ampliationes*, *reſtrictiones*, & uno verbo, quidquid in familiari aut ornato ſermone aut ſcripto legimus ad propoſitionis genera ſpectat.

174. Propoſitio tam ſecundum formam, quam ſecundum materiam accepta in varias ſpecies dividitur, & ſecundum utramque diverſas quoque habet proprietates. Secundum formam dividitur propoſitio in *affirmativam*, & *negativam*: quarum exempla ſunt, *lingua primitiva eſt hebræa*, *lingua primitiva non exiſtit*. Rurſus cum forma propoſitionis ſit convenientia, aut repugnantia inter ejus terminos: utraque propoſitio, tam affirmativa, quam negativa dividitur in *poſſibilem*, *impoſſibilem*, *neceſſariam*, *contingentem*: tot enim ſunt inter utrumque extremum convenientiæ, ſeu relationes. Quod ſi in propoſitione prædicatum de ſubjecto abſolute affirmetur, ut in allatis exemplis fit, propoſitio dicitur *abſolta*, ſi modum affirmemus, quo unum alteri extremo conveniat, aut repugnet, ut *neceſſe eſt Africam circuire, ut ad Indiam orientalem perveniamus*: *impoſſibile eſt uſque ad antarcticum polum navigare*, dicuntur *modales*. Harum poſtremæ in communem hominum ſermonem frequenter incidunt: communis tamen ſenſus ſatis oſtendit, quid iis ſignificemus, quin inutilibus tricis involvamur, quibus aliqui ſcholaſtici tempus, & operam in hiſce perdunt.

175. Si propoſitionum materiam ſpectemus, dividuntur in *ſimplices*, *complexas*, *compoſitas*. *Simplex* nuncupatur, cujus termini ſunt ſimpliciſſimi; unicam ſcilicet ideam ſimplicem, complexam aut compoſitam de alia dicunt: *Deus eſt*; *anima eſt immortalis* &c. *Complexa* eſt, cujus termini non ſunt ſimplices, ſed ex pluribus ideis, aut propoſitionibus conſtant, quas vocamus *incidentes*, in eaſque

que ideas, aut propoſitiones reſolvuntur: v. g. *qui amat periculum, peribit in illo*: *Deus æternus condidit mundum in tempore*. Hujuſmodi ſunt omnes oratorum periodi, innumeræque aliæ, quibus communis hominum ſermo intexitur. Harum propoſitionum magna eſt varietas, ut facile quiſque per ſeſe animadvertere poteſt, ut inferius exponemus, ubi incidentium propoſitionum indolem explicabimus.

176. *Compoſitæ* denique illæ ſunt, quarum termini ex pluribus terminis componuntur unico verbo inter ſe unitis, ita ut in duas ſaltem propoſitiones *non incidentes* compoſita quæcumque reſolvatur. Termini autem poſſunt aut expreſſe, aut implicite alios plures terminos continere. Prioris generis *Compoſitæ* ſunt *Conjunctivæ*, *Disjunctivæ*, *Conditionales*, *Cauſſales*, *Diſcretæ*, *Relatæ*, quarum omnium exempla inferius dabimus. Secundi generis ſunt *Excluſivæ*, *exceptivæ*, *comparativæ*, *inceptivæ*, *deſitivæ*; quæ omnes in ſpeciem quidem *ſimplices*, ſenſu tamen ſunt *compoſitæ* ut poſtea dicemus.

177. Tres deinde ſunt propoſitionum proprietates in logica breviſſime explicandæ, *quantitas*, *oppoſitio*, *converſio*; quæ quidem licet omnibus propoſitionibus ſuo modo conveniant, ſpeciatim tamen abſolutarum propoſitionum proprietates ſunt; ſi quo autem modo aliis etiam conveniant facile ex iis elicitur.

178. Quod propoſitionum formam generatim attinet, opus eſt animadvertere, in affirmativis aliud non affirmari niſi convenientiam inter duas illas ideas, ſeu terminos, unumque cum alio mente componi; in negativis vero unum ab alio mente etiam removeri: idque unum eſt quod *mentis aſſenſum*, *aut diſſenſum* nuncupamus: magis tamen hæc explicentur oportet.

§. II.

§. II.

De propoſitionibus ſecundum formam ſpectatis, ſeu de affirmatione & negatione, earumque vi, & indole, & propoſitionum quantitate.

179. Propoſitionum formam, ſeu affirmationis, & negationis indolem in abſolutis potiſſimum conſiderabimus; inde enim facile eſt rem ad omnes alias extendere: prius tamen animadvertenda eſt propoſitionum *quantitas*: eſt hæc terminorum extenſio, atque latitudo, puta cum propoſitionis ſubjectum plura, vel pauciora, omnia, vel aliqua, vel unum tantummodo comprehendit, ut exemplis patebit. Secundum quantitatem dividuntur propoſitiones in *Univerſales*, *Definita*, *particulares*, *ſingulares*: quarum exempla ſint: *Omnis Turca ad Mecam ſemel in vita peregrinatur*; *Chriſtiani Meſſiam credunt*; *Aliqui Chriſtiani Romano Pontifici non obediunt*; *Vaſcus de Gama primus ad Indiam ab Europa appulit*; quarum prima eſt *Univerſalis*, tertia *Particularis*, quarta *Singularis*; Cum talia ſint, eoque modo exprimantur earum ſubjecta: ſecunda vero dicitur *Indefinita*, propterea quod ſubjecti amplitudinem nullo modo definiat. Eodem modo ſe res habet in negativis: propoſitionum igitur quantitas a ſubjectorum amplitudine deſumitur.

180. Ut iſta evadant clariora, duplex diſtinguenda amplitudo in propoſitionum terminis, alia quidem dici poteſt *comprehenſio*, propterea quod integram prædicati ideam, aut partes comprehendat: ſecunda eſt *extenſio*, & res omnes, quibus prædicati, aut ſubjecti nomen convenit, comprehendere poteſt: *Omnis Homo Chriſtianus habet veram religionem*: *Homo*, & *Chriſtianus* ſunt comprehenſio *ideæ*, ſeu ſubjecti propoſitionis: ejuſdem autem extenſio ſunt ſinguli homines Chriſtiani.

181. Tum vero propoſitione affirmativa aſſentitur animus, unum terminum convenire, & eſſe idem cum alio; idque ipſum negat, atque diſſentitur propoſitione negativa. Hiſce poſitis, affirma-

firmationis, atque negationis propoſitionum indoles hujuſmodi eſt.

Regula I.

182. *In quacumque propoſitione abſoluta affirmativa, aut negativa prædicatum affirmatur, aut negatur de ſubjecto ſecundum integram comprehenſionem ſuarum partium, non vero ſecundum unam tantum, aut alteram partem.*

Regulam hanc, atque alias, quæ ſequuntur, communis hominum ſenſus, atque locutio probat: ita ſcilicet, qui dicit, *Arabiæ incolæ ſunt homines Aſiatici Mahometani*, de Arabibus non affirmat ſolum, aut ſeorſim eſſe *homines*, ſed tria illa, *Homines Aſiatici Mahometani*, quaſi unum eſſet, inſimul affirmantur. Falſa enim eſſet propoſitio, ſi Chriſtianam fidem amplecterentur, licet homines Aſiatici ſemper eſſent. Similiter in negativis: cum enim dicimus, *Ruſſi non ſunt Chriſtiani latini*, verum dicimus: non negamus igitur ſeorſim illos eſſe *Chriſtianos*; id enim eſſet falſum; utraque igitur illa idea in prædicato comprehenſa, quaſi res una tantum eſſet, in propoſitionibus affirmatur, aut negatur. Hæc ſcilicet eſt communis hominum inſtitutio, & linguarum indoles. Et hinc duo eruuntur inter ſe oppoſita: ut propoſitio affirmativa ſit vera, opus eſt integram prædicati, *Homines Aſiatici Mahometani* comprehenſionem, ſeu ideas ſubjecto convenire: Contra vero in negativis vera erit propoſitio, ſi unica prædicati pars ſubjecto non conveniat, ut in allato exemplo videre eſt.

Regula II.

183. *In propoſitionibus affirmativis attributum eandem extenſionem habet, atque ſubjectum.*

Quare ſi ſubjectum ſit Univerſale v. g. *Omnis Turca eſt imperatoris ſervus*, attributum *ſervus imperatoris*, parem habet univerſalitatem atque *Omnis Turca*, neque majorem, neque minorem; neque enim affirmamus omnem imperatoris ſervum eſſe Tur-

Turcam : id quod aliis terminis in ſchola dicitur, in propoſitione univerſali affirmativa diſtribui ſubjectum, non vero prædicatum, hoc eſt, aſſumi omnia, quibus idea ſubjecti convenit, nempe *Omnes Turcas*; non vero aſſumi omnia, quibus idea prædicati competit, non ſignificari ſcilicet omnes imperatoris ſervos. In particularibus, *Aliqui Angli ſunt Catholici Romani*, eandem etiam extenſionem uterque terminus habet, *aliquos* ex utraque parte aſſumo : neutrum igitur extremum in hujuſmodi propoſitionibus diſtribuitur, ſeu ad omnia extenditur. Singulares, *Magallanius fuit primus Globi terreſtris circumnavigator*, tractari poſſunt, tamquam univerſales; ex ſubjecti enim parte aſſumitur, quidquid eo termino aſſumi poteſt, in attributo autem unus tantum *circumnavigator* ſignificatur. Omnia hæc clariora ſunt, quam ut in iis probandis immorari opus ſit. In propoſitionibus igitur affirmativis illi tantum termini ſecundum totam extenſionem aſſumuntur, aut ſunt diſtributi, qui aut ſingulares ſunt, aut termino univerſali immediate afficiuntur.

184. In propoſitionibus etiam indefinitis, v. g. *Planta fit ex ſemine*, eadem habetur regula. Communiter dicitur, hujuſmodi propoſitiones ſecundum ſe ſpectatas eſſe particulares : ſi tamen materia ſit neceſſaria, hoc eſt, attributum neceſſario conveniat ſubjecto, univerſalibus æquiparare: quare, *homines ſunt juſti*, idem eſt atque, *aliqui homines ſunt juſti: planta fit ex ſemine*, valet hanc, *Omnis planta fit ex ſemine*. Cum igitur ad particulares, vel ad univerſales revocentur, in iis ſervatur etiam regula. Ex dictis tandem patet, in his, & ſimilibus propoſitionibus, *Omnis homo eſt omnis Terricola*, utrumque terminum ſecundum totam extenſionem aſſumi, propterea quod termino univerſali uterque immediate afficiatur.

Re-

Regula III.

185. *Omnis propoſitio negativa removet a ſubjecto attributum ſecundum totam ſuam extenſionem.*

Cum dicimus, *Aliqua loca in Zona Torrida non ſunt præ frigore habitabilia*, quidquid præ frigore non eſt inhabitabile, ſeu habitari poteſt, negatur de aliquibus iis Zonæ Torridæ locis: prædicatum igitur ſecundum omnem ſuam extenſionem, ſeu quidquid attributum illud in ſe habet a ſubjecto removetur. Hæc nimirum eſt earum propoſitionum indoles, & communis humani ſermonis ſenſus.

Regula IV.

186. *In propoſitione univerſali negativa uterque terminus ſecundum totam extenſionem accipiuntur, & a ſeſe removentur.*

Ita cum dicimus, *nullum vitium eſt laudabile*, quidquid laudabile eſt, & quidquid vitium eſt, a ſe mutuo removentur: quare, ut in ſcholis dicitur, tam ſubjectum, quam prædicatum recte diſtribuuntur per omnia illa, quibus eorum ideæ conveniunt.

De ſingularibus, aut indefinitis negativis nihil eſt, quod addendum exiſtimem: primæ enim ad univerſales, ſecundæ autem ad particulares generatim reducuntur, atque ſecundum earum propoſitionum indolem jam expoſitam tractandæ ſunt. Si aliquis ita propoſitiones efferret, *omnis beſtia eſt omne authomaton naturale*: *aliquis homo non eſt aliquod rationale*: ſeſe modo parum uſitato explicaret; in prima autem propoſitione uterque terminus diſtribuitur, nullus in ſecunda: id quod & ex dictis conſtat, & ipſamet propoſitionum indole demonſtratur. Quæ ſimiliter indoles ſit aliarum propoſitionum v. g. *Omnes linguæ fuerunt* 72: *Omnia animalia fuerunt in arca Noe*, res ipſa docet: primæ enim, quantumvis in ſpeciem univerſales, cum numerum affirment, ad hanc ſingularem reducuntur, *Numerus omnium linguarum fuit numerus* 72:

ſe-

ſecunda autem hunc habet ſenſum, *Omne genus animalium fuit in Arca Noe*, ſeu *aliqua ex ſingulis animalium ſpeciebus fuerunt in Arca Noe*; uno verbo in his omnibus ſpectandus ſemper eſt locutionis ſenſus, & ad ſimpliciorem expreſſionem reducendus: id autem citra ullas regularum ambages a communi ſenſu edocemur.

§. III.

Propoſitionum oppoſitio, & converſio.

187. Quæ circa propoſitionum oppoſitionem, & converſionem alicujus momenti & utilitatis ſunt, atque in logica doceri ſolent, ex data modo earundem indole ſponte deducuntur, & breviſſime a nobis expedientur.

Oppoſitio in re præſenti eſt *propoſitionem eodem ſubjecto, & prædicato conſtantium repugnantia ſecundum quantitatem, & qualitatem, aut ſecundum ſolam qualitatem*: Propoſitionum qualitatem, eſſe affirmationem, & negationem, quantitatem vero in ſubjecti extenſione conſiſtere, ſuperius diximus: utrumque in logica hiſce vocabulis *A. E.* I. *O.* exprimitur, ita ut *A* & *E* univerſales, prior tamen affirmativam, poſterior negativam: *I* ſimiliter & *O* particulares, prima affirmativam, ſecunda negativam ſignificet. Duplex diſtinguitur propoſitionum oppoſitio proprie dicta: prima eſt inter propoſitiones ſola qualitate differentes, ſecunda vero inter illas, quæ qualitate, & quantitate differunt: prima dicitur *contraria*, ſi propoſitiones ſint univerſales, *Omnis planeta eſt habitatus, nullus planeta eſt habitatus*. Quoniam tamen ſub qualibet propoſitione univerſali ſua particularis ejuſdem qualitatis continetur; ab hac propoſitionum univerſalium ſpecie & oppoſitione, quam dicimus, *contrariam*, naſcitur ſubcontraria inter *I* & *O*, particularem ſcilicet affirmativam, & negativam, *aliquis planeta eſt habitatus, aliquis planeta non eſt habitatus*.

Secunda propoſitionum oppoſitio ſecundum qualitatem, & quantitatem, atque proinde maxima, in-

inter univerſalem affirmativam, & particularem negativam, aut univerſalem negativam, particularem affirmativam intercedit: ut *nullum animal fit ex putri*: *aliquod animal fit ex putri*: *omnis planta eſt Hermaphodrita*: *aliqua planta non eſt Hermaphodrita*.

Regula I.

188. ***Duæ propoſitiones Contradictoriæ neque ſimul veræ, neque ſimul falſæ eſſe poſſunt, ſecundum utramque qualitatem opponuntur.***

Id conſtat ex principio illo univerſali, & lumine rationis recto, *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe*: hoc enim principium eſſet falſum, ſi duæ contradictoriæ, aut ſimul veræ, aut ſimul falſæ eſſe poſſent. Demus has propoſitiones, *omne animal vivum habet circulationem ſanguinis*: *aliquod animal vivum non habet circulationem ſanguinis*, eſſe ſimul utramque veram: ut ſecunda ſit vera, opus eſt determinatum aliquod animal non habere circulationem ſanguinis: idem tamen determinatum animal circulationem ſimul habere opus eſt, cum id affirmet univerſalis propoſitio allata, quæ ſupponitur vera, cujus ſubjectum habet totam extenſionem, ſeu diſtributionem. Pari modo probabis, neque ſimul falſas eſſe poſſe duas quaſcumque propoſitiones contradictorias.

189. Duo hic animadvertenda ſunt: 1°. propoſitioni univerſali non contradici per propoſitionem ſingularem: v.g. propoſitio, *Omnis planeta eſt habitatus*, non contradicit huic, *Luna non eſt habitata*; non enim idem ſunt propoſitiones ſingularis, & particularis eodem ſubjecto prædicatoque conſtantes: utraque præterea eſſet falſa, ſi omnes planetæ præter ſolem eſſent habitati, ut conſideranti patebit.

Secundum. Non parum deſudant aliqui ſcholæ philoſophi, ut quibuſdam propoſitionibus contradictorias aſſignet: immo eo deveniunt, ut quærant, habeat nec ne omnis propoſitio ſuam peculiarem contradictoriam? hæc tamen mihi ſunt inutilia,

aut

aut puram Grammaticam ſapiunt; quælibet propoſitio aliud non eſt, quam mentis, judicium, aſſenſus, aut diſſenſus, quem negare pro libito unuſquiſque poteſt; dum autem propoſitionem negas, contradictoriam illi mente ſaltem aſſignes. Ut verbalem propoſitionem efferas, qua datæ propoſitioni contradicas; id vero a linguarum, & verborum indole pendet, facileque obtinetur, obſcuram propoſitionem ad ſimpliciorem expreſſionem reducendo.

Regula II.

190. *Duæ contrariæ, non poſſunt eſſe ſimul veræ, maxime tamen ſimul falſæ; ſolum igitur quoad veritatem opponuntur.*

Secunda pars innumeris paſſim exemplis conſtat: *Omnis Chriſtianus Romanum Pontificem agnoſcit caput; nullus Chriſtianus Romanum Pontificem agnoſcit caput:* utraque eſt falſa: pars enim agnoſcit, pars negat: Oppoſitio autem quoad veritatem ex eodem principio demonſtratur: pone enim utramque propoſitionem modo adductam eſſe veram: idem igitur Chriſtianus agnoſceret, & non agnoſceret Romanum Pontificem caput.

Plurimæ propoſitiones per terminos plurales *omnes*, *nulli*, *collectivos*, *infinitos* &c. *quidam*, *uterque*, *neuter*, & alios ſimiles efferuntur, qui non ſatis ſimplicem habent ſignificationem. Si igitur aliquando propoſitionem iis contrariam, aut contradictoriam dare opus ſit, quæ prædictis terminis enuntiantur (quod raro eveniet) grammaticum verbi, & linguæ ſenſum, atque indolem inſpice, aut aliis verbis eandem ſententiam effer.

Regula III.

191. *Sub contrariæ poſſunt eſſe ſimul veræ, non tamen ſimul falſæ: ſolum proinde quoad falſitatem opponuntur.*

Regula hæc & ex præcedentibus, & ex ipſomet principio demonſtratur. Propoſitiones contrariæ, *Omnis fons provenit a pluviis; nullus fons provenit a plu-*

a pluviis, poſſunt eſſe ſimul falſæ, non tamen ſimul veræ. Cum igitur earum contradictoriæ, *Aliquis fons provenit a pluvia*, *aliquis fons non provenit a pluvia*, ſint inter ſe ſubcontrariæ, & ſint veræ, ſi contradictoriæ ſint falſæ, & viciſſim; Sequitur, utramque poſſe eſſe ſimul veram, non tamen ſimul falſam: univerſalium enim altera neceſſario eſt falſa; ergo particularium etiam una illi oppoſita neceſſario eſt vera; non poſſunt igitur ambæ eſſe falſæ.

Propoſitionum Converſio.

192. Ex eodemmet propoſitionum, ſeu judiciorum indole converſionum regulæ nullo negotio deducuntur. Propoſitionum converſio eſt *terminorum permutatio*, *prædicati in ſubjectum*, *ſubjecti in prædicatum*, *ſervata eorum veritate*, *ita ut ex una poſſit inferri alia*: ejus leges argumentationibus aliquando inſerviunt: ſunt autem hujuſmodi.

Regula I.

193. *Propoſitio Univerſalis negativa in aliam univerſalem convertitur.*

Univerſalis enim negativa, *nullus fons provenit immediate a mari*, removet a tota extenſione ſubjecti totam extenſionem prædicati: viciſſim igitur removet totam extenſionem ſubjecti a tota extenſione prædicati: duorum enim terminorum remotio neceſſario eſt mutua: ſi igitur prædicatum, *immediate proveniens a mari*, vere negatur de ſubjecto, *Omnis fons*; etiam viciſſim ſecundum de primo vere negabitur: utraque igitur propoſitio neceſſario eſt aut ſimul vera, aut ſimul falſa.

Regula II.

Propoſitio univerſalis affirmativa convertitur ſolum in particularem.

Etenim de propoſitionis univerſalis affirmativæ: *Omnis anima humana habet vim intelligendi*, ſubje-

ſubjecto, *omnis Anima humana*, affirmatur attributum, *habet vim intelligendi*, non ſecundum omnem ſuam extenſionem, ſed ejus tantum extenſionis pars: neque enim omne habens vim intelligendi affirmatur de homine; non igitur de *intellectivo* ſecundum totam ſuam extenſionem accepto, hoc eſt, de *omni intellectivo*, ſed de *aliquo* tantum affirmari poteſt, quod ſit homo: illa igitur univerſalis in hanc aliam converti non poteſt; *omne quod habet vim intelligendi, eſt anima humana*, ſervata propoſitionum veritate, quod eſt in omni converſione neceſſarium, quod ſi propoſitionem ita efferres, *Omnis ſtella fixa eſt omnis ſol;* tum quidem in hac enuntiandi ratione parum communi teneret converſio univerſalis in univerſalem, quia uterque terminus ſecundum totam ſuam extenſionem uſurpatur.

Regula III.

194. *Particularis affirmativa in aliam particularem affirmativam convertitur.*

In his enim propoſitionibus pars tantum extenſionis prædicati affirmatur, atque conjungitur parti extenſionis ſubjecti, ut viſitur in propoſitione, *aliqua planta eſt hermaphodrita*: quoniam igitur omnis conjunctio eſt mutua, ſi *aliquod hermaphodritum* conjungitur cum *aliqua planta*, aliqua etiam planta conjungitur cum aliquo hermaphodrito.

Particulares negativæ neque in univerſales, neque in particulares convertuntur: una enim eſſet vera, alia falſa, ut conſideranti patebit: in propoſitione v. g. *aliquod reſpirans non eſt homo*, quæ converſa eſſet falſa, *aliquis homo non reſpirat*. Rei cauſſa obvia eſt: in particulari negativa removetur tota extenſio attributi *homo* a parte ſolum ſubjecti *aliquod reſpirans*; in alia autem amplius removeretur, quam in prima; tota enim extenſio termini *reſpirat*. removeretur ab aliquo homine, quod in prima propoſitione factum non fuerat.

De propoſitionibus indefinitis affirmativis, vel negativis nihil addendum exiſtimo; cum enim reduca-

ducantur ad particulares, (aut ad univerſales, ſi ſint neceſſariæ) earum leges ſequentur, ad quas reducuntur.

Scholion.

195. „ Duas, aut plures propoſitiones eſſe in- „ ter ſe æquipollentes, ut barbare dicitur in ſcho- „ lis, eſt, habere eundem ſenſum: aliquos videas „ ſcholaſticos, qui plures aſſignant regulas, ut ſuæ „ propoſitionibus æquipollentes inveniantur, & ſta- „ tuantur: eo res devenit, ut obſcuras alias clariſ- „ ſimis propoſitionibus ſubſtituant, eaſque inter ar- „ gumentandum adhibeant, ut rem alioquin cla- „ riſſimam, & planiſſimam ſolis verborum amba- „ gibus, & negationibus difficilem reddant, & pro- „ pugnantem inutilibus tricis, quaſi aranearum te- „ lis implicent, dum argumentis implexo verborum „ fuſo pondus adderent. Ea ſane agendi ratione, „ quam nunquam ſine ſtomacho audire potui, dum „ miſerum ſibi ingenioli gloriam perperam quæ- „ runt, male illi quidem, & ſibi, & auditoribus „ conſulunt, a diſputationum ſcopo toto cælo aber- „ rant, peſſimeque de ſcientiis merentur; ſeſe enim „ potius implicant, & non intelligunt, quam inge- „ nioſos oſtendant: auditoribus, quos aut amæna, „ & profunda eruditione delectare debuiſſent, aut „ rei ipſius difficultatem clariſſime proponere. ſpi- „ noſa verborum ambage moleſtiſſimi æque, atque „ inutiliſſimi exiſtunt Nec illi etiam diſputant, ſed „ potius inutiliter, atque inurbane blatterant: cum „ non veritatem veris argumentis invenire, quod „ unum eſt omnium diſputationum ſcopus, ſed eam „ potius, audientiumque mentes confundere, ob- „ ſcuris verbis adnitantur, quo tandem fit, ut ho- „ mines ab hiſce ſtudiis deterreant, totique ſint, „ ut veritatem non detegant, ſed conſulto tenebris „ offundant.

196. Hiſce ego hominibus, qui propoſitionem „ a me conceſſam, aut negatam impugnare vo- „ lunt, illam ad obſcuram *æquipollentem* reducen- „ do, reſpondendum ſemper exiſtimo, *quam nega-*

„ *vi, propoſitio clara per ſe eſt, atque ab omnibus*
„ *facile percipitur; idem nunc valeat, atque obſcura*
„ *illa & implicatior, quam affers nihil curo: ſi ta-*
„ *men res eſt, ut contendis; gratum mihi, univerſæ-*
„ *que adſtantium coronæ facies ſi claram, quam ne-*
„ *gavi, propoſitionem impugnes, tuamque tibi pro otio*
„ *meditandam teneas. Quandoquidem enim te au-*
„ *ctore eundem habet ſenſum perinde tibi erit unam,*
„ *vel alteram impugnare: meam igitur, ſi evertas,*
„ *rem confeciſti.*

„ Propoſitiones vel claræ in ſe ſunt, & intelle-
„ ctu faciles: cum vero explicatione non indigent;
„ vel ſubobſcuræ, & implexæ. Eæ autem inſpecto
„ verborum ſenſu, auctoriſque mente, ad planio-
„ rem & ſimpliciorem ſenſum revocandæ ſunt; id
„ tamen non logicorum regulis, ſed communi ſen-
„ ſu peragendum eſt; propoſitiones denique per ſe
„ ſimplices, & minime ambiguas, atque obſcuras
„ ad obſcuriores alias reduci, numquam eſt permit-
„ tendum. Idem intelligi volo de terminis quibuſ-
„ cumque ſingularis, & pluralis numeri *omnis, om-*
„ *nes, nulli, nullus* &c.

§. IV.

De propoſitionibus complexis: propoſitionum incidentium, quibus componuntur, ſpecies, natura, munera.

197. Quæ de ſimplicibus propoſitionibus alicujus momenti habentur, eaſque propius ſpectant, quantumvis aliis ſuo etiam modo conveniant, hactenus proſequuti ſumus: ad alia, & utiliora deſcendamus. Maxima humanorum judiciorum, ſeu propoſitionum pars tum in familiari, quam in ornato etiam dicendi genere ad complexas propoſitiones ſpectat, ut Hiſtoricos, Oratores, Poetas legenti, mutuaſque hominum confubulationes contemplanti perſpicuum erit. Jam vero propoſitiones complexæ medium quiddam ſunt inter ſimplices, & compoſitas, & aliquod de utroque participant: re enim ad ſimplices: ſpecie vero ad compoſitas accedunt; earum

earum termini neque omnino ſimplices, neque reapſe ex pluribus propoſitionibus conſtant. Ut rem explicemus, in triplici differentia propoſitiones complexæ exiſtunt: vel enim ſolum ſubjectum, vel ſolum attributum, vel utrumque habent complexum: hæc terminorum complexio eſt quædam idearum, aut propoſitionum adjunctio, quæ ſimplici termino adhibentur, quin præcipue affirmentur, aut negentur, & *propoſitiones incidentes* nuncupantur per relativa, ut plurimum expreſſæ. Exempla rem demonſtrabunt: ſi dicas, *Pater eſt Deus*, ſimpliciſſimam elicis propoſitionem: ſi ita afferas, *Pater cæleſtis reddet tibi; non lotis manibus manducare non coinquinat hominem*: *Pater cæleſtis, qui videt in abſcondito, reddet tibi*; a propoſitione, ſimpliciſſima ad minus ſemper, &. minus ſimplices, magis, & magis complexas gradatim ſemper progredieris: ſi igitur duas tantum ideas ſecum conjungas, aut disjungas, propoſitio eſt ſimpliciſſima, ut in primo caſu earum ideatum alteri aut etiam utrique novas ideas adjunge, vel adjectivis nominibus, vel integris orationibus adjectivo *qui* expreſſis, parentheſibus, aut mille aliis notiſſimis modis: tam vero complexas propoſitiones elicis. Integra aliquando propoſitio de alia propoſitione affirmatur, unicumque ejuſdem propoſitionis ſubjectum, aut prædicatum non ſolum integra propoſitio eſſe poteſt, verum etiam pluribus propoſitionibus conſtare, quæ *incidentes* nuncupantur, variaque ratione efferuntur. Exemplis res fiet clarior. Cum legimus apud *Horatium Cælo tonantem credidimus Jovem regnare*; complexum propoſitionis attributum legimus, cujus ſubjectum eſt *nos*, nexus per verbum *credidimus* exprimitur, quod prædicati partem efficit. In hoc alio exemplo,

Pindarum quiſquis ſtudet æmulari (a)
Jule, ceratis ope Dædalea
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.

(a) Horat. lib. IV. Od. I.

Quidquid ante verbum *nititur* intelligitur, ſubjecti munus agit: ipſummet verbum *nititur*, quo continetur *copula*, & quæ ſequuntur, ſunt attributum.

198. Aliquando non tantum una, ſed plures integræ propoſitiones cum ſubjectum, tum prædicatum componunt, ut paſſim apud Tullium obſervabis. Quid igitur eſt complexarum a compoſitis diſcrimen, cum non ſolum in compoſitarum, ſed in complexarum terminis plures contineantur propoſitiones ſimplices! quæ etiam eſt *incidentium* propoſitionum indoles? Propoſitiones, quibus duæ ideæ copulantur, ut *Deus eſt juſtus*, ita ut unum tantum affirmetur, aut negetur, unicaque proinde efficiatur propoſitio, dicuntur *ſimplices:* ſi una de pluribus ideis, ſeu ſubjectis, aut viciſſim plura attributa de uno ſubjecto, aut tandem plura attributa de pluribus ſubjectis æque affirmentur, aut negentur; omnes ſunt propoſitiones *compoſitæ*; cujuſmodi ſunt: *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ſunt Deus. Alexander fuit dux quidem audax, ſed imprudens, temerarius, barbarus, ambitioſus: Galli, Germania, Ruſſia, Suecia incaſſum pugnarunt adverſus Boruſſiæ Regem, & Anglos.*

199. Inter duas haſce propoſitionum ſpecies, quamplurimæ aliæ ſunt, quæ re quidem ſunt ſimplices, unicamque efficiunt propoſitionem, ſpecie autem compoſitæ eſſe videntur; eaſque dicimus *propoſitiones complexas*, quarum tum a ſimplicibus, tum a compoſitis diſcrimen eſt, quod plures propoſitiones ſimplices non re, ſed ſpecie comprehendant, cum compoſitæ pluribus & re & ſpecie conſtent; hæc vero complexarum propoſitionum indoles ex propoſitionum *incidentium* natura pendet, hæc autem in eo ſtat, quod incidens propoſitio proprie non affirmetur, aut negetur, ſed aut negata, aut affirmata ſupponatur: ſolumque amplificationis, explicationis, reſtrictionis, ornatus, numeri, addendique ponderis gratia adhibeantur, ut oratoribus, poetis, hiſtoricis ſolemne eſt: exemplis res fiet clarior: *America, omnium orbis partium maxima, eſt omnium ditiſſima:* qui hanc propoſitionem elicit,

elicit, duo de America dicit, *eſſe maximam*, & *eſſe ditiſſimam*: ſecundum tamen proprie affirmat, primum quaſi commemorando, ac aliunde verum ſupponendo attingit, ut ex noſtramet loquentium aut ſcribentium mente, atque ſenſu edocemur. Idem vero eſt dicere; *America omnium orbis partium maxima* &c. ac interpoſito relativo *quæ*, *incidentem* propoſitionem addere: *America, quæ eſt omnium orbis partium maxima, eſt omnium ditiſſima. Theologia, quæ de rebus maxime obſcuris diſputat, cum revelatione potiſſimum innitatur, dignitate, quæ in ſcientiis etiam ſpectari debet, omnes alias ſcientias ſuperat*: vides in hac propoſitione complexa unum a me affirmari, *Theologiam nimirum omnes alias ſcientias ſuperare*: reliqua autem a me ſupponuntur, & tamquam apud nos rata indicantur. Idem eſt de aliis propoſitionibus incidentibus, dum incidentium naturam non exuunt, & munia agunt. Hæc ergo eſt incidentium propoſitionum natura, res deffinite & directe non affirmare aut negare in ipſamet propoſitione. ſed qui noſter ſit circa earum terminos ſenſus indicare: cum e contrario propoſitio compoſita utramque poſitive affirmet: Hinc etiam naſcuntur duo inter diſputandum paſſim obvia: primum; qui complexe propoſitionis ſibi ab adverſario oppoſitæ incidentem propoſitionem negat, *ſuppoſitum* ſe negare multoties pronuntiat: ſecundum; dum tamen a defendente negatur incidens propoſitio, & ab opponente probatur, uterque a diſputationis ſcopo aberrat, & relicto prælio aerem verberare dicuntur: pone litem inter nos eſſe de auri fertilitate, atque ſuperiori propoſitione a me enunciata, ab illo quidem negari *Americam eſſe omnium orbis partium maximam*, me vero ad id probandum declinaſſe: uterque noſtrum circumſtantium objurgatione atque cachinis exicipi debuiſſet.

200. Fit tamen multoties ut propoſitio alioquin complexa in compoſitam tranſeat, cum ſcilicet ex intentione & ſenſu loquentis tam principale quam incidens attributum æque affirmatur aut negatur: ex ſenſu proferentis compoſita eſſe poteſt hæc & quamplurimæ aliæ propoſitiones: *Deus, qui*

quidem pro ſua juſtitia dabit unicuique ſecundum opera ſua, juſtos ad gloriam, peccatores ad gehennam mittet: eum eſſe verborum ſenſum ex adjunctis, geſtu, circumſtantiis, vocis tono, & aliis ſimilibus nobis ſuademus. Cum is fuerit complexæ propoſitionis ſenſus, ex proferentis intentione; tum vero propoſitio non tantum ſpecie, ſed re etiam nuncupari poteſt compoſita. Nulla generalis regula eſt, qua propoſitionum incidentium affirmatio ab earum ſuppoſitione diſtinguatur: communiter tamen attenta ſola verborum ſignificatione, duplex regula aſſignatur pro duplici incidentium claſſe.

201. Vel enim propoſitiones incidentes ſunt *expoſitivæ*, omnique ſubjecto præcipuo propoſitionis conveniunt, vel potius ſunt *reſtrictivæ*, quæ propoſitionis ſubjectum reſtringunt, ejuſque ſolum parti conveniunt: primæ ſunt hujuſmodi: *Americani, qui ad Europæ occaſum jacent, tardius ſolem vident, quam Europæi ipſi*, in qua incidens propoſitio: *qui ad Europæ occaſum jacent*, integro ſubjecto *Americani* convenit, de illoque poteſt reapſe affirmari tum medio relativo *qui*, tum relativo ſublato, & propoſitione in compoſitam hoc modo reducta, *Americani ad Europæ occaſum jacent, & tardius ſolem vident, quam Europæi ipſi*: atque prima hæc complexarum propoſitionum ſpecies illa eſt, in qua incidens etiam propoſitio non raro affirmatur, aut negatur; ſecundæ ſunt, quarum incidens propoſitio ſubjecti tantum parti convenit v. g. *ſtudioſi homines, qui antiquorum libros volvunt, optimum habent ſtudiorum delectum*: propoſitio incidens hujus complexæ integro propoſitionis ſubjecto, *ſtudioſi homines*, non convenit, illud igitur reſtringit: neque propoſitio reapſe affirmat aliquos *homines ſtudioſos* antiquorum libros volvere: ſed poſito quod volvant, optimum habere ſtudiorum delectum.

202. Ad has fere regulas, incidentes propoſitiones reducuntur. Inde autem deducimus, complexarum propoſitionum veritatem aut falſitatem ab incidentium veritate, aut falſitate non dependere: poſſe nimirum eſſe veras, licet earum incidentes ſint falſæ & contra: exemplo ſit complexa,

Pla-

Planetæ, qui omnes ſub *Eccliptica moventur, ſunt corpora rotunda*: incidens quidem eſt falſa, complexa tamen eſt vera, cum de Planetis, propoſitionis ſubjecto, vere affirmetur figura rotunda, quantumvis falſum ſit, quod ſuppono, eos omnes ſub Ecclíptica moveri. Id tamen intelligitur quamdiu propoſitio complexa ex loquentis ſenſu non evadit compoſita; ſi enim utrumque æque affirmet, tum incidentis etiam veritas aut falſitas in totam propoſitionem influet. Quare cum ea fuerit complexa, ut ab ejus incidente, ejuſque ſenſu pendeat diſputatio; tum vero qui defendentis munus agit, pro jure ſuo non modo complexam, verum etiam incidentem negare poterit, vel etiam addere, incidente prætermiſſa, propoſitionem nego, aut admitto.

203. Porro cum incidentes ſunt reſtrictivæ, ut *Homines, qui ſunt nigri, in Zona torrida vivunt*, incidens ipſa partem ſubjecti efficit; de unis enim hominibus nigris affirmatur, quod in Zona torrida vivant; ſint vero necne homines nigri, propoſitio eſt vera, cum, ſiqui ſint, illic degant. Incidentes nonnunquam ſunt etiam ipſæ complexæ, aut compoſitæ, aut ex aliis incidentibus ſimplicibus, complexis, aut compoſitis conſtant: in omnibus tamen ſupradictæ regulæ locum habent. Uno verbo in hiſce omnibus propoſitionibus, ex quibus omnes hominum locutiones, & ſcripta ſunt refertiſſima, attendendus primo eſt loquentis, aut ſcribentis ſenſus, ſecundum quem ipſæmet propoſitiones tractandæ ſunt.

§. V.

DE PROPOSITIONIBUS COMPOSITIS, EARUM NATURA, SPECIEBUS, ET INDOLE.

204. *Propoſitiones compoſitæ* ſunt, quæ ex pluribus propoſitionibus ſimplicibus aut complexis conſtant, non iis quidem incidentibus, ut complexæ, ſed quæ proprie affirment, aut negent, ita ut in totius propoſitionis veritatem, aut falſitatem influant

ant. Ut v. g. *At Regina gravi jamdudum ſaucia cura Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni*, quo in exemplo, ut id etiam obiter animadvertam, quod in hominum ſermone, atque ideis plerumque accidit, notari poteſt noſtri ſcilicet humani ſermonis partes eſſe præcipuas, propoſitiones compoſitas ex ſimplicibus, incidentibus, complexis, complexas ex compoſitis, atque ſimplicibus conſtantes, ſimplices demum multiplici, & ipſas idearum combinatione, & ordine formatas.

205. Propoſitiones compoſitæ, ſpectata earum materia, vel habent multiplex ſubjectum, vel prædicatum, vel utrumque; rurſus, vel propoſitiones re & ſpecie ex ſimplicibus componuntur, vel ſolum quoad ſenſum ſunt compoſitæ: hujus ſecundi generis ſunt *Excluſivæ*, & *Exceptivæ*, de quibus pauca inferius: propoſitiones compoſitæ primi generis ſunt *Conjunctivæ*, *Disjunctivæ*, *Conditionales*, *Cauſſales*, quibus addi poſſunt & aliæ minoris momenti, ſed æque inter homines uſitatæ, quarum tamen natura ſatis ex aliarum expoſitione, & ipſarummet terminis dignoſcetur.

PROPOSITIONES CONJUNCTIVÆ.

206. Hoc donantur nomine eæ omnes propoſitiones, quæ media aliqua conjunctione copulativa *&*, *neque*, *atque* &c. multiplex ſubjectum, aut prædicatum, aut utrumque conjungunt: earum omnium exempla ſint: primæ quidem;

„ . . . . *Ilion Ilion*
„ *Fatalis*, *inceſtuſque Judex*
„ *Et mulier peregrina vertit* (a)

cujus ſubjectum ſunt poſteriora duo carmina, ſi vocem *vertit* excipias, quæ copulæ munus agit, & una cum primis verbis prædicatum componit: ut enim id etiam obiter attingant, prædicatum propoſitionum non eſt quod ſecundo, aut ultimo loco ponitur, neque ſubjectum, quod primo, verbum, quod medio: quantumvis hæc iis loca a Logicis aſſignan-

(a) Horat. lib. 3. odarum Ode 3.

ſignantur: ſed prædicatum eſt quod de aliquo dicitur, quocumque tandem orationis loco collocetur: id enim a linguarum genio pendet, carminum menſura, orationis harmonia, ſtyli, dicendique ratione: aliter propoſitiones tantum eſſent ſteriles ut plurimum Scholaſticorum propoſitiones: cum certum tamen ſit, omnem humanum ſermonem, quæcumque tandem dicamus, nil niſi propoſitiones continere. Exemplum ſecundæ:

„ *Non his juventus orta parentibus*
„ *Infecit æquor ſanguine Punico:*
„ *Pirrhumque, & ingentem cecidit*
„ *Antiſchum, Annibalemque dirum* (b)

Terra, & per Eccl ipticam movetur, & in ſolem gravitat. Tertiæ exemplum erit illud *Horatii:*

„ . . . . *Qualibet exules*
„ *In parte regnanto beati,*
„ *Dum Priami, Paridiſque buſto*
„ *Inſultet armentum, & catulos feræ*
„ *Celent inultæ*

Omnes Cometæ ſunt Planetæ mundo coævi, & omnes perpetuo in ſuis orbitis gyrant.

Copulativarum propoſitionum, affirmativa, aut negativa conjunctione copulentur, indoles eſt utriuſque ſimul partis conjunctionem affirmare, aut negare, vel utraque pars ſit ſeorſim affirmativa, aut utraque negativa; aut una etiam affirmet, alia neget. Pro hujuſmodi igitur propoſitionibus regula ſit.

Regula I.

207. *Copulativarum propoſitionum veritas ab utriuſque aut omnium partium veritate dependet; ut vero ſint falſæ, unius tantum partis falſitas ſufficit. Ita falſæ ſunt copulativæ, Diluvium fuit univerſale, & a cauſſis ſecundis productum: neque diluvium deſtruxit omne genus humanum, neque extitit aliquando.* Quantumvis primæ earum partes ſint veriſſimæ: contra vero ſi terra quidem per eccl ipticam movetur

(b) Ode 6.

vetur, in ſolem vero non gravitat. ſed a vorticibus gyrantibus circumfertur, falſa eſt ſupradicta propoſitio quæ utrumque ſimul affirmat; neque unum ſeorſim ab alio enuntiat: idem eſt in propoſitionibus conjunctione negante conſtantibus.

„ *Integer vitæ ſceleriſque purus*
„ *Non eget Mauri jaculis; neque arcu,*
„ *Nec venenatis Gravida ſagittis,*
„ *Fuſce, pharetra.*

Tota enim hæc *Horatii* propoſitio copulativá eſſet falſa, ſi vel ſola venenata ſagitta egeret innocens; cum omnia illa ſimul de innocente a Poetá negentur.

Regula II.

208. *Propoſitioni copulativæ contradicitur; ſi propoſitioni præmittas* verum non eſt. *Dicendo, verum non eſt, quod diluvium fuit univerſale & à cauſſis naturalibus inductum*, Copulativæ ſuperius poſitæ, & falſæ contradixiſti: hoc enim modo unam veram ponendo, alteram tollis, & viciſſim: neque ſimul veræ ſunt, neque ſimul falſæ eſſe poſſunt: hujuſmodique contradicendi ratione unam ſaltem prioris propoſitionis partem talem eſſe negas, qualis in illa propoſitione affirmatur, aut negatur. Eo pacto juxta omnium hominum communiſſimam cogitandi loquendique rationem, ſecundum idearum noſtrarum linguarumque indolem datæ propoſitioni ſemper contradices, quin tamen aut barbare, modoque non intelligibili loquaris, aut a communi loquendi ratione recedas, vitium in ſcholis ſatis commune. Logica porro non ad Scholaſticorum ſolum mentem intra aulæ parietes, dum de rebus ſcientificis loquuntur, dirigendam inventa eſt, ſed ut toti humano generi dux atque regula ſit, qua de quibuſcumque rebus loquantur, cogitent, agant, quemcumque ſermonem habeant, aut loquendi ratione utantur, errores ſemper evitare doceamur. Riduculum enim eſſet, ſcholæ tantum uſui & ſtylo logicis præceptis conſulere, reliquum humanum genus nihil penſi habere; Hæc ego ob id

id potiſſimum dico, quod barbarum & obſcurum hac in parte ſcholarum ſtylum ferre numquam potui: eamdem regulam omnibus aliis propoſitionum compoſitarum ſpeciebus communem eſſe intellige, ne illum ſæpe ad faſtidium, atque moleſtiam repetamus.

PROPOSITIONES DISJUNCTIVÆ.

209. *Propoſitiones disjunctivæ* ſunt, quæ disjunctivis conjunctionibus *aut*, *vel*, & aliis pro varia linguarum indole, & copia conſtant, ut illud *Areopagitæ*, *Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina diſſolvitur: aut ſanguis per venas adhuc circulatur, aut jam non vivit animal.*

Fervet, immenſuſque ruit profundo
Pindarus ore.
Seu per audaces nova dithirambos,
Verba devolvit numeriſque fertur
Lege ſolutis.
Seu Deos, regeſque canit, Deorum
Sanguinem, per quos cecidere juſta
Morte Centauri, cecidit tremendæ
Flamma Chimæræ

Diſjunctio, ut de copulativis ſimiliter diximus, aut propoſitionis ſubjectum, aut prædicatum, aut propoſitiones integras diſjungit. 1ª. *Aut ſol, aut luna moventur*: 2ª. *Omnes ſtellæ fixæ aut ſunt totidem ſoles, aut omnino inviſibiles*: 3ª. *Aut Turcarum imperium cadet, aut Græci ſub jugo ſemper ingemiſcent.*

Regula I.

210. *Ut disjunctivæ propoſitiones ſint veræ, ſatis eſt unam propoſitionis partem eſſe, ut propoſitio dicit.* Hæc enim eſt disjunctionis indoles copulativæ penitus oppoſita. Satis eſt, Auctorem naturæ pati, mundi machina non diſſoluta, ut vera ſit ſuperior Areopagitæ propoſitio: utrumque tamen & Dei paſſionem, & mundi diſſolutionem verificari opus eſſet, ut copulativa propoſitio: *Et Auctor natu-*

ræ patitur, *& mundi machina diſſolvitur*, eſſet vera.

211. Dubium tamen eſſe poteſt, utrum ad propoſitionis disjunctivæ veritatem neceſſaria ſit aliqua inter disjunctionis membra oppoſitio, ita ut una aliam tollat, falſaque cenſeatur propoſitio disjunctiva, cujus utraque pars ſit vera: & ſicut copulativa utriuſque partis veritatem, ſeu exiſtentiam conjungit, ita disjunctiva unius veritatem, & exiſtentiam ab alia disjungat.

Qua quidem in re attendendus primum eſt communis hominum ſenſus in hiſce propoſitionibus enuntiandis, qui quidem loco regulæ nobis eſſe debet; juxta communem igitur loquendi modum aliqua ſemper aut neceſſaria, aut moralis oppoſitio intercedere debet inter disjunctionis partes, unaque alteram tollere ut propoſitio ſit vera: quare ſi nulla ſit inter dictas partes oppoſitio, & utraque ſimul ſint veræ, propoſitio & inepta, & falſa ſimul exiſtet: hujuſmodi ſunt: *Aut per mare Atlanticum, aut per Indicum ad Sinas ab Europa navigandum eſt: Aut Planetæ moventur in ſuis orbitis, aut ſunt corpora rotunda*: cum enim nulla ſit inter illas partes oppoſitio, immo utraque ſit vera, ineptæ ſunt, immo falſæ exiſtimantur.

212. Etſi communis hic earum propoſitionum ſenſus, & indoles ſit; non negaverim tamen, in familiari etiam loquendi ratione disjunctivas aliquando admitti veras, licet utraque illarum pars vera exiſtat: ſi a rigoroſo, & proprio loquendi modo deflectamus. Porro oppoſitio neceſſaria inter disjunctionis partes reddit propoſitionem neceſſario veram; oppoſitio non neceſſaria quidem, ſed communiter tamen, & fere ſemper accidens, propoſitionem efficit non neceſſariam, ſed moraliter veram.

Regula II.

213. *Propoſitionibus disjunctivis eodem modo, atque copulativis contradicimus, iis ſcilicet negationem hoc modo præmittendo, verum non eſt planetas in ſuis orbitis moveri, aut eſſe corpora rotunda*. Hujuſmodi contradictione nullam propoſitionis partem nega-

negamus, ſed ipſam tantummodo disjunctionem: quare ſi disjunctiva affirmans disjunctionis partes non habebat oppoſitas, eratque proinde falſa, cum partes falſo disjungeret, oppoſita negativa erit vera, licet utraque disjunctionis pars affirmata ſit vera: cum non partium veritatem, ſed disjunctionem neget. Quotieſcumque igitur disjunctivæ partes ſint diſparatæ, hoc eſt, non oppoſitæ, affirmatæ, vel negatæ, propoſitio illa disjungens ſemper eſt inepta & falſa, oppoſita autem vera: ut *aut Japones ſunt populi maxime orientales, aut ſunt Æthnici*: propoſitio eſt inepta, & falſa, quia utraque ejus pars eſt vera, ac proinde non disjungitur; oppoſita igitur, *verum non eſt* &c. erit vera.

Porro in propoſitionibus compoſitis v. g. disjunctivis illæ reputantur & ſunt negativæ, quæ negant disjunctionem, licet utraque pars affirmetur; contra vero illa eſt affirmativa, quæ disjunctionem affirmet, quamvis partium una, aut utraque ſit negativa: eſt igitur affirmativa, *Aut Zona torrida non eſt habitabilis, aut antiqui verum non dixere*. Id dictum habe de omnibus aliis propoſitionibus compoſitis. Tandem tam disjunctivarum, quam copulativarum propoſitionum in hominum commercio infinitus pene eſt uſus.

PROPOSITIONES CONDITIONALES.

214. Ita vocantur propoſitiones, quarum neutra pars abſolute affirmatur, aut negatur, ſed ſolum ſub conditione: v. g. *Si Carteſiani vortices, aut vis attractiva Kepleri, & Nevvtoni exiſtunt, terra circa ſolem movetur*: duæ igitur etiam ſunt propoſitionum conditionalium partes, quarum prima eſt *conditio*, veritas nimirum Carteſianorum vorticum, aut attractionis, & hæc quidem conditionaliter ponitur, & per aliquam particulam conditionalem exprimitur: ſecunda vero eſt *conditionatum*, hoc eſt, pars illa, quæ ſub conditione ponitur aut tollitur, ut in caſu præſenti *motus telluris*. Conditio latine per particulam *ſi* exprimitur, multiplici ta-

men

men & alio modo ſignificatur, ut illud *Virgilii* (*a*)

„ *Partem opere in tanto, ſineret dolor, Icare haberes!*
„ *Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiſcat,*
„ *Aut Pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,*
„ *Pallentes umbras Erebi noctemque profundam*
„ *Ante, pudor, quam te violem aut tua jura reſolvam.*

Quod idem eſt, atque, *Si per dolorem meum liceret, ſi mori, & fulmine perire opus eſſet, potius id* &c. Multiplici etiam modo aliæ linguæ conditionem exprimunt animi potiſſimum affectibus, atque interjectionibus.

215. Conditio ut ex multiplici ratione enuntiari poteſt, & tempora omnia, præteritum, præſens, futurum reſpicere, aut includere; ita complexa, aut compoſita eſſe, incidenteſque propoſitiones continere, ut illud Virgilii

„ Si mihi non animo fixum immotumque ſederet,
„ Poſtquam primus amor deceptam morte fefellit,
„ Ne cui me vinclo vellem ſociare jugali;
„ Huic uni forſan potui ſuccumbere culpæ.

Conditionatum (ſicut & conditio) poteſt eſſe propoſitio affirmativa, aut negativa, ſimplex, complexa, aut compoſita, omniaque tempora reſpicere. Propoſitiones conditionales affirmativæ aut negativæ non dicuntur ab eo, quod conditio aut conditionatum, aut utrumque ſit affirmativum, aut negativum: ſed ab affirmatione, aut negatione connexionis inter conditionatum & conditionem, ut ex ſequenti regula, & exemplis conſtabit.

Regula.

216. *Propoſitio conditionalis affirmat aut negat connexionem inter conditionem & conditionatum ab eaque tantum connexione eſt illius veritas aut falſitas.* Cum celebre illud *Carteſii* principium ſtatuo, *ſi cogito,*

(*a*) Æneid. Lib. VI.

gito, exiſto, neque me cogitare neque exiſtere affirmo: propoſitionis indoles eſt, connexionem inter utrumque affirmare, ita ut data conditione, detur etiam conditionatum: hæc igitur conditionalis: *ſi Deus non exiſtit, non exiſtit mundus*, eſt veriſſima, atque affirmativa, quantumvis utraque illius pars ſit falſa, atque negativa: hæc autem alia: *ſi exiſtit Deus, exiſtit etiam mundus*, eſt falſa, licet utraque ejus pars ſit vera: non enim eſt conſecutio a conditione ad conditionatum, quod unum in hujuſmodi propoſitionibus affirmatur, aut negatur. Et hinc cum conditiones poſſint eſſe præteritæ, præſentes, futuræ, ad earum omnium propoſitionum veritatem ſatis eſt, quod pro illo conditionum ſtatu ab illis conſequatur, ſeu inferatur conditionatum: inferatur, inquam, aut conſequatur; non enim ad conditionalium veritatem requiritur quod conditio in conditionatum reapſe influat, ſed una ſufficit connexio, qua ex conditione conſequatur conditionatum.

217. Si inter conditionem & conditionatum ſit neceſſaria connexio, propoſitio erit neceſſariæ veritatis: ſi ex conditione non neceſſario quidem, ſed tamen ut plurimum, atque ut res ſunt, deducatur conditionatum, propoſitio etiam erit communiter, atque moraliter vera: quorum exempla ſint: *Si terra circa ſolem immotum revolvitur, dierum, & ſtationum viciſſitudo conſequetur: Si longas navigationes homines ſemper inſtituerint, naufragia ſemper erunt.*

218. Univerſalis conditionalibus contradicendi modus ille eſt, quem aliis compoſitis propoſitionibus communem eſſe diximus: *verum non eſt quod ſi longas navigationes homines inſtituerint, naufragia ſemper erunt*: qua quidem contradicendi ratione neque conditionem, neque conditionatum, ſed ſolam unius ab alia conſecutionem negamus: de cetero enim inſpicienda ſemper eſt varia linguarum indoles, & conditionem enuntiandi ratio: huic enim conditionali „ *Sin Mæcenates deerunt, non, Flacce, Marones* perperam negationem *non* præfigeres: ut conditionalem negativam eliceres, aut

conſecutionem negares, quantumvis id juxta linguæ latinæ indolem bene vertat in aliquibus aliis conditionibus, ut in illa Virgiliana.

„ . . . . . Non ſi miſerum fortuna Simonem
„ Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.

PROPOSITIONES CAUSSALES.

219. Propoſitiones cauſſales aliquid ſupra conditionales addunt; hæ ſiquidem ſunt, quæ puram connexionem inter conditionem & conditionatum affirmant aut negant: Cauſſales autem non qualemcumque connexionem ſignificant, ſed eam affirmant, quæ inſimul influxus, ſeu actionis rationem habeat: propoſitio igitur *cauſſalis* eſt illa, quæ duo ſaltem affirmat, aut negat, quorum unum ab alio, tamquam a cauſſa, eſſe dicit. Hujuſmodi propoſitiones multiplici modo latine efferuntur per particulas nimirum *quia*, *quoniam*, *propter*, & quampluri mis aliis dicendi modis, quibus cauſſam indicamus: Cauſſa vero ipſa in principio, in fine, aut in medio propoſitionis, prout linguarum genius, orationis ſtylus, argumentum, & ratio poſtulat: Omnibus enim hiſce modis infinitam earum propoſitionum vim apud omnes cujuslibet argumenti ſcriptores paſſim offendes. Ut cauſſales ſint propoſitiones, ſatis eſt cauſſam in iis ſignificatam ad aliquod cauſſarum, etiam moralium, genus ſpectare: ſatis ſcilicet eſt qualiſcumque cauſſæ influxus ſignificetur: *Americam certatim Europæ nationes quærunt, quia illic magna eſt divitiarum copia.*

„ . . . . . . dummodo riſum
„ Excutiat ſibi, non hic cuiquam parcet amico.
„ Idcirco quidam, comœdia, necne Poema
„ Eſſet, quæſivere quod acer ſpiritus, ac vis
„ Nec verbis, nec rebus ineſt; niſi quod pede certo
„ Differt ſermoni ſermo merus. (a)

Quia ſpiritus ac vis comœdiæ verbis atque rebus deſideratur: dubitarunt multi, utrum Poema ſit dicenda.

(a) Horat. Sat. Lib. I. Sat. IV.

da. His atque infinitis aliis exemplis plane appa-ret, propoſitionum cauſſalium indolem in eo eſſe totam, ut unam partem alterius eſſe effectum, ab illaque tamquam a cauſſa phyſica aut morali deſcen-dere affirmet, aut neget.

Regula.

220. *Propoſitiones cauſſales veræ aut falſæ ſunt, quia verum aut falſum eſt, unam partem veram eſſe alterius cauſſam.*

Id enim eſt, quod affirmat aut negat propoſitio. Cum autem cauſſa influere nequeat in effectum, quin & cauſſa & effectus exiſtant, pro eo ſtatu, pro quo affirmantur; hinc ad hujuſmodi propoſi-tionum veritatem non ſolum requiritur cauſſam, & effectus veros eſſe, ſeu exiſtere; verum etiam unam eſſe alterius cauſſam. Poſſet igitur eſſe America auro & aliis divitiis affluens, ad illamque ab Eu-ropa navigari, quin tamen cauſſalis illa propoſitio eſſet vera; ſi alia nimirum de cauſſa illuc ſolvere-tur: poſſunt igitur tum cauſſa, tum etiam effectus exiſtere, quin effectus ab illa cauſſa proveniat: utriuſque exiſtentia atque unius in alium influxus ad propoſitionis affirmantis veritatem requiritur. Dixi, *pro eo, pro quo affirmatur*, quia cauſſalis pro-poſitio poteſt eſſe de præſenti, de præterito, aut futuro. Ita loquentem *Horatius* inducit *Junonem*:

„ *Trojæ renaſcens alite lugubri*
„ *Fortuna, triſti clade iterabitur,*
„ *Ducente victrices catervas*
„ *Conjuge me Jovis & ſorore*. (a)

Iterum ſcilicet peribit Troja, quia egomet Jovis ſoror, atque conjux victorem exercitum in Tro-jam ducam.

Hæc nos milleque alia exempla docent, quanta verborum, idearumque varietate cauſſales a ſcripto-ribus enuntientur: in iiſque inſimul facile animad-vertemus, ſingulas item earum partes non modo ſimplices, ſed complexas etiam eſſe, atque multi-

H 2 plici

(a) Horat. lib. 3. ode 3.

plici idearum, incidentiumque, & aliarum propoſicionum varietate compoſitas.

221. Propoſitioni cauſſali contradicimus eadem ſupradicta generali ratione, quam pro aliis ſuperius docuimus: diverſos contradicendi modos poſtulat diverſa idearum combinatio linguarumque phraſes, atque elegantia. Aliqua ſunt, quibus eleganter contradices particulam *non* præfigendo ut *Horatius* (*a*).

„ *Non quia, Mœcenas, Lydorum quidquid Hetruſcos*
„ *Incoluit fines, nemo generoſior eſt te*;
„ *Nec quod Avus tibi maternus fuit atque paternus*,
„ *Olim qui magnis legionibus imperitarint*,
„ *Ut plerique ſolent, naſo ſuſpendis adunco*
„ *Ignotos, ut me, libertino patre natum*.

inepte tamen eamdem particulam aliis propoſitionibus præponeres, ut cauſſalibus contradiceres, ut ſi diceremus *non Trojæ renaſcens &c.* Generalis cauſſales propoſitiones contradicendi modus eſt, ſi dices, *verum non eſt quod* &c. qua quidem ratione non cauſſam neque effectum exiſtere negas, ſed hunc ſolummodo ab illa eſſe inficiaris. Porro in his propoſitionibus effectum aliquando poſitivum a cauſſa negativa deducimus, aut contra: ſed hæc nullius momenti ſunt, atque a ſupra dictis deducuntur.

§. VI.

De propoſitionibus Excluſivis, Exceptivis, & aliquibus aliis.

222. Alia eſt propoſitionum claſſis, quæ ſpecie quidem, & verbis ſimplices eſſe videntur, re autem ſunt compoſitæ, duplexque judicium expreſſe continent: hujuſmodi ſunt propoſitiones illæ, quas *excluſivas*, *exceptivas*, atque *comparativas* nuncupamus.

Pro-

(*a*) Horat. Lib. I. Sat. VI.

Propoſitiones *excluſivæ* ſunt, quæ indole ſua ita prædicatum de ſubjecto affirmant, ut inſimul de omnibus aliis negent, aut ita negant, ut inſimul de aliis affirment, eaſque latine per vocem *ſolus* aut alias ſinonimas exprimimus; *ſolum peccatum eſt verum malum*.

„ *Solus hic inflexit ſenſus, animumque labentem*
„ *Impulit*.

Quarum ſenſus ſeu duplex judicium eſt: *peccatum eſt verum malum, omneque diſtinctum a peccato non eſt verum malum*: *hic inflexit ſenſus eoſque nullus alius inflexit*. Hæ igitur propoſitiones duo ſemper dicunt, unum quidem de ſubjecto, de quo potiſſimum loquimur, aliud vero de rebus ab eo diſtinctis. Cenſentur affirmativæ, quando particula excluſiva affirmatur, ut in exemplis allatis, quantumvis attributum negetur, ut *unus ſol in ſyſtemate planetario non revolvitur per orbitam*: negativæ autem exiſtimantur, cum excluſionis vocem negant, licet alias attributum affirmetur, *ut non ſola America producit aurum*.

223. Excluſivæ affirmativa vel affirmat etiam attributum, vel negat: prima, *ſolum peccatum eſt verum malum*, affirmat de ſubjecto explicito, negat de aliis: ſecunda, *unus ſol non revolvitur per orbitam*, negat de ſubjecto explicito, affirmat de aliis.

224. Negativa item, ſi affirmat attributum, ut *non ſola America producit aurum*, illud & de ſubjecto, & de aliquo alio affirmat: contra ſi attributum neget, illud de ſubjecto, & de aliquo alio inficiatur, ut *non ſoli planetæ non lucent*. Plerumque tamen juxta communiorem hominum conſuetudinem qui excluſivam propoſitionem effert, excluſioni potiſſimum inſiſtit, qui eam negat, excluſionem etiam fere ſolam negat; de cetero aut conveniunt, aut verum ſupponunt: ita cum hanc propoſitionem profers, aut prolatam audis, *ſoli Hiſpani Americæ dominantur*; proferendo aut audiendo de Hiſpanorum dominio in America convenis, *ſolas* tamen dominari, ſeu alias etiam gentes ſuum illic imperium non habere, negas. Quæ quidem ani-

madverſio non modo in excluſivis, verum etiam in exceptivis plurimiſque aliis compoſitis propoſitionibus locum habet.

225. Propoſitionum excluſivarum ſenſus clarior eſt, quam ut per exponentes aliquas propoſitiones copulativas aut disjunctivas reſolvi opus ſit: cum clarius ipſæ intelligantur, quam illæ aliæ, per quas a plurimis exponuntur. Nullus enim vero eſt, qui excluſiva propoſitione audita, vel tantillum hæreat circa illius ſenſum, atque duplicem ſententiam in illa prolatam: quod quidem in illis exponentibus non ſemper accidit, ut facto periculo deprehendes.

PROPOSITIONES EXCEPTIVÆ.

226. *Exceptivæ* propoſitiones, quæ nihil fere ab excluſivis differunt, vocantur illæ, quæ attributum de ſubjecto aliquo dicunt, partem tamen ipſius ſubjecti excipiendo v. g. *omnia animantia præter hominem animam habent mortalem*. Harum igitur propoſitionum ſenſus, atque indoles eſt, duo continere judicia, quorum uno attributum de ſubjecto affirmatur, altero vero de ſubjecti ipſius parte negetur, aut contra primum de ſubjecto neget, ſecundum autem de excepta parte affirmet. Quod tamen excipitur, debet eſſe ipſius ſubjecti pars, ſeu ſub ipſo ſubjecto, tamquam in toto comprehendi, ut in *animantium* ratione comprehenditur homo; aliter inepta eſſet propoſitio, ut ſi diceres, *omnia animantia præter arbores ſanguinem habent circulantem*: ſolum enim recte excipi debet, quod alias ſub propoſitione comprehendi intelligeretur. Atque hinc patet propoſitiones exceptivas quoad ſenſum reapſe eſſe excluſivas, licet aliis verbis, aliaque enuntiandi ſpecie proponantur: idem ſane eſt adductæ propoſitionis ſenſus, qui per hanc excluſivam redditur, *Animantium ſola bruta habent animam mortalem*.

227. Inter propoſitiones ſenſu compoſitas numerari merito poſſunt *Comparativæ*, *Inceptivæ* atque *Deſitivæ*, quas breviſſime attigiſſe ſufficiet, *Com-*

Comparativæ v. g. *melior eſt prudentia, quam divitiæ : pejus eſt vitium, quam paupertas*. Duo ut plurimum de ſubjecto dicunt, poſitivum nimirum, & comparativum, ſeu poſitivi exceſſum : hac igitur propoſitione, *melior eſt prudentia, quam divitiæ*, de prudentia affirmamus & *eſſe bonam*, & eſſe *divitiis meliorem* : tacite etiam ut plurimum ſupponitur, *bonum eſſe divitias* : cum hic igitur ſit comparativæ propoſitionis ſenſus, ſatis liquet, eam eſſe compoſitam, & huic copulativæ reſpondere, *Prudentia eſt bona, & melior quam divitiæ* : nonnumquam juxta loquentis ſenſum perinde erit, atque ſi diceres, *tam prudentia quam divitiæ ſunt bona, ſed prudentia majus bonum* : tum vero ut propoſitionem neges, ſatis eſt, quod vel prudentia non ſit bona, vel non ſit melior.

228. Multoties tamen ſecundum communem loquendi modum gradus comparationis affirmatur, de quo poſitivum dici non poteſt, ut *melius eſt mitti in gebennam, quam peccare : melius eſt mitti in profundum maris, quam ſcandalum committere* : licet mitti in gehennam, non ſit bonum. Hoc ſenſu qui in communi loquendi modo infrequens non eſt, propoſitio eſt ſimplex, & abſoluta, ſecundumque earum regulas tractanda eſt.

229. Propoſitiones *inceptivæ* ſunt, quæ rei alicujus per aliquod tempus continuatæ initium ſignificant, v. g. *Luſitaniæ regnum anno* 1139. *incepit*. Tria fere in hiſce propoſitionibus dicuntur, & *ante illum annum non fuiſſe Luſitanorum regnum, eo vero anno fuiſſe conſtitutum, & per aliquod ſaltem tempus ſtetiſſe*. Priora duo ipſamet incipiendi ratio, atque propoſitionum indoles demonſtrat : tertium vero communi etiam loquendi uſu probatur : rem enim, quæ tamquam fulgur pertranſiit, & vix nata diſparuit, potius dicimus accidiſſe, atque apparuiſſe, quam incepiſſe. Quodcumque igitur ex his capitibus deficiat, falſa eſt propoſitio.

230. De propoſitionibus *deſitivis* eadem omnino ratio, atque de inceptivis : duo enim ſemper expreſſe dicunt, rem ſcilicet uſque ad datum tempus extitiſſe, poſt illud vero amplius non fuiſſe ;

inſimulque aliquam rei ipſius per tempus aliquod durationem aut ſignificant aut expreſſe ſupponunt: noſter hic ſenſus eſt, cum dicimus, *Anno 1700. regnare deſiit Gothorum familia in Hiſpania. Anno 1640. Brigantinorum regnum in Luſitania cepit.*

231. Ad inceptivas & deſitivas reducuntur hæ, & plures aliæ propoſitiones, *Geritur adhuc bellum in Europa? pergiſne adhuc? Dardanidæ, fuimus Troes, fuit Ilium & ingens*: jam ſcilicet non ſumus, Troja jam everſa eſt, quæ quidem propoſitiones duo ſemper aut etiam plura aliquando ſignificant, quibus multoties non una, ſimplicique propoſitione ſatisfieri poteſt: ut quærenti, *ſunt adhuc Amazones in Aſia aut America?* qui Amazones numquam extitiſſe exiſtimat, hoc adhiberet reſponſum, neque ſunt, neque fuerunt; perperam enim diceret, *amplius non exiſtunt*.

§. VII.

De Definitione, ac Diviſione.

232. Propoſitionem definivimus, atque in varias ſpecies diviſimus: nondum tamen quid rei ſit *diviſio* atque *definitio* expoſuimus; antequam igitur ulterius progrediamur, de hiſce duobus, quæ *Modi ſciendi* ab aliquibus nuncupantur, & infinitum pene in Philoſophia, in Eloquentia, reliquiſque ſcientiis & artibus uſum habent, hoc loco dicendum eſt. Cum argumentum, remve aliquam aut nobis addiſcendam, aut aliis explicandam proponimus, ut rem aſſequamur, teneamus, aut alii capere poſſint, eam dividimus, ut diviſione ad intimam rei cognitionem pervenire valeamus: quam quidem cognitionem definitio ipſa conſequitur. Vel rem etiam nobis jam antea notam atque definitam in partes dividimus, ut melius explicemus, aliiſque ſuadeamus.

De

De Diviſione.

233. *Diviſio* aliud non eſt, quam *rei in ſuas partes diſtributio*, vel etiam partium recenſio, in quas res aliqua diſtribuitur. Quoniam tamen duplici modo totum partes ſuas continet, parteſque ad totum referuntur; duplex eſt diviſionis ſpecies. Partes vel ita ad totum & inter ſe referuntur, ut & inter ſe diſtinguantur, & diſtinctæ in toto contineantur, illudque componant: vel potius tamquam inferiora ad totum referuntur, illudque participant, quin illud reapſe tamquam partes eſſentiales, aut integrales componant: primi generis ſunt partes, in quas dividitur corpus, civitas, regnum, hoc eſt, membra, domus, provinciæ, quæ & inter ſe, & in toto etiam, quod componunt, ſunt ſemper diſtinctæ. Res hoc modo diviſa *totum*, diviſio hujuſmodi *partitio*, diviſionis membra *partes integrantes* nuncupantur; propterea quod & in toto comprehendantur, & integram ejus naturam componant. Latiſſimus eſt hujuſce diviſionis uſus in Anatomia, in Phyſica, in Eloquentia, in ceteris artibus & ſcientiis; & ſi partium ſectionem ulterius proſequamur, generalis rerum Anatomia nuncupari poteſt.

234. Prima hæc diviſionum ſpecies in quamplurimis argumentis, ſcientiis & artibus, puta in Anatomia, Mechanica, &c. commendari ſatis non poteſt; cum neque ſecurius ad rei totius v. g. humani corporis cognitionem devenire poſſimus, quam ſingulas ejus partes, earumque ſitum examinando; neque alia nobis ſuperſit ad phyſicarum rerum naturam cognoſcendam via. Utrum vero tam prima hæc, quam alia etiam alterius generis diviſio, de qua jam dicemus, in omnibus præterea artibus, præcipue autem in eloquentia, & iis quæ ad eloquentiam ſpectant, æque admitti atque probari debeat, aut poſſit, magnum eſt inter eruditos diſſidium, quod ſtatim obiter attingemus. Unica eſt hujuſce diviſionis regula, quod ſcilicet *omnes totius partes exacte recenſeantur*; aliter neque to-

inſimulque aliquam rei ipſius per tempus aliquod durationem aut ſignificant aut expreſſe ſupponunt: noſter hic ſenſus eſt, cum dicimus, *Anno 1700. regnare deſiit Gothorum familia in Hiſpania. Anno 1640. Brigantinorum regnum in Luſitania cepit.*

231. Ad inceptivas & deſitivas reducuntur hæ, & plures aliæ propoſitiones, *Geritur adhuc bellum in Europa? pergiſne adhuc? Dardanidæ, fuimus Troes, fuit Ilium & ingens:* jam ſcilicet non ſumus, Troja jam everſa eſt, quæ quidem propoſitiones duo ſemper aut etiam plura aliquando ſignificant, quibus multoties non una, ſimplicique propoſitione ſatisfieri poteſt: ut quærenti, *ſunt adhuc Amazones in Aſia aut America?* qui Amazones numquam extitiſſe exiſtimat, hoc adhiberet reſponſum, neque ſunt, neque fuerunt; perperam enim diceret, *amplius non exiſtunt.*

§. VII.

De Definitione, ac Diviſione.

232. Propoſitionem definivimus, atque in varias ſpecies diviſimus: nondum tamen quid rei ſit *diviſio* atque *definitio* expoſuimus; antequam igitur ulterius progrediamur, de hiſce duobus, quæ *Modi ſciendi* ab aliquibus nuncupantur, & infinitum pene in Philoſophia, in Eloquentia, reliquiſque ſcientiis & artibus uſum habent, hoc loco dicendum eſt. Cum argumentum, remve aliquam aut nobis addiſcendam, aut aliis explicandam proponimus, ut rem aſſequamur, teneamus, aut alii capere poſſint, eam dividimus, ut diviſione ad intimam rei cognitionem pervenire valeamus: quam quidem cognitionem definitio ipſa conſequitur. Vel rem etiam nobis jam antea notam atque definitam in partes dividimus, ut melius explicemus, aliiſque ſuadeamus.

De Diviſione.

233. *Diviſio* aliud non eſt, quam *rei in ſuas partes diſtributio*, vel etiam partium recenſio, in quas res aliqua diſtribuitur. Quoniam tamen duplici modo totum partes ſuas continet, parteſque ad totum referuntur; duplex eſt diviſionis ſpecies. Partes vel ita ad totum & inter ſe referuntur, ut & inter ſe diſtinguantur, & diſtinctæ in toto contineantur, illudque componant: vel potius tamquam inferiora ad totum referuntur, illudque participant, quin illud reapſe tamquam partes eſſentiales, aut integrales componant: primi generis ſunt partes, in quas dividitur corpus, civitas, regnum, hoc eſt, membra, domus, provinciæ, quæ & inter ſe, & in toto etiam, quod componunt, ſunt ſemper diſtinctæ. Res hoc modo diviſa *totum*, diviſio hujuſmodi *partitio*, diviſionis membra *partes integrantes* nuncupantur; propterea quod & in toto comprehendantur, & integram ejus naturam componant. Latiſſimus eſt hujuſce diviſionis uſus in Anatomia, in Phyſica, in Eloquentia, in ceteris artibus & ſcientiis; & ſi partium ſectionem ulterius proſequamur, generalis rerum Anatomia nuncupari poteſt.

234. Prima hæc diviſionum ſpecies in quamplurimis argumentis, ſcientiis & artibus, puta in Anatomia, Mechanica, &c. commendari ſatis non poteſt; cum neque ſecurius ad rei totius v. g. humani corporis cognitionem devenire poſſimus, quam ſingulas ejus partes, earumque ſitum examinando; neque alia nobis ſuperſit ad phyſicarum rerum naturam cognoſcendam via. Utrum vero tam prima hæc, quam alia etiam alterius generis diviſio, de qua jam dicemus, in omnibus præterea artibus, præcipue autem in eloquentia, & iis quæ ad eloquentiam ſpectant, æque admitti atque probari debeat, aut poſſit, magnum eſt inter eruditos diſſidium, quod ſtatim obiter attingemus. Unica eſt hujuſce diviſionis regula, quod ſcilicet *omnes totius partes exacte recenſeantur*; aliter neque to-

tum

tum perfecte cognoſcitur, neque niſi ex parte dividitur, neque diviſionis partes ſimul ſumptæ totum omnino componerent.

235. Secundi generis diviſio eſt, cum gradus aliquis ſeu ratio communis in ſua inferiora dividitur, quin tamen inferiora illa ſint partes *integrantes*, quæ communem rationem componant: dividitur ſubſtantia in *cogitantem*, & *non cogitantem*; triangulum in *rectangulum*, *acutangulum*, & *obtuſangulum*: non quia omnia triangula rectilinea unum aliquod commune triangulum rectilineum componant, ſed quod omnia, & ſingula triangula rectangula, acutangula, obtuſangula, rationem illam communem trianguli participent, de nulloque alio illa dici poſſit; atque hæc dicitur diviſio Logica, & totius, ſeu rationis, ideæque communis & abſtractæ in ſua inferiora: magni præterea uſus eſt in eloquentia, ut facile animadvertet qui egregias Patris *Bourdaloue* conciones legerit. Hujuſce diviſionis Regulæ ſunt ſequentes.

Regula I.

236. *Diviſio debet eſſe adæquata, hoc eſt, diviſionis membra debent exhaurire omne diviſum, nihilque aliud præter illa membra eſſe debet, quod communem illam rationem diviſam participet.*

Niſi ita res ſit, unam vel alteram totius partem potius aſſignas, quam illud exacte dividas. In hanc regulam, quæ per ſe eſt manifeſta, ille peccaret, qui planetas in 7 aut 8 vulgo notos, homines in *doctos* & *ignorantes* ſeu *indoctos* divideret: qui enim eas diviſiones audiret, jure inferret, præter aſſignatos nullos eſſe alios aut planetas aut homines; ad ejuſmodi ſcilicet judicium ipſa diviſionum indole ducimur: illas tamen diviſiones eſſe vitioſas, facile conſtat; cum ex una parte planetæ etiam ſint primorum planetarum ſatellites, & cometæ etiam omnes: ex alia vero magnus hominum numerus exiſtit, qui neque docti ſunt, neque indocti, ſed quadam ſint mediocri eruditione inſtructi,

quæ

quæ ad civilia negotia gerenda, & converſationem non indocte proſequendam ſufficit : ad quem hominum ordinem vel major ſtudentium numerus ſpectat. Hoc igitur vitio quamplurimæ rerum diviſiones laborant, quæ alioqui exactæ exiſtimantur; cujus quidem mali caput eſt vocum in quocumque idiomate penuria, & tenuiſſima humanæ mentis ad res comprehendendas aut dignoſcendas capacitas. Res rerumque modi, & modificationes infinito pene exceſſu cujuſcumque linguæ voces ſuperant; nomina enim ſolum rebus notis, atque in uſum cadentibus imponimus: quanta vero non novimus? quantis non utimur? Quanta etiam in nobis ſunt, ad animi paſſiones præcipue ſpectantia, quæ voce ulla non diſtinguimus?

237. Exemplo res fiet clarior: Diviſionis membra, ut ſtatim dicemus, debent eſſe oppoſita & extrema, qualia inter ſe eſſe concipimus *ſpiritum*, & *materiam*, quæ duo ſubſtantiam dividunt: jam vero inter duo extrema oppoſita & poſitiva ſunt aliquando plura media & quaſi gradus, quibus unum ab altero recedit extremum : cujuſmodi in data diviſione eſſe videtur brutorum anima, quæ juxta probabilem opinionem neque materialis eſt neque ſpiritualis, ſed *immaterialis*, & inter utrumque extremum media; quoniam igitur hæc media ſunt nobis multoties neque re neque nomine nota, hinc fit, ut diviſio in duo extrema, quam exiſtimamus exactam, ſit vitioſa. Ut igitur quælibet diviſio eſſet exacta, in illa membra, iiſque vocibus fieri debuiſſet, quæ non ſolum rem poſitivam, ſed inſimul ſingulæ ſignificarent quidquid ab oppoſito membro eſſet diſtinctum, & ad diviſionem pertineret: ita recte ſubſtantiam in *materialem*, & *immaterialem* divideremus; ſed horum vocabulorum penuria omnes linguæ laborant : interim tamen huic malo ſemper occurretur, ſi poſito uno diviſionis membro, alterius loco ſtatuatur gradus ille communis cum prioris membri negatione, ut ſi homines dividamus in *albos* & *non albos*; *non albos in nigros*, *rubeos*, *ſubrubeos*, *pallidos*, *ſubnigros* &c. colores quidem diverſarum nationum & clima-

matum proprios atque nativos; in *avarum* ſimiliter & non *avarum*; *non avarum* in *prodigum*, *œconomum*, *liberalem*; cum alias illæ hominum diviſiones *in albos* & *nigros*; *avaros* & *prodigos* vitioſæ contra datam legem exiſtant.

Regula II.

238. *Diviſionis membra debent eſſe inter ſe ſecundum aliquam rationem oppoſita*. Diviſionis enim membra debent eſſe numero plura; niſi ita eſſet, nulla fieret diviſio; plura tamen eſſe non poſſunt, niſi aliquam inter ſe habeant oppoſitionem; quæ enim nullo modo opponuntur inter ſe, non diſtinguuntur, ſed omnino conveniunt: ita cum plantas dividimus in *Hermaphodritas* & *arbores diverſorum ſexuum*, diviſionem ſecundum rationem ſexuum inſtituimus, qua plantæ inter ſe opponuntur: plurimæ enim ſunt plantarum ſpecies, quarum omnia & ſingula individua utrumque habent ſexum, aliæ omnes marem & feminam, ſicut animantia, in ſuis ſpeciebus habent. Hæc membrorum oppoſitio varia eſt, atque proportionalis rationi, ſecundum quam ſit diviſio: diviſio ſcilicet vel fit ſecundum ſubſtantiam ſeu eſſentiam, vel ſecundum proprietatem vel ſecundum modum aut qualitatem, hoc eſt, fit in membra naturis, proprietatibus, aut ſolis modis, accidentibus, ſeu ſtatu differentia: quorum exempla ſint diviſio vegetantis in *animantia* & *plantas*; aſtrorum in *fixa* & *errantia*: morborum in *morbos animi* & *corporis*: auri in *ſignatum* & *non ſignatum*: uno verbo ea ratione inter ſe opponi debent membra, ſecundum quam in ipſa fit diviſio, licet alioquin nullo modo inter ſe opponantur.

239. Scrupulum hic injicere poteſt notiſſima illa quantitatis diviſio in *lineam*, *ſuperficiem*, & *corpus* a Geometris omnibus probata, licet tantum abſit, ut linea corpori opponatur, ut potius in corpore ipſo comprehendatur, illudque tamquam pars conſtituat: quis autem dicet primam Geometriæ, unius inter homines ſcientiæ, diviſionem nævo labora-

borare? Scrupulus tamen evaneſcet, ſtabitque adductæ quantitatis diviſio, ſi illam fieri animadvertamus *in puram lineam*, *in puram ſuperficiem*, & *corpus*: manifeſtum enim eſt puram lineam corpori & ſuperficiei opponi, neque in iis comprehendi.

De definitione.

240. Definitio vel eſt vocis vel rei alicujus definitio: prima aliud non eſt, quam *ſignificationis alicujus vocis determinatio*: omnes quarumcumque linguarum voces ſignificationem ſuam habent ab arbitraria hominum inſtitutione: quoniam igitur infinite pene major eſt rerum, actionum & modificationum, quam verborum in quocumque idiomate numerus; non modo plurima ſunt nobis ignota & nullo prædita nomine, ſed verborum etiam penuria & humanæ mentis tenuitate fit, ut una eademque voce ad plura longe inter ſe diverſa ſignificandum utamur. Commune hoc omnium linguarum vitium in Orientalibus, nominatim vero Hebraica, potiſſimum viſitur, in qua maxima vocabulorum pars res diverſiſſimas ſignificant: unde etiam magna in Veteris Teſtamenti libros obſcuritas derivatur. Quænam autem errorum vis a vocum atque ſenſuum ambiguitate deſcendat, nullus ignorat in ſcientiis non peregrinus. In ſcientiis igitur, artibus, aliiſque argumentis tractandis, quantum res ipſa patitur, atque poſtulat, vocabulorum definitio, hoc eſt, eorum ſignificationis determinatio præmittitur, ut nihil inde obſcuritatis atque erroris derivari poſſit. Id ſane eſt in Geometria ſolemne, in qua nullus adhibetur terminus, cujus definitio non præmittatur, niſi aliunde eſſet apud omnes certa: ita *nomine puncti*, inquiunt, *quantitatem intelligimus*, *in qua nullæ conſiderantur partes*. Innumeræ inter homines præciderentur lites, quæ a vocum tantummodo æquivocatione, aut vario ſenſu naſcuntur, ſi illam, ubicumque opus eſſet, adhiberemus methodum. Idcirco nominum definitiones neque rejici poſſunt; neque de iis diſputari debet: cum enim nihil in rebus ponant, aut de re-

rebus afferant, ſed ad arbitrium ſint inſtitutæ; liberum unicuique eſt, eum, quem velit, vocibus ſuis ſenſum adjicere.

241. Circa nominum definitiones hæc utplurimum tenenda ſunt. 1°. Novis nominibus aut omnino jam ignotis eam, quam velimus, definitionem atque ſenſum addicere poſſumus; dummodo eum aliis ſemel aperiamus: præterquam enim quod id ſit nobis liberum, nihil in communes hominum ideas offendimus, dum ipſi nova illa nomina non uſurpabant.

242. 2°. Vocabula nota, in communi hominum commercio aut in ſcientiis & artibus uſurpata non ita definiri ac uſurpari debent, ut a communi hominum idea & ſenſu iis ſignificato recedamus, novumque illis ſenſum a communi alienum imponamus: non enim nobis, ſed aliis loquimur, cum ergo hominibus, dum nota audiunt vocabula communes ſemper ideæ iis ſignificatæ in mentem recurrant, ingratum quid, & vim auditoribus, aut legentibus inferremus, ſi latine v. g. loquentes corporum nomine animas noſtras intelligi vellemus. Vocabula igitur in lingua aliqua recepta, certæ, atque indubiæ ſignificationis mutari a nobis non debent, atque ad arbitrium definiri; ſatis enim ab iis, quibus loquimur, definita ſunt, nullumque illinc eſt confuſionis, aut errorum periculum, cujus rei evitandæ gratia vocabulorum definitiones potiſſimum adhibentur.

243. 3°. Ex vocabulis igitur receptis illa ſola definiantur, quæ in communi etiam uſu dubiæ ſignificationis exiſtunt: hæc tamen ita definienda ſunt, ut communis ſignificatio iis ſemper afferatur, ſolaque æquivocatio tollatur. Horum primo idearum confuſionem tollimus, atque ab erroribus ex hoc ſaltem capite liberamur: ad quid præterea, quæ certa ſunt, definiremus? Secundo vero fit, ut a communi hominum ſenſu non recedamus, ab iiſque citra æquivocationis periculum ſemper intelligamur. Atque ex hac lege conſequitur, vocabulorum definitiones non admodum multas a nobis adhibendas, ſi cum reliqua verborum ſilva, quæ defi-

definitione opus non habent, comparentur: maxime enim vocabulorum pars certam inter homines ſignificationem habent, ſuntque proinde propriæ ſuimet definitiones.

244. Exemplis hæc omnia fient manifeſta. Si vocabulo *vicuna* in Europa antea ignoto uti velis; nihil illo prolato intelligimus: quid igitur illo ſignifices, ſtatuere primum potes atque debes: Animal Peruanum & arietis & aſini munera agens, omniſque eorum animalium commoda hominibus referens, eo a te nomine intelligi dicis: bene eſt: nomen longa rei deſcriptione definiiti; rem tenemus, eamdemque deinceps eo nomine millies prolato intelligemus Hujuſmodi igitur nominum definitione verborum brevitati, & energiæ conſulimus, dum una illa deinceps voce longam idearum ſeriem intelligimus, idemque eſt cum ambiguorum vocabulorum ſignificationem determinamus.

245. *Peruanum regnum, Americam, Cacao, aurum, argentum* ſermocinando comminiſceris: vocum ſignificationes jam tenebamus: unus atque idem cum loquenti, tum audienti ſenſus eſt, atque certa ſignificatio: Si ergo nobis loqueris, actum agis, ſi in vocibus definiendis immoraris; quod ſi ea verba ad alium ſenſum nobis ignotum ſignificandum detorqueas; rem tuam tibi habe; a noſtris enim communibus ideis recedis.

REI DEFINITIO.

246. *Definitio rei*, quæ hoc loco præcipua haberi debet eſt *rei ipſius naturæ explicatio*, ut cum ſpiritum definimus *ſubſtantiam cogitantem*: rem enim definire, eſt, quid res ipſa ſit, dicere atque affirmare: rerum igitur definitiones, idem de diviſionibus dicendum, ſunt propoſitiones, quas probare aut impugnare oportet, ut aut probatæ teneantur, aut impugnatæ rejiciantur. Cum enim corpus v. g. *extenſionem impenetrabilem* definimus, mens noſtra eſt, quod corporis natura in extenſione impenetrabili conſiſtat; ſique aliorum circa corporum naturam aliud ſit judicium, utrique parti definitionem tue-

tueri, oppoſitam impugnare incumbit, cum & ſuam veram eſſe affirmet, & oppoſitam neget.

247. Si rerum eſſentias, & intimam naturam agnoſceremus, vel una tantum voce plurima nobis pro arbitrio ſignificante earum definitiones comprehenderemus, parum interim ſolliciti, eſſet necne in noſtris rerum definitionibus genus & differentia: quoniam tamen illas aut penitus non agnoſcimus, aut nonniſi a longe, remotiſſime, & per denſiſſimam caliginem confuſiſſime attingimus, prætereaque ob noſtrarum cognitionum imperfectionem res ipſas confuſe tantum, & quaſi per partes cognoſcimus, quas genera, & differentias nuncupamus, ut ſuperius jam diximus: hinc fit ut rei cujuſcumque definitio, juxta communem ſenſum per *genus* & *differentiam* tradi debeat: illaque apud Logicos bona cenſeatur, quæ per genus proximum & differentiam ſpecificam traditur: ſi alias cognitiones ſtatim aſſignandas contineat. Hominem ſcilicet non bene definies *ſubſtantiam viventem*, quamvis utraque illi hæc ratio competat: bene tamen, ut dicitur, aut ſaltem melius, *animal rationale*, propterea quod hæc poſtrema genus & differentia proxima exiſtimentur; illa vero ſint remota, ampliuſque ab illis proximis, quam ab hiſce remotis gradibus exprimatur, nempe eſſe *ſenſitivum* & *cogitans*, quod in *ſubſtantia vivente* non continetur generatim.

248. Definitio rei vel eſt *Logica* vel *Rhetorica*: prima eſt explicatio eſſentiæ rei pauciſſimis verbis, per genus v. g. & differentiam, quin ad illius proprietates ſignificandas, effectus &c. attendamus. *Rhetorica*, quam peculiari nomine *deſcriptionem* nuncupamus, eſt rei, de qua loquimur, fuſior ut plurimum explicatio per proprietates, accidentia, figuram, colorem, modoſque alios, quibus res ipſa facile ab aliis omnibus, vel ipſiſmet ſenſibus dignoſci poſſit. Hac definiendi methodo, verboſa ut plurimum, longaque circumlocutione rem ob oculos depingente frequentiſſime utuntur Oratores, Poetæ, Hiſtorici, qui non modo veritatem dicere, ſed eamdem vivis coloribus imagi-

natio-

nationi depingere ſtudent, ut mentem animumque alliciant, moveant. & ſuadeant. Plurimus etiam illius uſus in aliquibus artibus Botanica, Anatomia, Geographia, Navigatione, Mechanica & aliis, quibus ſatis ſuperque eſt ad earum ſcopum res ſuas deſcribendo definire, quin rigoroſo definiendi modo, qui philoſophorum eſt, & ad pauca extendi poteſt, uti debeant, aut valeant. Non ex data ſolum ratione ampliſſimus eſt deſcriptionum, modicus vero contra definitionum uſus, ſed ob id potiſſimum, quod veras rerum naturas non attingimus, ad earumque modos & qualitates ſenſibiles confugere opus ſit, & alia ab aliis diſtinguamus. Sed deſcriptionibus, earumque legibus prætermiſſis, quæ Logici inſtituti non ſunt, definitiones proſequamur. Tres earum leges, ſeu regulæ communiter ſtatuuntur.

Regula I.

249. *Definitio omni definito conveniat*. Res per ſe ipſam eſt manifeſta, & exemplo illuſtratur. Si ſpiritum definire velis, eumque dicas *Rem cogitantem infinitam*, quæ notio uni Deo competit, non communem omnis ſpiritus definitionem dares, ſed ſingularem unius tantum ſpiritus, *Dei Opt. Max.* notionem produceres, in qua notabile *infinitatis* prædicatum proponitur, quod proprium eſt, atque ſingulare ſummi entis ab omni alio ſpiritu diſcrimen: ſpiritum, ſeu igitur ideam omni ſpiritui convenientem hoc modo non definiſti, neque id ages, quoad notionem omni ſpiritui, hoc eſt, omni definito convenientem non aſſignes. Quæ hujuſce generis adducuntur definitiones, exceſſu communiter peccant, aliquidque continent, quod ab iis eſſet reſecandum.

Regula II.

250. *Definitio ſoli definito conveniat*. Qui hominem v. g. definiturus eum diceret *vivens ſenſitivum*, licet notionem afferret homini convenientem; hominem nihilominus non definiret; quod tum ſolum fit, cum illas aſſignamus notiones, quibus & res ipſæ

conſtituuntur, & ab omni quocumque alio diſtinguuntur: at cum *vivens ſenſitivum* dicimus, notionem proponimus non modo hominibus, ſed aliis etiam animantium ſpeciebus convenientem, neque hominem potius, quam ceteras animantium ſpecies illa notione definivimus: prædicatum adhuc in illa definitione deſideratur, quod hominum ab aliis animantibus diſcrimen conſtituat. Quæ ex hoc capite imperfectæ definitiones afferuntur, defectus vitio laborant: atque mirum eſt, quot rerum definitiones ſint iſta ratione mutilæ: de rerum enim eſſentia ideam non habemus: iis vero rebus, quas homines ignorant, ne nomina quidem imponere poſſunt; unde etiam eſt, quod generatim rudiorum rationum idiomata majori verborum penuria laborant: res ad evidentiam conſtabit, ſi aliquot rerum ſpecies, puta animalium parumper conſideremus, aliaſque ab aliis definire conemur: rem tentemus in *Cane*, *Fele*, *Bove*, *Leone*. Hæc animalia figura, colore, genio novimus; integram tamen eorum naturam, ſeu peculiarem illam vim, & energiam, unde diverſæ illæ qualitates proveniant, penitus ignoramus, nullumque rei ignotæ impoſuimus nomen. Quo igitur pacto res hujuſmodi, hoc eſt, omnia fere quæ exiſtunt, definire, dum propriæ eorum naturæ ideam, neque vocabulum habemus? Hæc ſane cauſſa eſt, quare omnes fere rerum corporearum definitiones in deſcriptiones tandem degenerent, longaque verborum circumlocutione abſolvantur: quonam enim alio modo perdicem v. g. homini Siberio, qui talia nunquam audivit, definiremus, niſi propriam avis magnitudinem, figuram, colorem, volatum, carnem, cantum deſcribendo, hoc eſt, illa omnia adducendo, quæ in re ipſa novimus? Hic ſane eſt noſtræmet hominum ignorantiæ effectus, mirumque non eſt, ſi præter ſimplices quaſdam ſubſtantiarum, aut modorum ideas, de quibus in re morali, Metaphyſica &c. agimus, ceterorum omnium deſcriptiones tantummodo afferre poſſimus. Nunc igitur in præſenti, qua nati ſumus, & vivimus, conditione ad vulgarium communiumque definitionum le-

ges

ges *brevitatem* adjungere non poſſumus, maxime tamen, ſi & rerum naturas agnoſceremus, & notis rebus impoſita haberemus nomina.

Regula III.

250. *Definitio ſit clarior definito, hoc eſt, rei idea clarior nobis fiat definitione, quam nudo rei ipſius vocabulo.*

Niſi ita fiat, ad quid rem diverſis pluribuſque vocibus definire, aut proponere, cum rem æque intelligamus, aut uno tantum vocabulo ſignificetur, aut pluribus comprehendatur? Hæc iterum lex noſtram idearum confuſionem, & imperfectionem ſupponit; ſi claram de rebus ſingulis ideam haberemus, unica etiam voce integram aliis definitionem traderemus.

251. Mirum eſt quot definitiones paſſim circumferantur illuſtrium auctorum nomine tantum commendatæ, & uſu receptæ, quæ ab unica hac lege rejici penitus debent: hujuſmodi ſunt ſequentes: 1ª. temporis, *Numerus numeratus motus ſecundum prius & poſterius*, quam obſcuriſſimum potius temporis ænigma, quam ideam præſeferre dicas, quod quidem non facile divinarem. Illa etiam vitæ: *actus entis in potentia, quatenus in potentia eſt*: qua quid intelligendum ſit non facile conſtat. Equidem longe melius *temporis*, & *vitæ* ideas intelligo hiſce tantum nominibus prolatis, quam obſcuris illis definitionibus propoſitis.

252. Hujus regulæ corollarium eſſe poteſt, quod nullius ideæ ſimplicis & claræ quærenda ſit, aut danda definitio: quandoquidem enim rem ipſam ejus nomine clare intelligimus atque exprimimus, ſupervacaneum eſt longiori vocabulorum, atque idearum involucro rem alioquin claram implicare. Secundum hanc regulam igitur *tempus*, *durationem*, *motum*, *ſpatium*, *extenſionem*, & mille id genus alia definire neque debemus, neque poſſumus: ex una enim parte quid illis nominibus ſignificetur, ſatis unicuique noſtrum innoteſcit; ex alia vero quaſcumque illarum idearum definitiones tibi cudas, rem melius ſimplici quam complexa idea, & explicatione comprehendas.

LOGICÆ PARS TERTIA.

De mente humana raciocinante, hoc eſt de humana ratiocinatione.

LECTIO PRIMA.

De ratiocinatione generatim accepta, & generalibus illius regulis.

§. I.

De natura ratiocinationis ejuſque ſpeciebus.

253. Ratiocinatio tertius eſt mentis noſtræ actus, atque operatio, quam modo aggredimur, eaque eſt, quam præ aliis in vulgaribus ſcholarum logicis accuratius, magna inutilium rerum farragine tractatam invenies. Si eos auctores audias, Tertia hæc Logicæ pars, in qua de Syllogiſmo ejuſque regulis fere tantum agunt, utiliſſimum eſt totius Logicæ caput, atque ut rei totius medulla æſtimari debet: ejuſque unius gratia omnia alia præmittuntur: Syllogiſmo enim, inquiunt, ſcientiæ omnes, omniſque etiam humanæ mentis commercium atque agendi ratio innititur: Syllogiſmo veritates aſſequimur aliiſque tradimus. Alia longe eſt recentiorum Philoſophantium ſententia atque exiſtimandi ratio, ut ſuperius jam retulimus. Ego quidem ita de hiſce rebus exiſtimo: primo, quod de idearum noſtrarum indole, energia, veritate, claritate &c., de vocabulorum natura, ſignificatione, uſu, abuſu, de propoſitionibus hactenus diximus, totius rei logicæ primum, ac præcipuum fundamentum eſt, in quo profunde meditando, longe utilius operam impendes uberioreſque fructus capies, quam ex Syllogiſmorum conſideratione: illa enim perpendendo ad re-

reconditiores, quo fieri poſſit, humanæ mentis, & noſtrarum idearum ſinus penetramus, errorum latebras, & primas veluti cunas, atque originem detegimus, detecta vitamus, veritatem invenimus; ſecundo, Syllogiſmos ad id unum inſervire, ut veritatem jam alias inventam dilucide aliis tradere, & citra errorem exponere poſſimus; atque hujuſce unius rei, diſputandi ſcilicet veritatemque probandi cauſſa utilem eſſe Syllogiſmum. Cum id tamen humana ratio primis illis fundamentis inſtructa ſuopte ingenio aliaque methodo aſſequi poſſit, neque extra ſcholaſticas diſputationes Syllogiſmo utatur; niſi plurima alia Syllogiſmo utiliora in tertia hac parte traderemus, operæ pretium non eſſet in ratiocinatione explicanda longum tempus inſumere. Utcumque res ſit, non mediocres laboris proventus ex hac etiam parte percipientur.

254. Mens humana in ſuiſmet actibus gradatim ſemper progreditur: cogitat, ideam eliciendo rem in idea videt, ei nomen imponit, duas ideas, ac voces contemplando, ſententiam fert unam de alia affirmando, aut negando: unam tandem veritatem ab alia deducit, cum duarum idearum judicium tertiæ alicui ideæ comparat; quod *ratiocinatio* nuncupatur. *Ratiocinatio* igitur aliud non eſt, quam unius ab alio deductio, ut in illo *Carteſii* principio, *ego cogito*: *ergo exiſto*. Mens humana de prima illa propoſitione, *ego cogito*, convenit, duaſque illas ideas, *mei*, *& cogitationis*, accommodis vocabulis unam de alia affirmat: his duabus perpenſis tertiam illam exiſtentiæ ideam iis convenire, atque ab earum quaſi viſceribus profluere animadvertens a rei cogitatione, ejusdem exiſtentiam infert. Si mens humana duas tantum ideas mentis, & exiſtentiæ, aut ſeorſim inſpiceret, aut ſecum ipſis conferret; in priori caſu cogitaret, apprehenderet, remque in idea tantummodo contemplaretur: in ſecundo autem vel aliam alii convenire, aut diſconvenire animadverteret; atque inde judicium, ſeu propoſitionem eliceret affirmativam, aut negativam, *ego exiſto*, *ego non exiſto*: vel tandem neque convenientiam, neque oppoſitionem dua-

rum illarum idearum in iisdem perſpiceret, quo in caſu cogitaret quidem, hæreret tamen, atque a ſententia ferenda abſtineret: ut dubium depellat, tertiam aliquam ideam quærit, nempe *cogitationis*, cum eaque priores duas confert, atque utrique an earum alteri conveniat, nec ne, perpendit. Examine inſtituto facile deprehendit, utramque ideam *mentis*, *&* *exiſtentiæ* in idea *cogitationis* inveniri, & hac ratione convenire, ut menti humanæ cogitatio, cogitationi autem exiſtentia conveniat: quo animadverſo, ita rem inſtituit: *quod cogitat exiſtit; At mens humana cogitat:* quoniam ergo juxta principium alias notiſſimum, *quæ ſunt idem uni tertio, ſunt idem inter ſe*, duæque ideæ *mentis*, *&* *exiſtentiæ* in tertia illa cogitationis conveniunt, idemque exiſtunt; ſponte ſua, tertiam hanc propoſitionem mens elicit: *Ergo mens exiſtit*, atque hæc eſt ratiocinatio, illiuſque natura, & indoles.

255. In hoc exemplo, & ratiocinationis indole plurima obſervare poſſumus; primo. Ratiocinationem humanæ mentis imbecillitatis, atque imperfectionis argumentum eſſe: ſi enim res in ſe ipſis clare cognoſceremus, neque anguſtis adeo limitibus vis noſtra intelligendi cohiberetur; unico ſimplici actu citra tot idearum comparationem & propoſitionum ſeriem, quid res ipſa eſſet, judicaremus: ratiocinatione igitur tenuitati noſtræ ſuppetias afferimus.

256. Secundo. In omni ratiocinatione pluſquam una intervenit ſemper propoſitio; neque enim duæ tantum tractantur ideæ, quæ ad judicium requiruntur, & ſufficiunt; ſed tres ſaltem ſecum ipſis conferuntur: non igitur duplici tantum idea, aut unica propoſitione ratiocinatio conſiſtit.

257. Tertio. Ratiocinatio diverſo propoſitionum numero conſtare poteſt, duabus nimirum, tribus, quatuor, aut pluribus, magiſque proinde, & magis eſſe compoſita. Quæ magis ſimplex eſt, duabus ſaltem propoſitionibus conſtat, quod argumentandi genus nuncupatur *Enthimema*, primaque ejus propoſitio *Antecedens*, ſecunda dicitur *Conſequens*, ut *Europei aurum, & argentum in Aſiam important*, *in-*

indeque ſolas merces afferunt: Ergo hujuſmodi commercium Europeis eſt maxime noxium: In Enthimemate tamen duæ vocales propoſitiones apparent, mentales tamen ſunt ſemper tres; hæc enim alia a mente ſuppletur, *commercium, quo aurum, & argentum exportatur, ut merces importentur, eſt noxium*; qua propoſitione tacite intellecta, recte deducitur tertia. Ad Enthimemata reducuntur puræ *conſequentiæ*, de quibus ſtatim, eæque ſunt primus, & ſimpliciſſimus ratiocinandi modus.

258. Quarto. Ratiocinatio triplici propoſitione conſtans, ut in exemplo allato, *Syllogiſmus* nuncupatur, atque perfectiſſimum argumentandi genus cenſetur; ad quod alia reducuntur. Duæ primæ propoſitiones appellantur *præmiſſæ*, tertia vero *quæſtio & concluſio*. Vocabuli ratio eſt, quod tertia propoſitio, *Ergo mens exiſtit*, per priores duas probetur, ab iis concludatur, illudque unum ſit, quod probandum quærebatur: duæ autem aliæ, quæ tertiæ probationem continent, priori loco ut plurimum inter diſputandum proponi ſoleant. In quotidiano tamen, & communi hominum ſermone, in eloquentia, Poeſi, Hyſtoria quæſtio, ſeu concluſio primo loco ſæpiſſime enunciatur, exindeque probationes ſeu præmiſſæ ſubjiciuntur, ut *Ciceronem* legenti paſſim obſervare licebit. In Syllogiſmo tres ſunt ideæ ſeu termini, quarum duæ, *mens & exiſtentia*, quæ concluſionem, aut quæſtionem probandam, *mens exiſtit*, ingrediuntur, *extrema* nuncupantur, illudque eſt *majus extremum*, quod eſt in concluſione prædicatum, nempe *exiſtit*; aliud vero minus extremum dicimus: unde etiam eſt, quod præmiſſarum illa, *quod cogitat exiſtit*; in qua majus extremum affirmatur aut negatur, *major* etiam *propoſitio* in Syllogiſmo nuncupetur; alia vero *minor*. Idea illa nempe *cogitatio*, quæ ad quæſtionem probandam aſſumitur, & in præmiſſis cum utroque extremo ſeorſim conjungitur, *medius terminus* appellatur. In Syllogiſmo igitur *medius terminus* duæque præmiſſæ quæſtionis rationem, & probationem continent, ejuſque unius gratia præmittuntur, & diſponuntur.

259. Multiplex alia ratio eſt propoſitionis cujuſcumque rationem, & probationem in medium afferendi citra logicorum Syllogiſmos, quos vix fiet, ut in familiari hominum ſermone, Hiſtoria, eloquentia &c. offendamus; ſententiæ rationem unico aliquando verbo, aut propoſitione, longo nonnunquam diſcurſu afferimus, prout argumenti ſtilique varietas, atque natura exigit. Porro poſt diuturnam rei conſiderationem hæc facile invenio, Syllogiſmos aptum quidem argumentandi modum eſſe ad veritatem preſſe, & clare oſtendendam, per eoſque aliarum argumentationum vim, atque pondus tandem reſolvi, atque demonſtrari poſſe; eſſe tamen probandi genus aridum, diffuſum, omnis harmoniæ expers, earumdem idearum repetitione faſtidioſum; & tandem neque neceſſarium, neque extra Scholas in humano commercio adhibitum: ſed de hoc iterum infra. Longiores apud Oratores argumentationes offendes, quæ tamen verborum harmonia, idearum varietate, figurarum nitore alliciant: ſua in Poeſi, & familiaribus etiam converſationibus concinnitas, & brevitas eſt, quæ mentem, niſi talpa ſit, allicit: ita enim comparati ſumus, ut res nobis indicari amemus, cetera proprio marte inventuris; fuſior explicatio, quaſi hiſce opus haberemus, ingrata plerumque exiſtat.

260. In ratiocinatione diſtinguere eſt materiam, & formam: materia eſt omne id, quod probare, aut improbare contendimus: cum igitur omnia quæcumque exiſtunt, ſint certa, aut probabilia, vel incerta, omnes ratiocinationes, earum materia ſolum ſpectata, in *certas*, & *incertas* dividuntur: De hoc tamen inferius erit dicendi locus. Ratiocinationum *forma* eſt diſpoſitio, atque ordinatio propoſitionum, & rationum, quibus ad concluſionem, aut quæſtionem probandum utimur. Secundum formam diſtinguuntur ratiocinationes in *Enthymemata*, *Syllogiſmos*, *Exemplum*, *Inductionem*, *Soritem*, *Dilemma*, *Epycherema*, *Analogiam*, quorum poſtremum recentioribus potiſſimum placet, atque probatur; reliqua antiquorum vulgaria erant: præcipuum inter has argumentationes locum habet Sillogiſmus.

§. II.

§. II.

De Enthymemate, ubi neceſſariæ conſequentiarum regulæ.

261. Enthymema aliud non eſt, quam duplicis propoſitionis argumentum, in quo una ab alia deducitur: v. g. *Animi paſſionibus, & cupiditatibus moderaris: ergo naturalem beatitudinem aſſecutus es. Deſideras, quod ſatis eſt: ergo vives parvo bene:* prima hæc eſt, & ſimpliciſſima ratiocinationis ſpecies, in omnibus hominum converſationibus, atque libris adeo uſitata, & vulgaris, ut hac una omnes hominum ratiocinationes, humanumque commercium peragi videatur: Paſſim ſcilicet confabulando, ſcribendo, orando Enthymemate agimus, dum alias argumentationis ſpecies parce ſemper adhibemus, ut facili animadverſione ex libris omnibus quotidianoque ſermone edoceberis.

262. Iſtarum propoſitionum altera *antecedens* dicitur, quod vel priori loco ponatur, ut plerumque fit, vel potius, quod prius ſemper intelligi debeat, cum ſit alterius fundamentum atque probatio: ut in dato exemplo illa, *deſideras, quod ſatis eſt:* alia nuncupatur *conſequens*, quia ex priori altera conſequatur: hujuſmodi eſt illud, *vives parvo bene*: Interim ut conſequens ab antecedente recte deducatur, inter utrumque debet intervenire connexio, quæ conſequentis veritatis fundamentum exiſtit; quæ quidem connexio, atque innixa in connexione illatio *conſequentia* dicitur, & nonnunquam poteſt eſſe falſa, quantumvis conſequens ſit verum, ut ſi de peruano incola divite dicas, *Peruanus homo es: Ergo aurum, & divitiis affluis*: Rem enim alioqui veram ex antecedente etiam vero male deducis, quaſi nullus poſſet eſſe Peruanus homo pauper, neceſſariave eſſet inter divitias, & illam Americæ partem connexio: quibus in caſibus conſequente admiſſo conſequentiam inficiari debemus.

263. In Enthymemate Antecedens ſæpiſſime po-

ponitur ſecundo loco, conſequens vero primum; id quod in omnibus aliis argumentationum ſpeciebus fieri ſolet, ſæpe enim a concluſione rem incipimus, probationem, ſeu concluſionis rationem, atque præmiſſas poſtea ſubjungimus, ut in illo Ciceronis, *hoc autem liberiores & ſolutiores ſumus, quod integra nobis eſt judicandi poteſtas* (*a*), innumeriſque aliis paſſim occurrentibus obſervare poſſumus: quin etiam multoties fit, ut Antecedens tantum ſeu concluſionis rationem proponamus; Concluſionem vero ipſam audienti inferendam relinquamus, ut in illo Horatii, *vivitur parvo bene*; ex quo facile deducit Lector, inutiles eſſe ad animi felicitatem divitias, quod ſibi probandum propoſuerat Poeta. Neque id tantum Enthymemati, ſed longioribus argumentationibus potiori jure convenit.

264. Ex eadem porro cauſſa eſt, quod in omni fere dicendi ſcribendique ratione enthymemate potius, quam longioribus argumentationibus delectamur, ratiocinationum concluſiones, & præmiſſarum aliquam ut plurimum omittamus: gratum id ſemper tam dicenti, quam audienti, aut lectori exiſtit: id enim omnes amamus, ut paucioribus, quo fieri poſſit, verbis, multa aut proponamus, aut explicemus, aut intelligamus, vel id noſtrimet ingenii exiſtimatione faciamus, vel natura ipſa longam verborum, & temporis jacturam ad pauca intelligendum moleſte feramus: alia etiam ex parte eo minus animum mentemque percellunt argumenta, quo longioribus ſint verborum involucris implicita, & veluti hebetata; mirumque ex adverſo allicimur, atque percellimur, cum vel unico verbo integram ſententiam aut periodum comprehendimus. Rem videre poſſumus in vulgaribus apud omnes nationes adagiis, in pathetica dicendi ratione, in qua una ſæpiſſime integras periodos exponimus, & intelligimus.

Quanta ſcilicet eſt in Virgiliano illo energia, *partem opere in tanto, ſineret dolor, Icare haberes*: eam

(*a*) Cic. in Lucullo. Cap. 3.

eam tamen ratiocinationem ſi in Syllogiſmum reducamus, vim pene omnem amittet.

Enthymemata, in quibus ex antecedente ob connexionem deducitur conſequens, aliquas ſervant regulas, quæ *conſequentiarum regulæ* dicuntur: earum unam aut alteram proponemus, reliquas quæ aut inutiles ſunt, aut nullo negotio a mente animadvertuntur, prætermittentes.

Regula I.

265. *Ex vero Antecedente non poteſt ſequi niſi verum.*

Senſus eſt, ſi verum eſt Antecedens, ex quo deducitur conſequens, verum eſt & ipſum conſequens. V. G. *Creaturæ exiſtunt; Ergo Deus etiam exiſtit. America ab antiquo continenti eſt ſeparata: Ergo eſt inſula.* Etenim veritas conſequentiæ conſiſtit in connexione, qua antecedens, *Creaturæ*, refertur, ſeu connectitur cum conſequente, *Deo*. Tam vero manifeſtum per ſe eſt, rem exiſtentem & veram cum alia falſa, & non exiſtente connexionem habere non poſſe; uno verbo, cum res aliqua vera eſt aut exiſtit, exiſtet etiam atque verum erit quidquid rei illius exiſtentiam, aut veritatem conſequitur, ut ex terminis ipſis patet.

Regula II.

266. *Sicut ab antecedente ſequitur conſequens, ita etiam a negatione ſeu deſtructione conſequentis ſequitur etiam deſtructio, ſeu negatio antecedentis.*

Res ex ipſamet connexionis natura deducitur & exemplo ad evidentiam probatur. Sit propoſitio conditionalis, *ſi Deus non exiſtit*, non exiſtit *etiam mundus*, quam bene invertes in hunc modum, *ſi mundus exiſtit, exiſtit etiam Deus*. Quoniam enim ex conditione ſeu antecedenti ſequitur conſequens: ablato igitur conſequente, tolli etiam antecedens ſeu conditionem opus eſt; Niſi enim tolleretur, eſſet conditio ſine conditionato, quod eſt contra Hyppotheſim; & hinc in allato exemplo exiſtentia mundi infert exiſtentiam Dei, quia in priori con-

ſe-

ſequentia ex negatione Dei inferebatur negatio mundi.

267. Quòd ſi ex hoc Enthimemate, *mundus exiſtit: ergo exiſtit etiam Deus*, duas haſce deduceres, *Deus exiſtit; Ergo exiſtit etiam mundus: mundus non exiſtit; ergo non exiſtit etiam Deus*; Hoc eſt, ſi a negatione antecedentis deduceres negationem conſequentis, aut ex conſequente inferres etiam antecedens, ſicut ab antecedenti deducitur conſequens; uterque argumentandi modus eſſet falſus; neque enim mutua eſt connexio inter conditionem, & conditionatum, ſeu inter antecedens, & conſequens: ſed ſola conditio conditionatum infert, non tamen deſtruit, aut ab illo deſtruitur. Cetera, quæ de Enthimematis ſeu conſequentiarum regulis in vulgaribus ſcholaſticorum logicis leges, inutilia prorſus nulliuſque momenti exiſtunt.

§. III.

De ſyllogiſmorum notione, ſpeciebus, & de ſimplicium regulis.

268. *Syllogiſmos* vocamus, qui triplici propoſitione conſtant, quorum uſus frequentior, uti *omne factum, dictum, aut concupitum contra legem Dei æternam eſt malum: Omne peccatum eſt factum, dictum, aut concupitum contra legem Dei æternam: ergo omne peccatum eſt malum*. Tot ſunt ſyllogiſmorum, quot propoſitionum ſpecies; cum ab hiſce efformentur, nomenque ſortiantur: In *Simplices* igitur, ſeu *abſolutos, complexos, & compoſitos* dividuntur. Compoſiti iterum in *cauſſales, conditionales, disjunctivos, copulativos* diſtinguuntur, de quibus inferius pauca, quæ utilia ſunt, dicemus.

Simplices, ſeu *abſoluti*, ut a facilioribus, & uſitatioribus incipiamus, ii ſunt, qui triplici propoſitione ſimplici conſtant, qualis eſt adductus modo in exemplum: ii ſyllogiſmi, vel concluſionem habent *affirmativam*, unumque extremum cum alio conjungunt, vel *negativam*, unumque ab alio extremum removent: quæ ut rectæ, legitimæ, atque

veræ

veræ ſint, quaſdam leges, ſeu regulas obſervari oportet, quibus innituntur, & ſecundum quaſ ſyllogiſmi inſtituendi ſunt.

Regula I.

269. *Omnes ſyllogiſmi affirmativi ut recti ſint in hoc univerſali principio inniti debent, quæ ſunt idem cum uno tertio, ſunt idem inter ſe.*

Principii veritas probatione non indiget, cum ex iis ſit, quæ evidenti ratione, hoc eſt, perfectiori atque certiori cognitionis ſpecie a mente percipiuntur, quæque ſola ſuamet propoſitione mentis aſſenſum extorquent: illi vero inniti quorumcumque ſyllogiſmorum affirmantium concluſionem, ipſorum ſyllogiſmorum indoles demonſtrat, atque in exemplo viſitur. *Eleemoſyna eſt conſilium Evangelicum: omne conſilium Evangelicum ad perfectionem ducit: ergo Eleemoſyna ad perfectionem ducit.* Duo concluſionis extrema, *Eleemoſyna*, *ad perfectionem ducere*, in idea *conſilii Evangelici* continentur, & cum illa in præmiſſis idem eſſe affirmantur: Recte igitur idem eſſe inter ſe in concluſione deducimus.

Regula II.

270. *Syllogiſmi negativi in hoc alio principio innituntur, quæ diſtinguuntur in tertio, diſtinguuntur inter ſe: hoc eſt, ſi duarum idearum una ſit idem cum tertia, a qua diſtinguatur ſecunda, illæ duæ ideæ diſtinguentur inter ſe.*

Sint tres ideæ *ſpiritus*, *cogitatio*, *materia*, quarum prima, nempe *ſpiritus*, ſit idem cum *cogitatione*, a qua diſtinguatur tertia *materia*; *materia & ſpiritus* diſtinguentur inter ſe, quod fit in hunc modum: *nullum cogitans eſt materia; omnis ſpiritus cogitat: Ergo nullus ſpititus eſt materia.* In præmiſſis una idea affirmatur de tertia, altera vero negatur; In concluſione vero una negatur de alia. Ex his duobus principiis omnes Syllogiſmorum regulæ conſequuntur, & primo quidem deducitur,

271. 1°. *In ſyllogiſmo tres tantum debere eſſe terminos, ut recte aliquid concludatur.* Hæc enim eſt propria ſyllogiſmorum indoles, ut ab eo quod duæ ideæ ſeu res ſint idem cum tertia, aut ab illa diſtinguantur, de ſe ipſis etiam affirmentur, aut negentur, ut probavimus. Si autem præter duo extrema ſint etiam duo media, ad quæ ſeorſim extrema referantur; corruit illud principium, nullusque amplius ſupereſt ſyllogiſmus.

272. 2°. *Ex præmiſſis affirmativis non poteſt ſequi niſi concluſio affirmativa, & viciſſim.*

Hæc enim eſt eorum Syllogiſmorum atque allati principii indoles, & vis; ex eo enim, quod extrema ſeorſim ſunt idem cum tertio, quod in præmiſſis affirmatur, id unum, & neceſſario infertur eſſe idem inter ſe; hoc autem eſt, concluſionem eſſe affirmativam: unumque extremum de alio affirmatur in concluſione, quia utrumque in præmiſſis cum medio termino fuit ſeorſim conjunctum, quod idem eſt atque utramque præmiſſam eſſe affirmativam. Conſequitur tertio, *concluſionem eſſe negativam, ſi præmiſſarum aliqua ſit negativa; & viciſſim ſi concluſio ſit negativa, negativa etiam erit præmiſſarum aliqua.*

Regula III.

273. *Ex duobus præmiſſis negativis, cujuſcunque quantitatis ſint, nihil omnino conſequitur.*

Hoc manifeſte deducitur a ſyllogiſmorum negantium indole. Deinde præmiſſæ negativæ utrumque extremum removent a medio: poſſunt aut a medio quodam tertio removeri, quin inde inferri poſſit, aut diſtingui, aut eſſe idem inter ſe: nulla enim eſt inter unum, & alterum connexio: poſſetque ex præmiſſis veris conſequens falſum deduci, ut res viſitur in hoc ſyllogiſmo: *Nullus planeta eſt ſtella fixa*, nulla fixa *moventur in noſtro vortice: Ergo nullus planeta movetur in noſtro vortice.* Falſa enim vero concluſio ex veris præmiſſis.

Ut igitur ex præmiſſis concludi aliquid poſſit, aut utramque, aut unam ſaltem affirmativam eſſe opor-

oportet, atque in primo caſu concluſio erit affirmans, in ſecundo autem neceſſario erit negativa.

Regula IV.

274. *Quod de toto, ſeu communi idea, generica, aut ſpecifica negatur, aut affirmatur, etiam de inferioribus ſimiliter negatur aut affirmatur: non tamen viciſſim, quod dicitur de parte, dicitur etiam de toto.*

Res eſt per ſe ipſam evidens, & exemplo viſitur. Cum omnem ſpiritum dicimus eſſe *ſubſtantiam cogitantem*, id etiam de cujuslibet hominis Anima ſingulari affirmamus: cum de omni materia cogitandi vim inficiamur, eo ipſo idem de lapide, peculiari nempe materia, negamus. Rurſus de determinato ſpiritu, Deo ſcilicet Optimo Maximo immenſitatem affirmamus, dependentiam tollimus; perperam id tamen ad communem ſpiritus ideam, atque gradus extenderemus.

275. Ex tertia hac, atque ex præcedentibus regulis ſponte deducuntur ſequentia:

Primo: *in concluſione affirmari, aut negari amplius non poteſt, quam in præmiſſis, hoc eſt, extrema latius in concluſioue accipi non poſſunt, quam in præmiſſis fuerit aſſumpta.*

Peccaretur enim contra omnes regulas: & cum extrema in concluſione de ſe ipſis affirmarentur, aut negarentur ſecundum aliquam eorum partem, ſecundum quam de medio non eſſent affirmata, aut negata; ex præmiſſis veris concluſio poſſet ſequi falſa, ut exemplo viſitur: *Omnes montes fuerunt ante diluvium; aliquæ inæqualitates terræ ſunt montes: Ergo omnes inæqualitates terræ fuerunt ante diluvium.* Falſa quidem concluſio ex præmiſſis, quæ aut ſunt aut creduntur veræ, elicita, propterea quod *inæqualitates terræ* univerſaliter in concluſione, non vero in præmiſſis uſurpantur: a particularis enim ſeu partis negatione, aut affirmatione non deducitur univerſalis, ſeu totius negatio aut affirmatio, juxta ſenſum ſecundæ regulæ, quam demonſtravimus.

276. 2°. *Ex præmiſſis univerſalibus deduci poteſt concluſio æque univerſalis, aut particularis*: primum quia extrema tunc eodem modo de ſe ipſis dicerentur in concluſione, quo in præmiſſis dicta ſunt de medio, eodem ſcilicet ſenſu, atque latitudine: ſecundum, quia unde deducitur univerſalis, *omne mendacium eſt malum*, deducitur etiam particularis, *aliquod mendacium eſt* malum.

277. 3°. *Si utraque præmiſſa fuerit particularis; nihil omnino ab iis deduci poteſt*: exemplo ſit, *aliquis Luſitanus globum circumnavigavit; aliquis, qui globum circumnavigavit, eſt Anglus: Ergo aliquis Luſitanus eſt Anglus*. Cum enim medius terminus *circumnavigator* peculiariter in præmiſſis aſſumatur pro diverſis particularibus, ſeu individuis in communi ſenſu uſurpatur: pro uno igitur, eodemque *tertio* non ſupponitur in præmiſſis, quocum idem ſint concluſionis extrema. Syllogiſmus igitur habet quatuor terminos, atque in concluſione de ſe ipſis dicuntur extrema, quantumvis in præmiſſis de uno eodemque *tertio* non dicerentur contra communem Syllogiſmorum rationem.

278. 4°. *Si præmiſſarum aliqua ſit particularis; etiam concluſio erit particularis*. Si enim deduceretur univerſalis; extrema latius atque univerſalius de ſe ipſis dicerentur in concluſione, quam de medio termino dicta fuerint in præmiſſis, ut videre eſt in exemplo allato.

§. IV.

Quot ſint Syllogiſmorum figuræ, & quot etiam colligendi modi inqualibet figura.

279. In ſyllogiſmis duo potiſſimum diſtinguuntur, *figura*, & *modus*: medius terminus, atque duo extrema comparantur inter ſe in præmiſſis, vel ſecundum rationem ſubjecti atque prædicati, vel ſecundum propoſitionum quantitatem, atque qualitatem. Primum dicitur *figura Syllogiſtica*, ſecundum vero *modus figurarum*. Eſt igitur figura combinatio, ſeu relatio medii cum duobus extre-

mis

mis in duplici præmiſſa, ſecundum rationem ſubjecti, atque prædicati: *In præmiſſis*, inquam, non vero in conclusione; quia præmiſſæ rationis locum habent, totamque concluſionis probationem continent, concluſio autem per præmiſſas probanda proponitur, aut probata ſupponitur; jam verò cum quæſtionem aſſumimus probandam, ejus probationem, hoc eſt, præmiſſas, hac vel illa ratione, hoc eſt, figura, & modo diſponimus, in unoque, vel alio modo, aut figura aſſumpta quæſtionem deducimus: a ratione igitur, qua cum duplici extremo in probatione, ſeu præmiſſis diſponitur medium, Syllogiſmorum figura, & modus denominatur. Ita fert communis loquendi uſus, & ſenſus.

280. Jam vero tres termini, medium, & duo extrema in ratione prædicati, & ſubjecti triplici ratione combinari inter ſe poſſunt: vel enim medium in una præmiſſa eſt attributum, in alia ſubjectum, vel in utraque propoſitione eſt prædicatum, vel in utraque eſt ſubjectum: nullus ſane alius eſt tria hæc in præmiſſis comparandi modus in ratione ſubjecti atque prædicati: tres igitur figuras ſtatuimus: cum unus hic ſit dictarum combinationum numerus, a quibus ſecundum communem acceptionem figurarum ratio, & diſcrimen deſſumitur.

281. Manente eadem figura ſeu combinatione medii cum extremis, multiplici propoſitionum ſpecie extrema de medio aut viciſſim dici poſſunt; in eadem enim combinatione terminorum puta cum medius terminus ſit in utraque præmiſſa ſubjectum, poſſunt propoſitiones eſſe utraque negativa, aut affirmativa, univerſalis, aut particularis, & ſecundum hæc quatuor capita *affirmativa, negativa, univerſalis, particularis* multipliciter enunciari, atque diſponi poſſunt termini. Sicut igitur figura, eſt trium terminorum combinatio ſecundum rationem ſubjecti atque prædicati in præmiſſis, ita etiam modus eſt trium propoſitionum combinatio ſecundum rationem *affirmationis, negationis, univerſalis, particularis*. In qualibet enim figura ſeu medii termini cum duobus extremis combinatione deduci-

probarique poteſt quæſtio ex præmiſſis univerſalibus, aut particularibus affirmativis, aut negativis.

282. In qualibet figura tot eſſe atque inſtitui poſſunt colligendi modi, quot fieri poſſunt combinationes quatuor literarum *A. E I. O.* ſecundum ternos; quæ quidem combinationes ad 64. aſcendunt: ſed maxima earum pars inutilis eſt ac vitioſa. Si enim tantum Syllogiſmi, colligendique modi ſunt legitimi, & veri, in quibus omnes generales Syllogiſmorum regulæ quas ſupra dedimus, obſerventur: quod niſi fiat falſum ex vero vitioſe deducetur contra primam omnium argumentationum & conſequentiarum regulam: ex ſingulis autem iis regulis quamplurimæ propoſitionum combinationes, ſeu modi, ut inutiles, & vitioſi reiiciuntur, iique ſolum remanent, atque probantur, qui ſecundum illas regulas conſtruuntur; quorum numerum ſtatim dabimus. Immo etiam illos ego rejicio, quos *indirectos* vocant, non quidem ut falſos, ſed ut obſcuros, ac prorſus inutiles.

283. Figuræ Syllogiſmorum hac ratione diſtinguuntur; vel medius terminus eſt in una præmiſſa prædicatum, in alia ſubjectum, vel in utraque prædicatum, vel in utraque ſubjectum. Primum dicitur prima figura, ſecundum ſecundam, tertium tertiam conſtituit. Exemplis res fiet clarior:

1ª. *Omnia flumina ſunt ab aqua pluvia;*
Magnum Para eſt flumen:
Ergo magnum Para eſt ab aqua pluvia.

2ª. *Omnia animantia fiunt ex ſemine:*
Nulli lapides fiunt ex ſemine:
Ergo nulli lapides ſunt Animantia.

3ª. *Nullus Cometa eſt ſemper viſibilis;*
Omnis Cometa eſt verus Planeta:
Ergo aliquis verus Planeta non eſt perpetuo viſibilis.

Prima Figura.

284. Prima igitur figura eſt, cum in majori præmiſſa majus extremum dicitur de medio termino,

no; in minori vero idem medius terminus dicitur de minori extremo, ut in concluſione tandem majus extremum dicatur de minori v. g.

Omne revelatum a Deo eſt verum;
Religio Chriſtiana eſt revelata a Deo:
Ergo Religio Chriſtiana eſt vera.

Liquet igitur, Syllogiſmos affirmativos in hac figura in hoc principio inniti, *quod affirmatur de aliquo toto, affirmatur etiam de illius inferioribus*: medius terminus *revelatum a Deo* eſt totum, de quo in majori dicitur *veritas*; in minori autem *Religio Chriſtiana* eſt inferior, aut ſubjectum medii termini: De hoc ergo affirmabitur in concluſione majus extremum, *veritas*: hoc enim modo duo hæc extrema ſunt idem inter ſe in concluſione; quoniam ſunt idem cum tertio in præmiſſis, quod generale eſt Syllogiſmorum affirmantium principium, in quod tandem aliud a nobis modo allatum reſolvitur.

285. Pariter conſtat Syllogiſmos negativos primæ figuræ ſecundo, & tertio principio inniti: quæ in hoc unum rediguntur, *quod negatur de aliquo toto, de quo affirmatur pars, de parte etiam negatur*: *quod in hoc exemplo viſitur*.

Nulla Idololatria eſt vera Religio;
Religio Romanorum erat Idololatria:
Ergo Religio Romanorum non erat vera Religio.

De *toto*, nempe de medio termino, *Idololatria*, negatur in majori *vera Religio*: Cum eadem conjungitur in minori ſubjectum, *Religio Romanorum*: De hoc ergo minori extremo negabitur in concluſione majus: atque ex hac prima figura, ſeu terminorum combinationis Analyſi deducitur, peculiarem hanc eſſe primæ figuræ regulam.

Sit ſemper major univerſalis; minor autem affirmativa.

Niſi enim major eſſet univerſalis, medius terminus non eſſet *totum*; hoc eſt, non diſtribueretur, ut in Scholis dicitur, & nos ſuperius probavimus; In particularibus enim propoſitionibus ſubjectum in tota ſua amplitudine non accipitur: debet vero minor affirmare, ut minus extremum

cum medio conjungat, ut de illo tandem in concluſione affirmari, aut negari poſſit extremum majus.

286. Modi in hac figura ſunt tantum numero 4. hiſce artificialibus vocibus expreſſi *Barbara*, *Celarent*, *Darii*, *Ferio*; quæ ut intelligantur aliud opus non eſt, quam quæ propoſitionum quantitas, & qualitas litteris *A. E. I. O.* ſignificetur, animadvertere: id vero habes ſupra jam expoſitum: En igitur omnes colligendi modos in prima figura.

Bar	A	*Omne peccatum eſt odio habendum*;
ba	A	*Omnis reſtrictio mentalis eſt peccatum*:
ra	A	*Ergo omnis reſtrictio mentalis pura eſt odio habenda*.
Da	A	*Omnis Rex juriſdictionem habet a Deo*;
ri	I	*Aliquis a populo electus eſt Rex*:
I	I	*Ergo aliquis a populo electus juriſdictionem habet a Deo*.
Ce	E	*Nullum corpus notum eſt auro gravius*;
la	A	*Omne metallum eſt corpus notum*:
rent	E	*Ergo nullum metallum eſt auro gravius*.
Fe	E	*Nullum Animans eſt pura machina*;
ri	I	*Aliquid diſcurrens eſt Animans*:
O.	O	*Ergo aliquid diſcurrens non eſt pura machina*.

287. Nulla alia trium terminorum combinatio eſt ſecundum hanc figuram, in qua recte colligatur, dataque modo regula, & aliæ ſuperius expoſitæ ſerventur. Atque hi ſunt perfectiores omnium Syllogiſmi, atque clariores, quibus ſi aliquis convinci nequeat, præmiſſiſque conceſſis conſequentiam inficiatur; ſibi ipſi relinquendus eſt. Clariores tamen longe ſunt, cum præmiſſæ tranſponuntur, minorque primo, major ſecundo enunciatur: *Ut omnis reſtrictio mentalis eſt peccatum*: *Omne peccatum eſt odio habendum*; *Ergo omnis reſtrictio mentalis eſt odio habenda*: in qua terminorum diſpoſitione humana ratio a minori termino ad medium, a medio ad majus gradatim aſcendit, mediumque terminum ex una parte minus, ex alia majus extremum connectere apparet.

Se-

Secunda Figura.

288. Secunda figura eſt, ut diximus, cum medius terminus eſt in utraque præmiſſa prædicatum, ut in afferendis modo exemplis apparebit. Ut Syllogiſmi in hac figura colligant, ſecundum hanc duplicem regulam inſtitui debent.

Regula prima. *Præmiſſarum una debet eſſe negativa*. Medius enim terminus in aliqua præmiſſa debet univerſim accipi, ut ſupra demonſtravimus: Cum igitur in utraque ſit prædicatum, affirmativæ autem propoſitiones prædicatum nunquam univerſim ſignificent, opus eſt, ut in præmiſſarum aliqua negetur; & hinc in ſecunda etiam figura concluſio debet ſemper eſſe negativa, ex ſuperius dictis.

Regula ſecunda. *In ſecunda figura major debet ſemper eſſe univerſalis*. Sequitur ex prima regula, concluſio enim eſt ſemper negativa; diſtribuit igitur majus extremum ſeu prædicatum: opus igitur eſt, ut idem majus extremum in majori, in qua eſt ſubjectum, ſit diſtributum: Subjectum autem ſola propoſitio univerſalis diſtribuit: ſit igitur major univerſalis oportet.

290. Atque ex duplici hac regula, & ex aliis ſuperius jam expoſitis plane conſequitur, 4. tantum eſſe colligendi modos in hac figura hiſce artificialibus vocabulis deſignatos, *Cæſare*, *Cameſtres*, *Feſtino*, *Baroco*, nempe EAE. AEE. EIO. AOO.; quorum exempla ſint.

Ce	E *Nullæ machinæ authomatæ reſpirant;*
Sa	A *Omnes piſces reſpirant:*
Re	E *Ergo nulli piſces ſunt machinæ authomatæ.*
Fes	E *Nulli colores ſunt vere in objectis extra animam;*
Ti	I *Aliqui radii ſolares ſunt in objectis extra animam;*
No	O *Ergo aliqui radii ſolares non ſunt colores.*
Ca	A *Omnis materia lucis tranſit per vacuum;*

Mes	E *Nullus ſonus tranſit per vacuum*:
Tres	E *Ergo nullus ſonus eſt materia lucis*.
Ba	A *Omnis vera virtus eſt actus honeſtus*:
Ro	O *Aliquis ſui amor non eſt honeſtus*:
Co	O *Ergo aliquis ſui amor non eſt vera virtus*.

291. Pro ſecunda, & prima figura animadvertendum eſt, in illis modis, in quibus concluſio univerſalis infertur, quales ſunt *Barbara*, *Celarent*, *Cæſare*, *Cameſtres*, poſſe etiam deduci propoſitiones particulares ſub univerſalibus contentas; ſed illæ, aut puræ deductiones exiſtimantur, cum extremum aliquod non ſit idem in concluſione, atque in præmiſſis, vel parum ab univerſali modo differre. In re minimi momenti, in qua omnes de re conveniunt, loquere ut volueris.

Tertia Figura.

292. In tertia tandem figura medius terminus eſt in utraque præmiſſa ſubjectum: ſexque in illa ſunt legitimi colligendi modi, his vocibus artificialibus deſignati, *Darapti*, *Felapton*, *Diſamis*, *Datiſi*, *Bocardo*, *Feriſon*, quorum exempla ſint.

Da	A *Omne mendacium eſt intrinſece malum*;
Rap	A *Omne mendacium a Philoſophia reprobatur*:
Ti	I *Ergo aliquid a Philoſophia reprobatum eſt intrinſece malum*.
Di	I *Aliquid bonum eſt gratia ſupernaturalis*;
Sa	A *Omne bonum eſt a Deo*:
Miſ	I *Ergo aliquid a Deo eſt gratia ſupernaturalis*.
Fe	E *Nullum vitium eſt laudabile*;
Lap	A *Omne vitium rationi opponitur*:
Ton	O *Ergo aliquid rationi oppoſitum non eſt laudabile*.
Da	A *Omnes fontes ſunt ab aqua pluvia*:
Ti	I *Aliqui fontes habent fluxum, & refluxum*:
Si	I *Ergo aliquid habens fluxum, & refluxum eſt ab aqua pluvia*.

E *Nul-*

Fe | E *Nullus homo fuit ante Adamum:*
Ri | I *Aliquis homo eſt Incola Americanus:*
Son | O *Ergo aliquis Americanus Incola non fuit ante Adamum.*

293. Prima hujus figuræ Syllogiſmorum regula eſt, *quod minor debeat ſemper eſſe affirmativa.* Debet enim minus extremum uniri cum medio termino, ut de illo tandem majus extremum poſſit in concluſione affirmari, aut negari, prout majus ipſum extremum de medio termino affirmabitur, aut negabitur: in eoque tertia cum prima figura convenit, eademque utrobique datæ legis ratio.

A prima hac lege conſequitur alia, *quod nimirum concluſio ſemper ſit particularis:* Si enim eſſet univerſalis, in illa diſtribueretur minus extremum; quod cum ſit in minori ſemper affirmativa prædicatum, in præmiſſis non diſtribuitur: a particulari igitur ad univerſale argumentaretur, atque proinde ex vero deduci poſſet falſum.

Scholion.

294. *Quatuordecim igitur combinationes, atque modi ſunt, quibus in triplici figura Syllogiſmi abſoluti alicujus utilitatis colligunt, quos hiſce artificialibus vocabulis, & tribus barbaris carminibus comprehendunt.*

1ª. *Barbara, Celarent, Darii, Ferioque probantur:*
2ª. *Cæſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco:*
3ª. *Darapti, Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon.*

Quatuor primæ figuræ modi ſunt omnium clariſſimi, atque perfectiſſimi: medium tenet locum ſecunda, licet aliqui ejuſmodi Syllogiſmi etiam primæ figuræ in diſputando nonnumquam præferantur.

295. *Ut in Syllogiſmis ſecundæ & tertiæ figuræ, quos omnes imperfectos nuncupant, concluſionum deductio clarius eluceſcat, totoque in lumine* pona-

ponatur; modos ſingulos imperfectos ad perfectos reducunt unius, aut alterius præmiſſæ converſione, ita ut & modus imperfectus ad illum reducatur perfectum, quocum in littera initiali convenit, v. g. Celare, ad Celarent. Quoniam tamen hujuſmodi reductio nullius plane eſt uſus, neque in quotidiano hominum commercio, neque in ſcribendis libris, neque in diſputando unquam adhibetur: illam conſulto prætermittimus, ne circa rem inutiliſſimam tempus perdamus.

296. Aliud præterea caput eſt in ſcholaſticorum logicis, non minus celebre, quam inutile, atque non modo Tyronibus, verum etiam omnibus generatim Lectoribus damnoſum: Id vero eſt, quod Ariſtotelis pontem nuncupant; quo nomine aliud non ſignificant, quam rationem inveniendi argumentum ad propoſitionem quamcumque in aliquo ex ſupra dictis modis atque figuris probandum; hoc eſt, ut ſua rebus nomina conſtent, inventionem locorum, ſeu argumentorum communium, quibus data propoſitio in modo aliquo & figura Syllogiſtica probari ſuaderique poſſit. Mirum eſt, quanam verborum copia rem proſequantur Ariſtoteles, & Scholaſtici: Quamplurimas excogitarunt regulas, ut aptum ſingulis figurarum modis argumentum, ſeu medium terminum invenirent, & inventum rite diſponerent, ut datam aliquam propoſitionem in ſingulis modis probarent. Barbara etiam vocabula artificiolia formarunt; ex iiſque magis adhuc barbara conſtruxerunt carmina, regulam cuique modo propriam continentia. Inutili tamen hac regularum, atque præceptorum ſarcina, mens quidem obruitur, & confunditur, nulla ad argumenta inveniendum facilitas comparatur. Res tota in eo verti debet, ut propoſitam aliquam quæſtionem, ſeu propoſitionem probemus: apta, & propria invenienda ſunt argumenta, quibus data propoſitio probari poſſit. Qualia eſſe debeant hujuſmodi argumenta, quæ eorum natura, vis, atque efficacia ad rem probandam, quanta etiam eorum copia, non regulis, & artis alicujus præceptis, ſed ingenii viribus, rerum eruditione, longaque lectione, atque meditatione,

ne, ex ipſiuſmet probandæ quæſtionis viſceribus eruendum eſt.

297. *Enimvero cum quæſtio aliqua vel familiariter in civili, quotidianaque converſatione, vel oratorio ſtilo, aliave quacumque ratione probanda nobis eſt; argumenta quærimus, nihil de figuris, modiſque Syllogiſticis cogitando: penitiorem rerum, & idearum connexionem, & relationes inſpicimus: iiſque unis demonſtrationem, aut probabile argumentum inſtituimus. Cum in ipſis etiam ſcholaſticis diſputationibus propoſitionem aliquam Syllogiſmorum apparatu probandam, aut impugnandam aſſumimus, citra ullas regularum ambages ex ipſiuſmet propoſitionis, & rei viſceribus argumentum quærimus, cujus vim, & formam ratio ipſa, & perſpicua mens docet. Ad argumentorum inventionem capita quædam proponuntur, quæ loca Rhetorica ſeu communia nuncupantur, & publica quædam promptuaria, atque Armamentaria habentur, unde merces, & arma deſumere cuique licet ad rem quamcumque propugnandam neceſſaria. Communia illa loca recenſere, fuſe explicare, & exemplis illuſtrare Rhetoricorum eſt, ut videre eſt apud Tullium de inventione; preſſius vero & clarius apud vulgares Rhetoricæ Scriptores de Colonia, le Jay, Juvency, & alios pene innumeros.*

Sunt & quinque alii colligendi modi aut ad hanc figuram ſpectantes, & indirecti inde nuncupati, aut quartam figuram efficientes, qui hiſce artificialibus vocibus exponuntur, Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſo, quæ in vulgaribus logicis cum prioribus quatuor modorum nominibus ratione carminis conficiendi ita diſponuntur.

Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum.

Omnes hi indirecti modi ſunt, ut dixi, imperfectiſſimi, vixque ullum habent uſum. Priores tres modi Barali, Celantes, Dabitis, eo tantum nomine a modis directis Barbara, Celarent, Darii ſibi reſpondentibus differunt, quod poſteriores concluſionem directam,

ctam, & *obviam inferunt*, *priores vero indirectam*, & *prioris concluſionis converſam ex iiſdem præmiſſis deducant* : *ſunt igitur iidem omnino Syllogiſmi*, *converſis tantummodo concluſionibus* : *ut priora exempla repetendo res fiet clara*.

BA | A *Omne peccatum eſt odio habendum*:
RA | A *Omnis reſtrictio mentalis eſt peccatum*:
LI | I. *Ergo aliquid odio habendum eſt reſtrictio mentalis*.

DA | A *Omnis res jurisdictionem habet a Deo*;
BI | I *Aliqui a populo electi ſunt reges*:
TIS | I *Ergo aliqui jurisdictionem habentes a Deo ſunt electi a populo*.

CE | E *Nullum corpus notum eſt auro gravius*:
LAN | A *Omne metallum eſt corpus notum*;
TES | E *Ergo nullum auro gravius eſt metallum*.

In quibus omnibus eædem ſunt præmiſſæ, *concluſiones tantum ſunt priorum converſæ*. *Atque vel ex hoc capite legitimos eſſe Syllogiſmos conſtat*; *inde enim ſequitur converſa*, *unde convertens propoſitio deducitur*: *ſi ergo ab iis præmiſſis tres directe concluſiones legitime inferuntur*, *harum etiam converſæ deduci poſſunt*. *Alii duo modi ſunt*:

FA | A *Omne animans habet circulationem ſanguinis*;
PES | E *Nulla arbor eſt Animans*:
MO | O *Ergo aliquid habens circulationem ſanguinis non eſt arbos*.

FRI | I *Aliqua ſtella fixa movetur vertigine*;
SE | E *Nullus planeta eſt ſtella fixa*:
SO | O *Ergo aliquid motum vertigine non eſt planeta*.

Secundum enim has terminorum, *atque propoſitionum combinationes numquam ex præmiſſis veris conſequens falſum deducitur*, *ſunt ergo legitimæ argumentandi rationes*. *De cetero cum hujuſmodi modi indirecti obſcuriſſimi atque imperfectiſſimi ſint*, *ab iis ulterius proſequendis conſulto abſtinemus* : *qui enim iis in ſcholaſtica etiam concertatione uteretur*, *aut confuſæ mentis hominem*, *aut ſophiſtam*, *ſeſe demonſtraret*, *qui aut argumentum nitide concipere*, *at-*

que

que proponere neſciat (quod eſt confuſæ mentis nota) aut potius perſpicuitatem odio habens, adverſariumque verborum ambagibus, & obſcuritate irretire cupiens, ad ſophiſtam, aut obſcuram argumentandi rationem confugiat: quod pejus adhuc eſt cum mentis, tum etiam voluntatis vitium.

298. *Quod attinet ad Syllogiſmos, quorum propoſitiones ſunt ſingulares, v. g. Moyſes fuit primus Scriptor: Moyſes fuit Hebræus: ergo unus Hebræus fuit primus Scriptor, nihil de iis addendum exiſtimo; hujuſmodi enim propoſitiones tamquam univerſales ſpectari debent; ſecundum illarum igitur regulas, & modos diſponi, probari aut rejici oportet. Neque hujus naturæ Syllogiſmi difficultatem alicui afferre poſſunt: quæ enim inter ſingulares terminos, atque ideas relatio intercedit, clariſſime inſpicitur. Atque hæc, quæ hactenus circa Syllogiſmos abſolutos, figuras & modos diximus, omnia illa continent, quæ in vulgaribus logicis, quod ad rem Slyllogiſticam ſpectat, utilitatis aliquid habere poſſunt: oleumque, & operam perderem, ſi fuſius ſterile hoc, atque vix non inutile argumentum proſequerer, quod ſcholarum e limine non egreditur, & ſi ſcholaſticos, dum contentione inter ſe intra aulam diſputant, excipiamus, univerſæ hominum ſocietati eſt prorſus inutile. Citra formam ſcilicet Syllogiſticam humana omnia diriguntur, publica, atque privata Regum, & Principum conſilia, decreta, & leges, ceterorumque hominum univerſa negotia proponuntur, examinantur, diſcernuntur, & conficiuntur, quin ullus homo ad artem illam Syllogiſticam animum advertat: dicta igitur in hac lectione Tyronibus quidem ſcholaſticis ſatis, ceteræ hominum Societati ſuperfluunt,*

LE-

LECTIO II.

De ratiocinatione familiari, ſeu totius humanæ ſocietatis propria.

§. I.

Quæ ratiocinatio in hominum converſationem, conſilia & agendi rationem incidat.

299. ADeo rarum eſt, ſimplices, abſolutoſque Syllogiſmos in familiarem civilemque hominum converſationem, & commercium incidere, ut maxima hominum pars vitam exigat, quin de Syllogiſtica illa arte ne verbum quidem unquam audiverit. Nonnunquam etiam fit, ut homines alioqui eruditi, & in humanis negotiis tractandis per plurimos annos contriti ad argumentationem ſecundum Syllogiſticas leges, figuras, modos prolatam, ſe novam aliquam linguam, ſeu dicendi rationem penitus ignotam audire autument: quibus ſi imprudenter diceres, eorum hominum diffidendum eſſe conſiliis, atque ratiocinationibus, qui novam illam linguam non callerent, & ſecundum ejus regulas non loquerentur; ſententia quidem chachinnis accepta, te aut lapidibus ſalutarent, aut ad inſanorum cuſtodiam remitterent.

300. Duo igitur impræſentiarum ſtatuo, quæ mihi facile ab omnibus dabuntur: *primum*: *Syllogiſticam ratiocinandi formam, & artem intra ſcholarum parietes incluſam in publicam lucem, & communem hominum conſuetudinem non admitti. Secundum: aliam proinde eſſe ratiocinandi regulam a Syllogiſmo diverſam, & omni humani generi communem.* Quoniam tamen plurimi ſunt Syllogiſticæ artis, & Syllogiſmorum adeo amatores, ut utrumque ad ſcientias comparandas, ſi non omnino neceſſarium, utiliſſimum procul dubio exiſtiment; ulterius adhuc mentem meam confirmabo, quam in ſequentia capita diſtinguo.

301. 1. *Neque Syllogiſmus, neque Syllogiſtica ars, in quibus potiſſimum Logica artificialis conſiſtit, ad ſcientias, artes, aut cujuſcumque alterius congnitionem comparandam, retinendam, tradendam ſunt neceſſaria.*

2. *In ſcholis tamen, & rebus abſtractis tradendis* non

non inutiliter adhibentur, vocarique non immerito poſſunt Scholarum lingua artificialis.

3. *Omnibus aliis in civilem hominum ſocietatem & vitæ decurſum incidentibus, ſunt plane inutiles, immo & aliquando noxiæ.*

4. *Omnes tamen homines regula aliqua ſemper ducuntur, ſine qua neque rationabiliter vivere, neque cum aliis agere poſſemus.*

5. *Communis hæc hominum Logica, & regula omnibus ubique & ſemper neceſſaria duobus hiſce comprehenditur, naturali rerum atque idearum connexione, & connexionis perceptione.*

302. Primum facile conſtat: idque eſt, quod ipſamet hominum conſuetudo, & humanum univerſarum gentium omni loco, & tempore circa rem quamcumque commercium demonſtrat. Ante Ariſtotelem & ceteros græcos Philoſophos ne ipſum quidem Artis Syllogiſticæ nomen erat in mundo notum: eadem poſt græcorum ætatem per plurima ſæcula Syllogiſmorum extitit fortuna. Poſt inſtauratum etiam in occidentali Europa græcanicæ Philoſophiæ ſtudium, ſi ſcholaſticorum manipulum excipias, dum ipſi in Liceo agunt, omnem ſemper humanam ſpeciem latuit totum illius artis ſecretum: nihilominus & ante græcorum ætatem, & poſt ſubactam everſamque Græciam, humana omnia citra ullum figurarum Syllogiſticarum ſubſidium perinde agebatur, atque in mediis Athenis, ubi omnia ſcholaſticis diſputationibus perſtrepebant. Quin etiam ipſimet Scholaſtici Syllogiſtico illo loquendi idiomate in ſcholis dumtaxat, dum inter ſe de opinionibus quiſque ſuis altercantur, ſcrupuloſe utuntur; cetera enim omnia, artes & totam humanarum rerum complexionem ſpectantia humanitus agunt: onuſque ipſis eſſet penitus intolerabile, ſi lege aliqua Syllogiſtico ſemper ſtilo agere tenerentur. Videri igitur poſſet Syllogiſticam rationem forenſe veluti eſſe Scholaſticorum idioma, a quo extra ſcholarum pulverem ſemper abſtineant, periade ut forenſes homines barbarum illum, quo civilia in foro agunt, loquendi ſcribendique ſtilum extra forum nunquam producunt.

Præ-

303. Præterea *primo*, infiniti modo etiam ſunt in cultioribus Europæ nationibus homines in ſcientiis & artibus verſatiſſimi, quin ad id rei Syllogiſmorum via incederent, aut ullum forſan verbum de Syllogiſtica arte audierint. *Secundo*, Bene ratiocinari non eſt argumentum ſecundum Syllogiſmorum regulas proponere, ſed unum ab alio deducere, idearumque relationes videre: videntur autem uno mentis intuitu, ſola idearum connexione, atque relatione perſpecta: Si enim citra Syllogiſmorum ambages idearum prima cum ſecunda, ſecunda cum tertia &c. connexionem habent, eamque intellectus animadvertit; fieri non poteſt, quin prima illa idea poſita, omnes aliæ ſeriatim inde a mente deducantur. Sed in re apud omnes certa operæ pretium non eſt diutius immorari.

304. Secundum: *Syllogiſticam tamen artem, & argumentationem in ſcholis eſſe non inutilem*, quod ſecundo loco probandum aſſumpſimus, in dubium vocari non poteſt: Syllogiſmo enim ipſa idearum connexio ob oculos ponitur, & demonſtratur. In Syllogiſmis primæ figuræ, qui omnium perfectiſſimi ſunt (ceteros enim præcipue indirectos aut tertiæ figuræ parum curo) rem manifeſte conſpicimus: in quibus duas ideas cum tertia ſeorſim in præmiſſis connectimus, aut ab ipſa removemus, ut ob eam connexionem una de alia in concluſione affirmetur, aut negetur. *Secundo* Longa illa propoſitionum, atque earumdem idearum expoſitio, & repetitio quæ Syllogiſmorum propria eſt, & inventam alioquin notamque veritatem tyronum mentibus imprimendam, atque ſuadendam non parum inſervit: unius ſcilicet, aut plurium Syllogiſmorum propoſitionibus teneræ tyronum mentes veluti manu ducuntur, & per plures quaſi ſcalæ gradus ad ultimam veritatem diriguntur. Abſtractæ etiam ipſæ ſcientiæ atque propriæ illarum ideæ longe aptiores ſunt, ad Syllogiſmorum ſtructuram, quæ ſimplicibus potiſſimum ideis componuntur, quam complexæ illæ plurium artium veritates, & obſervationes, quæ fuſiori potius ſtilo, quam Syllogiſtica dicendi ratione exponi poſſunt.

3. Quod

305. 3. Quod tertio loco aſſeruimus, facile ab omnibus admittetur, ſi communem omnibus hominibus cogitandi, loquendi, ratiocinandi, agendique modum parumper conſideremus. Ecquis enim eſt, ne ipſis quidem ſcholaſticis exceptis, qui res ſuas meditando, agendo, alios conſulendo, cum aliis hominibus confabulando, de rebuſque quibuslibet ratiocinando, Syllogiſmum, Syllogiſticamque artem adhibeat, in mentem advocet, & ne quidem comminiſcatur? Teſtes ego hujuſce veritatis appello, quotquot humanam ſocietatem, & vitæ civilis munia norunt: citra omnem igitur Syllogiſmorum apparatum totum humanæ ſocietatis commercium, quidquid homines cogitant, loquuntur, agunt, omnino peragitur: eſt igitur ad civilem hominum agendi rationem inutilis: cumque alia ex parte ipſo rationis lumine vera a falſis diſtinguere, & unum ab alio recte deducere tota hominum ſocietas norit, hoc eſt, naturalem, civilemque habeat Logicam, qua recte cogitare, loqui, ratiocinari, vivere cognoſcant; ad Civilem hanc hominum logicam, & vitam inutilis eſt Syllogiſmus. Siquis adhuc de hujuſce rei veritate dubitaret, is quidem in omnes, & ſingulos hominum cætus, & conſilia eſſet parumper admittendus, modoque cum ruſticanis agere, artifices deinde, mercatores, nobiles, & ſuprema tandem principum, rerum publicarum, atque nationum conſilia, & tribunalia audire opus eſſet: homines quidem recte ubique ratiocinantes offenderet, quin tamen ullum Syllogiſticæ artis veſtigium animadverteret.

306. Ipſamet mentis, atque ingenii acies longa illa propoſitionum ſerie, & earumdem idearum repetitione, quæ in Syllogiſmo fiunt, langueſcit, retardatur, & retardatione ipſa non parum de vivacitate ſua remittit. Si cui hoc ultimum non probatur, periculum faciat: de re aliqua, quam aut agnoſcere, aut probare vehementer deſideret, una cum alio, a quo rem accipiat, ratiocinetur. Ab alio ſane longis Syllogiſmis res protrahente, ſeſe a ſcopo aſſequendo, reque intelligenda detineri impatienter feret; & parce, inquiet, tot propoſitio-

num

num farragini & idearum repetitioni, ad rem properemus. Sollemne id eſt hominibus doctis, dum familiariter inter ſe de re aliqua diſputant, Syllogiſmos faſtidire, & evitare, etſi illorum regulas aliunde teneant: cum opinionibus, & ſententiis differunt, fundamenta quiſque oppoſita verbis, atque ideis, quantum fieri poſſit, paucioribus audire amant, notumque illud proverbium, *Sapienti parum*, erga ſe mutuo obſervari cupiunt: neque ſolum verboſam argumentationem faſtidiunt, ſed deſpectui etiam vertunt, quod longiori ratiocinatione veritas aliqua nobis proponatur; quod in acuminis atque ingenii vitium vertitur.

307. Aliquam tamen eſſe generalem argumentationis regulam, toti humanæ ſpeciei communem, qua omnes in quibuſcumque ratiocinationibus ducamur, eamque regulam eſſe idearum connexionem, & connexionis perceptionem, ultimo loco diximus, idque ſupereſt fuſius explicandum.

§. II.

Generalis quarumcumque ratiocinationum regula, ſecundum quam recta a vitioſis argumentis diſcernuntur.

308. Cum tot inter homines ſint argumentandi rationes, atque modi, toto cælo inter ſe diverſi, quibus unum ab alio deducunt, longaque conſequentiarum ſerie, & catenatione ex remotiſſima atque ſimpliciſſima idea, & principio plura gradatim inferunt, eoque pacto ignota antea inveniunt, & reconditas veritates detegunt; una tamen eſt generalis regula, atque ſemita, qua, duce natura, mens humana in omnibus ratiocinationibus ſemper dirigitur. Naturalis hæc ratiocinandi regula aliud non eſt, quam idearum ipſarum connexio atque relatio, quam inſpiciens intellectus, fieri non poteſt, quin unam ab alia deducat aut rejiciat. Rem non melius tibi ipſi demonſtrabis, quam ſi hominum, cujuſcumque ordinis ſint, confabulationes, publica privataque commercia, atque agendi rationem

nem contemplere: Agricultores v. g. gentem in re publica omnium litterarum expertem, quibus perinde eſt Syllogiſticum, ut mihi planeticolarum idioma notum, de rebus ad agriculturam ſpectantibus loquentes, atque ratiocinantes audias: atque multos quidem non modo nitide, & eleganter ſeſe explicare, & ratiocinari, quod purum naturæ donum eſt; alios majori minorive idearum confuſione (quod ceteris hominum ordinibus comune eſt) mentem ſuam aperire, aliaque ab aliis deducere animadvertes: Omnes tamen eorum hominum deductiones, & ratiocinationes ad eam, quam vident in ideis, connexionem quaſi ad lidium lapidem & rei totius fundamentum reduci comperies. Planus, inquiunt, hic ager eſt; alius contra a collis ſummitate ad radices uſque declivis: copioſis igitur imbribus tota hyeme decidentibus longe præ ſecundo pingueſcet primus, cum aquarum depoſitionem, unde potiſſimus ubertatis fons derivatur ob terreni ſitum in ſeſe recipiat, atque diu ſervet planities, dum interim per agri declivia labentes aquæ fertilitatem ſuam alio deferunt.

309. Paucis quidem hiſce ideis in Syllogiſticam formam redactis longam ratiocinationem inſtrueret ſcholaſticus tiro: ex iis vero citra ullum propoſitionum, Syllogiſmorum, & regularum apparatum, & nude in ſe ſpectatis ſuam ſibi theſim probat ruſticus Argumentator, omnemque a ſe erroris timorem ſola idearum connexionis inſpectione depellit. Omnes hominum ordines a rudiori eorum in republica conditione, a paſtoribus ad naſutiores uſque, & ſagaciores Principum conſiliarios, & miniſtros, ſcholaſticos etiam ipſos Syllogiſticæ formæ amantiores, inter ſe de rebus quibuſcunque loquentes audiamus; hanc unam iis omnibus eſſe affirmandi, aut negandi, hanc vel illam propoſitionem deducendi rationem obſervabimus, *idearum connexionem*.

310. Atque hæc rerum, & idearum connexio, aut oppoſitio qua una aliam infert, aut rejicit, unum illud naturæ argumentum eſt, ſeu unicus ratiocinandi modus a natura nobis traditus: hanc unam omnes nul-

lo ſtudio comparamus, hac una quoad vivimus, in rebus quibuſcunque ducimur. Cum vero multiplex ſit inter rerum naturas connexionum, aut oppoſitionum ſpecies, aliæ enim magis, aliæ minus, aliæ neceſſario, aliæ non neceſſario opponuntur, aut ſeſe inferunt: hinc etiam unum illud naturæ argumentum multiplici nomine, & ſpecie donatur, *certi, ſeu demonſtrationis, incerti, probabilis fidei* &c. Rurſus res aliæ cum aliis connectuntur tamquam cauſſa, aut effectus efficiens, finalis, moralis, formalis, materialis; aliæ vero tamquam ſigna, conditiones, antecedentia, conſequentia, & ſimilibus aliis connexionum ſpeciebus: & ex his etiam capitibus in totidem etiam claſſes connexionis ſeu naturæ argumentum diſtingui poteſt.

311 Ut illo naturæ argumento in idearum connexione poſito ducamur, opus eſt, a naturali etiam mentis perſpicacia capiatur: rationis igitur lumen, atque ingenium, fax illa eſt, qua citra ulla artis præcepta in rerum veritate aut falſitate indagandis ducimur; dum naturali rerum, & idearum connexione perſpecta, ab una ad aliam ideam gradatim conſcendimus, unumque ab alio deducimus in quo uno tota ratiocinationis natura poſita eſt: In duplici hoc capite integra humanarum omnium ratiocinationum natura comprehenditur, naturali rerum, ſeu idearum connexione, & connexionis ipſius comprehenſione.

312. Naturalis hæc mentis perſpicacia, atque ingenium, quo naturalem rerum, & idearum connexionem perſpicimus, & comprehendimus, infinitos pene diſtinctionis gradus habet, quibus omnium fere hominum mentes, & ingenia inter ſe differunt: atque hinc etiam eſt, quod alii præ aliis earumdem rerum connexionem clarius & clarius, confuſius, & confuſius percipiunt: ex eoque percipiendi diſcrimine multiplex etiam in humanis ratiocinationibus diverſitas, vitium, atque præſtantia naſcitur. Incidit aliquando in numeroſa auditorum corona de re aliqua minime obvia ſermo: ad unam eamdemque hominis relationem mirum in audientium intelligentiis diſcrimen: ſunt qui vel uno

pro-

prolaro verbo, quo tandem tota res evadat, comprehendunt, ab aliis citius, tardius aſſenſum extorquebis: in omnibus tamen facile obſervamus, tamdiu hærere, quamdiu idearum connexionem clare non perceperunt; ſimul vero ac rem tenuere, dubitatione depulſa, ſententiam, & concluſionem proferunt. Adeo verum eſt, naturalem idearum connexionem, & connexionis perceptionem unum eſſe humanarum ratiocinationum cardinem. Subdubitet aliquis de vero aeris pondere: homini expone naturalem illam connexionem, quæ ineſt inter aerem prementem, & fluidi per tubum Torricellianum intra machinam pneumaticam aſcenſum; quo pacto extracto ſenſim aere e machinæ ipſius recipiente, ſenſim etiam e tubo torricelliano intra recipiens erecto mercurius deſcendat, iterum introducto, iterum etiam aſcendat mercurius, ob oculos demonſtra; fieri non poterit, quin antiquis præjudiciis ſtatim depoſitis citra ullum omnino Syllogiſmum ſolaque idearum connexione perſpecta aeris gravitatem fateatur.

313. Hujus fere rationis eſt mirabilis illa conſequentiarum ſeries, qua res Geometricas demonſtramus; nullum illic ſyllogiſmorum, aut figurarum veſtigium: ab una ad aliam ideam, ab una ad aliam conſequentiam gradatim conſcenditur: ſolaque idearum connexione evidenter perſpecta mens noſtra ducitur, & geometricas demonſtrationes conficit. Scio quidem hujuſmodi geometrarum conſequentias, immo & omnia alia argumenta, ad Syllogiſmos tandem reduci poſſe: duo tamen hæc conſtant, primum: mentem humanam citra ullam omnino reductionem ſola idearum connexione ratiocinari, aſſentiri, diſſentiri, probare, demonſtrare, credere &c. niſi contendas, ovium paſtorem v. g. dum rebus ſuis providet, atque prudenter agit, ad ſyllogiſmorum regulas atque naturam attendere, ac de horum reductione cogitare. *Secundum*: eam argumentorum ad ſyllogiſmos reductionem non modo rem longi tædioſique laboris ſæpe exiſtere, ſed ipſammet argumentorum vim, atque energiam multoties infringere atque debilitare. Rem præcipue videre eſt in pa-

patheticis commotionibus, in quibus vel unica idea quaſi fulmine animus noſter percellitur; cum ex adverſo illius-met ideæ & argumenti longa verborum ambago in Syllogiſmum redacti vis tota hebetetur, nulloſque in nobis affectus, niſi languide atque remiſſe, excitet.

314. Ex dictis igitur, niſi fallor, ſatis evincitur, univerſalem totius humani generis ratiocinationem, atque argumentandi rationem in ſola idearum connexionis inſpectione conſiſtere: eam unam nos docuit natura, eaque ſola ducimur. Et ſane qui ad ſuammet agendi, & differendi rationem quotidianam animadverterit, eamque ſedulo examinaverit, facile comperiet, illa ſe una ratione agere, & ratiocinari; neque tamen dum ita agit, minus eſſe de ſuarum ratiocinationum exactitudine ſecurum, quam ſi omnia ad ſyllogiſticas regulas reduceret. A ſcholaſticis ipſis doctoribus (qui infinito pene numero atque ex omni hominum ordine ſcientias in publicis gymnaſis ſecundum ſyllogiſticam formam tradunt), ab iis, inquam, quæras, utrum melius ſeſe in ſcholis ratiocinari, quam in privatis domibus cum res ſuas agunt, exiſtiment: At omnia in ſcholis ad ſyllogiſmorum regulas adamuſſim expendunt: inter domeſticos autem parietes, atque amicos doctorali illa ſerietate depoſita, genio tantum ſuo, communique naturæ ſenſu atque dictamine agunt. Quod ii de ſe ipſis teſtimonium protulerint in rem judicatam referendum exiſtima.

315. Tota igitur humanarum ratiocinationum ratio, atque hominum converſatio, & ſermo his fere peragitur; rerum ideæ primum ſenſatione, atque mentis reflexione paullatim labente tempore comparantur; comparatas ideas inter noſ-metipſos meditamur, aliis referimus, aut ab aliis auditas perpendimus, & intelligere adnitimur: idearum comprehenſione fit, ut earum connexionem perſpiciamus; idearum intelligentia, atque connexio omnes affectus, & paſſiones in animo & ratiocinationes in mente generant. Idearum igitur acquiſitione diteſcimus, intelligentia movemur, inſpectione ratiocinamur, hiſce omnibus, atque inſimul mutua

ea-

earumdem idearum relatione, & animadverſione rationale hominum commercium peragitur.

316. In hanc unam idearum connexionem mentis noſtræ aciem intendimus, eaque perſpecta, nihil hæremus, ſed ab una illico ad aliam pertranſimus, hoc eſt, ratiocinamur. Porro naturales rerum ideæ, ſecum invicem, & ſeriatim connexæ, ſunt veluti mentalis, & vera ſemita, ſeu potius anuli, qui alii aliis connectuntur, per eoſque mens ipſa ab unis ad alias catenatim implexas tranſvolat; cum alia ad aliam gradus exiſtat. Atque ex modo, quo mens noſtra ideales haſce catenulas percurrit, ingenii noſtri vires, ſubtilitas, & profunditas dignoſcitur: ſunt qui velocius, ſunt & qui tardius ab alia ad aliam ideam, catenæque anulum tranſeunt: alius quidem profundius in idearum quaſi medullam penetrat, dum alius per earum tantum ſuperficiem leviter delabitur: unde eſt quod ingenium in latitudinem, aut in profunditatem, aut in utramque exeratur. Hominem videas, profundius, & medullitus rerum ideas inſpicientem, tardiori tamen greſſu catenam percurrentem: In alium ex adverſo incides, qui fulguris inſtar ſuperficiem tantum lambat, jucunde tamen luceat: quocumque modo res fiat, potiſſima ingenii nota eſt, cum ſi vel unica tibi proponatur idea, longam illico aliarum idearum ſeriem inde detegis. Id autem naturale illud ratiocinium eſt, a natura nobis datum, quod nulla arte, nulloque docente ediſcimus, & per totum vitæ curſum in rebus omnibus adhibemus: neque ullus umquam vel ab homine Scholaſtico fit Syllogiſmus, niſi poſtquam naturalem idearum connexionem introſpexit, hoc eſt, naturali ratiocinatione uſus, Syllogiſmi materiam agnovit, & concluſionem mente jam deduxit.

§. III.

Opus ne ſit naturalem hanc vulgaremque hominum ratiocinationem, atque Logicam, ad Artificialem, & Syllogiſticam reducere.

317. Miram ſane obſervari in communi, & civili hominum commercio, cogitandi, loquendi agendique ratione argumentationum varietatem, ſenſa quemque ſua diverſo modo proponere & propoſitionum rationem adducere, ſatis hactenus evicimus, & communis omnium experientia demonſtrat. Inter multiplices hujuſce diverſitatis cauſſas, a rerum ipſarum, de quibus agitur, viſceribus deſumptas numerari potiſſimum debet infinita illa, quæ inter homines viſitur, ingenii, mentiſque indoles, atque diverſitas: quibus nitide in cerebro depinguntur ideæ, nitide etiam, vel in familiaribus converſationibus, probandæ quæſtionis argumenta proponuntur, quantumvis a Syllogiſtica forma toto cælo diſtent. Contra vero, ſi nubilum ſit ingenium, rerumque ideæ male in cerebro diſpoſitæ, inordinate impreſſæ, & non niſi ſuperficie tenus perceptæ; argumenta alias manifeſta quodam obſcuritatis velo involuta proponentur. Quantum vero in hominibus eſt ingeniorum diſcrimen, atque varietas, quod percipendi, diſtinguendi, atque ſeſe enunciandi facultatem attinet? Alio etiam ex capite magna inter hominum ratiocinationes varietas deprehenditur: In eademmet converſatione unius ejusdemque rei aſſertionem, & aſſertionis rationem brevius, concinnius, atque ſimplicius ab uno, quam ab alio adduci animadvertes.

318. Cum tanta in civili hominum commercio atque conſuetudine ſit ratiocinandi varietas; quæri hic merito poteſt, unde tandem dignoſcendum ſit, recte nec ne familiares & quotidianæ hominum ratiocinationes procedant; ſit ne etiam, & quænam generalis regula, qua omnium argumentationum in communem hominum conſuetudinem incidentium rectitudo dignoſcatur. Exemplis

res

res fiet clarior : his aut ſimilibus aliis modis ſenſa noſtra paſſim enunciamus.

1°. *Faceret Deus, ut Mahometana religio funditus deſtrueretur, ne tot animæ miſerum perirent.*

2°. *Europei Indianorum ludibrium ſumus, cum ipſis aurum importemus, ab ipſis merces accipiamus.*

3°. *Quis mundum credat æternum, dum omnes artes recenter ortas agnovimus.*

4°. *Quidquid ad vitam æternam Deique amorem non ducit, non eſt ſtudioſe quærendum : divitiarum ſane amor ad vitam æternam non ducit : Quid igitur tantopere divitias inhiamus?*

5°. *Lex naturalis & divina jubet regibus, & principibus obedire, eoſque colere : Joſephum igitur hujus nominis primum Luſitaniæ Regem lege naturali, & divina colere oportet.*

6°. *Ita ne lætus vivis, vivendi non ſecurus?*

319. Hiſce quidem, & infinitis aliis modis homines paſſim cogitando, loquendo, ſcribendo, agendo quotidie ratiocinamur, quin aliquid de Syllogiſmo ejuſque regulis cogitemus : licet enim omnes adductæ ratiocinationes ſint optimæ, atque recte concludant, vix earum una aut altera Syllogiſmum continet. Unde tamen dignoſcemus eas eſſe rectas ratiocinationes?

Reſp. Duplex eſſe poteſt generalis regula, aut criterium, quo omnium ratiocinationum exactitudo perpendatur, atque dignoſcatur ; alia quidem extrema, nempe reductio ad Syllogiſmos ; alia vero ipſarum ratiocinationum intima, nempe ipſiuſmet connexionis inter antecedens, & conſequens, ſeu inter præmiſſas & concluſionem intercedentis perceptio. Quod primam attinet, dubitari non poteſt, quin reductio ad Syllogiſmos ſimplices, & abſolutos recta ſit regula ad noſtrarum omnium ratiocinationum exactitudinem dignoſcendam; ſcimus enim omnem Syllogiſmum ſecundum præſcriptas regulas inſtitutum rectam eſſe ratiocinationem : Quidquid igitur ad ejuſmodi Syllogiſmos reducetur, legitimam ratiocinationem continebit.

320. *Dico tamem primam hanc reductionis regu-*

lam, neque eſſe neceſſariam, neque ullius ferè uſus, neque ſemper facilem.

Primum ex univerſali hominum ſenſu, atque conſuetudine demonſtratur: Omne enim humanum genus ratiocinatur, & propria unuſquiſque ſenſa, & argumentationes mira prorſus varietate, milleque modis inter ſe diverſis enunciant, quorum ſpeciem quinque tantum exemplis dedimus: neque tamen ullus eſt, niſi unus forſitan aut alter e ſcholæ Tyrocinio logicus, qui de ſuarum ratiocinationum ad Syllogiſmos reductione cogitet, aut illam neceſſariam eſſe exiſtimet, ut recte ab antecedente deductum fuiſſe conſequens probet: recte nihilominus paſſim ratiocinantur homines, atque de recto ſuæmet rationis uſu, & rationum exactitudine ſunt omnino perſuaſi. *Secundum*, intimus hominum ſenſus, & clara mentis perceptio unum illud eſt naturale criterium atque inſtrumentum, quo exactam a vitioſa ratiocinationem diſcernimus: ut ſtatim fuſius explicabimus.

321. Jam vero humanarum ratiocinationum ad Syllogiſmos reductionem, non modo in uſu non eſſe apud communem hominum ſocietatem, ſed ne notam quidem eſſe extra ſcholarum limina, non diffitebitur, qui in humana ipſa ſocietate vivit: equidem nihilo magis nota inter homines eſt familiarium, ſeu naturalium ratiocinationum reductio ad Syllogiſmos, quam ſit ipſemet Syllogiſmus: Quiſnam vero extra ſcholas Syllogiſmum, ejuſque regulas agnovit? Scholaſticum ego logicum, rei Syllogiſticæ tenaciſſimum ſectatorem appello, utrumne, dum & ceterorum civium more rebus ſuis providet, & cum aliis hominibus ratiocinatur, atque agit, Syllogiſticæ reductionis aliquando meminerit, & in rem adhibuerit.

322. Atque hinc ulterius confirmatur quod primo loco diximus, vulgarium ratiocinationum ad Syllogiſmos reductionem nequaquam eſſe neceſſariam; mirum enim eſſet ſi neceſſarium ratiocinationum criterium, & teſſeram a natura ipſa, & mente ratiocinante non haberemus: mancam ſane ho-

hominibus ratiocinandi facultatem naturalem donaſſet Deus, ſi citra humanæ artis regulas ratiocinationum noſtrarum exactitudinem dignoſcere non poſſemus. Duo etiam hæc, quæ primo, & ſecundo loco aſſerimus, in allatis ſupra ratiocinationum exemplis, & mille, quæ afferri poſſent, & in ſe ipſo unuſquiſque noſtrum animadvertere facile poteſt, manifeſte viſuntur: quis enim hominum eſt, qui vel de illarum ratiocinationum exactitudine dubitet, aut de illarum reductione cogitet, atque aliquando utatur? Quin immo tum etiam, cum de noſtrarum vel aliorum ratiocinationum veritate dubitamus, rei dignoſcendæ cauſſa ad reductionem non confugimus, ſed aliud quod ſtatim ſubjiciam, concluſionum noſtrarum criterium adhibemus.

323. *Tertium* tandem a nobis ſuperius aſſertum, non facilem ſcilicet ſemper eſſe vulgarium ratiocinationum, quantumvis optimæ illæ ſint, ad Syllogiſmos reductionem, nullus diffitebitur, qui periculum in ſemetipſo faciat: Rem in allatis exemplis, quæ familiaria ſunt tentemus. Hæc ratiocinatio quarto loco a nobis propoſita,

Quidquid ad vitam æternam, Deique amorem non ducit, non eſt ſtudioſe quærendum.
Divitiarum ſane amor ad vitam æternam non ducit:
Quid igitur tantopere divitias inhiamus? (vel) divitiæ igitur non ſunt ſtudioſe quærendæ.

324. *Primo,* ipſemet diſcurſus indole ſua, atque idearum connexione exactus, atque legitimus oſtenditur: omnes tamen propoſitiones in ſpeciem videntur eſſe negativæ vel etiam ex duplici propoſitione negativa concluſio affirmativa deduci, quod eſt contra Syllogiſmorum regulas. Plurima hujuſce generis argumenta in ſpeciem negativa paſſim afferuntur, quæ tamen recte concludunt; eo quod propoſitiones aliquæ in ſpeciem negativæ ſint reapſe affirmativæ: id quod facile animadvertemus, ſi ipſarum propoſitionum ſenſum quæramus & analyſim inſtituamus; Argumentum examinando inveni-

nimus, hunc eſſe propoſitionis ſecundæ ſenſum, *divitiarum ſane amor eſt aliquid, quod ad vitam æternam non ducit*; ratiocinationis igitur præmiſſæ hunc habent ſenſum.

Omne quodcumque ad vitam æternam, Deique amorem non ducit, non eſt ſtudioſe quærendum.

Divitiarum ſane amor eſt aliquid, quod ad vitam æternam non ducit.

Ex quibus præmiſſis hæc immediate deducitur concluſio; *Ego divitiarum amor non eſt ſtudioſe quærendus*, quæ quidem legitima eſt in prima figura: hæc tamen non eſt primæ ratiocinationis concluſio, ſed hæc alia, *divitiæ igitur non ſunt ſtudioſe quærendæ*, quæ immediate elici non poteſt, atque ab alia, quam modo deduximus, multum differt: quoniam tamen ſi amor divitiarum non eſt quærendus, divitiæ etiam ipſæ quærendæ non ſunt; e prima ad harum idearum, ſeu propoſitionum ſecundam ratione connexionis facilis eſt conſecutio, quæ in hunc modum oſtendi poteſt,

Illud cujus amor non eſt quærendus, non eſt quærendum:

Divitiæ ſunt aliquid, cujus amor non eſt quærendus;

Ergo divitiæ non ſunt quærendæ.

Secunda hac concluſione, & prima alia, quam deduximus, jam demonſtrata, in aliam tandem devenimus, *quid ergo divitias tantopere inhiamus?* Quæ & Pathetici aliquid habet, & commotæ jam voluntatis concluſio exiſtit, & longe efficacius conſequentiæ veritatem oſtendit, alteque in animo defixam indicat.

325. Atque ex modo dictis duo ad rem noſtram maxime ſpectantia inferuntur: *Primum* longe efficacius, & clarius, atque vehementius familiaribus, atque naturalibus ratiocinationibus, quibus ſola natura duce utimur, veritatem a nobis aſſequi, proponi, atque ob oculos oſtendi, quam artificialibus argumentandi modis, ſeu Syllogiſmis. Prioribus enim modis mens humana vix primum illud principium ratiocinationis, & cardinem medullitus introſpexit; perſpecta illico conſequen-

tium

tium inde idearum connexione a prima ad ultimam quaſi fulgur evibratur, omiſſiſque intermediis ideis, atque concluſionibus, quas ipſa penitius in oculi ictu inſpexit, ad ultimam, ad rei perſuaſionem, & voluntatis paſſionem excitandam tranſilit: Contra vero quænam propoſitionum ſeries, atque numerus opus eſt, ut Syllogiſtica methodo a prima ratiocinationis ad ultimam conſequentiam, animique affectum eliciendum, quod totius rei caput eſt, deveniamus? Per multiplicem etiam illum propoſitionum ordinem, tamquam per longam faſtidioſamque viam mens ipſa defatigatur, & vis ipſa argumenti ob mentis in plura objecta, & propoſitiones diſtractionem langueſcit.

326. *Secundum*, ex allatis ſuperius ratiocinationibus eam, quam hactenus proſecuti ſumus, facilius præ aliis ad Syllogiſmum reduci, nec niſi tamen per multas ambages ad communem Syllogiſmorum formam revocari, ut facile ex rei ipſius contextu animadverti poteſt: aliarum igitur quamplurimæ, quæ longius a Syllogiſmorum ſpecie recedunt, operoſius adhuc ad illos reducentur: exemplum ſit, quod primo loco poſuimus: *faceret Deus, ut Mahometana religio funditus deſtrueretur, ne tot animæ miſerum perirent*: hujuſmodi locutio partim ad voluntatem, ſeu animi affectum ſpectat: mentis eſt ex animarum damnatione deducere, Mahometanæ religionis deſtructionem eſſe deſiderabilem, voluntatis vero deſiderare; primum ita demum ad Syllogiſmum poteſt reduci:

Omnis religio, in qua animæ pereunt, eſt falſa, illiuſqus deſtructio peti a Deo debet:

Mahometiſmus eſt Religio, in qua animæ pereunt:

Ergo Mahometiſmus eſt falſus, illiuſque deſtructio peti a Deo debet.

Qua poſita concluſione, pronum voluntati eſt, in vehementem illum affectum rumpere, *faceret Deus* &c. operoſius adhuc ratiocinationes aliæ ad Syllogiſmum revocabuntur, ut rem tentanti experientia demonſtrabit: ſatis igitur ex his, quod tertio loco aſſertum eſt, confecimus.

327. *Dico ſecundo: ipſamet connexio inter antecedens, & conſequens, ſeu inter præmiſſas, & concluſionem, & clara ipſius connexionis perceptio naturale illud eſt omnium ratiocinationum noſtrarum criterium, quo ſanæ a vitioſis dignoſcuntur, neque ulla alia opus eſt artificiali regula ad argumentationis humanæ exactitudinem percipiendam.*

Non ſatis ſcilicet humanæ menti providiſſet naturæ auctor Deus, ſi animam natura ſua cogitantem, & recte ratiocinantem crearet, quæ tamen recte ſeſe ratiocinari ſuopte ingenio natura, atque rationis lumine non diſcerneret. Equidem dum quis noſtrum cogitat, ſuæmet cogitationis cônſcius exiſtit, ipſaque cogitatio naturale quoddam eſt mentale lumen, quod & objectum, & ſemet intellectui manifeſtat: ratiocinatio autem & ipſa eſt cogitatio complexa ſeu mentale lumen connexionem inter unum, & aliud oſtendens, ejuſque beneficio unum ab alio deducens: ipſamet igitur ratio mentis etiam fax & lumen eſt, quo unam inter, & aliam ideam connexio manifeſtatur, unamque ab alia deduci poſſe oſtenditur.

328. *Tertio*; Nemo ſane eſt, qui Geometricæ demonſtrationis ideas, idearumque catenationem percurrens, v. g. pitagoricum illud Theorema libri primi 47., quo Hypothenuſæ quadratum duobus ſimul aliorum laterum quadratis æquale eſſe demonſtratur, de ratiocinationis evidentia dubitet: pura tamen illic viſitur idearum connexio ab unaque ad aliam ſeriatim mens noſtra deſcendit. Connexio igitur inter unam, & alteram ideam, ſeu inter unum, & alterum ratiocinationis extremum intercedens clara ipſius connexionis perceptio, illa nobis regula, fax, & lumen eſt, quo rectam a vitioſa ratiocinatione diſcernimus: ad eum plane modum, quo materiale lumen & objecta, & viam, & ſemetipſum oculis manifeſtat. Atque ex his, & aliis, quæ hactenus diximus, ſecunda etiam propoſitionis pars plane evincitur.

329. At infinitæ paſſim fiunt, inquies, ab omni hominum ordine vitioſæ ratiocinationes, de quacumque tandem re ipſi inter ſe loquantur: interim

terim tamen quis eorum eſt, qui non recte ſeſe ratiocinari exiſtimet? Omnes autem naturali mentis regula, & rationis lumine ſeſe duci contendunt: prædicta igitur regula non ſatis nos a vitioſis ratiocinationibus vindicat, alioque opus eſt Criterio, quo de recto ipſiuſmet regulæ uſu certi eſſe poſſimus: quænam autem hæc erit regula, niſi ratiocinationis ad Syllogiſmos reductio? hæc una ſcilicet ratio eſt, qua & connexionem ipſam ratiocinationis noſtræ extremis reapſe convenire agnoſcimus, & falſum conſequens a veriis principiis deducere non poſſumus. Reſpondeo: Humanarum ratiocinationum fallacias ex multiplici fonte derivari, quas ſtatim recenſebimus, earumque magnæ ſaltem parti perperam remedium quæras operoſa illa ratiocinationum ipſarum ad Syllogiſmos reductione: paucis rem modo attingemus, fuſius in loco proſecuturi. Mentis noſtræ errores, vel ad judicia, hoc eſt, ad præmiſſas, vel ad diſcurſum, hoc eſt, ad deductionem univerſitatis ex alia quod proprie ratiocinari eſt, pertinent: Omnes generatim ad hæc capita reducuntur. Primo, Ad idearum defectum, cum ſcilicet de re aliqua pronunciamus, de qua ne ideam quidem habemus. Secundo, Ad earumdem idearum confuſionem, niſi enim rerum ideas clare inſpiciamus, quid iis conveniat, aut opponatur, diſcernere non poſſumus. Tertio, Ad mediarum idearum, ſeu terminorum, atque argumentorum defectum: ſæpe enim fit, ut una idea, aut propoſitio ab altera mediis quarumdam idearum catenationibus deducatur: ſi igitur medias illas ideas non habeamus; principio admiſſo conſequentem inde veritatem ob ignoratam connexionem negabimus. Quarto, Ad falſa principia, quibus imbuti ſumus. Quinto, Tandem ad vocabulorum ſignificationis ambiguitatem. Atque hiſce omnibus errorum fontibus remedium non afferunt Syllogiſmi.

330. Quo ad ratiocinationem ſpectat, poteſt eſſe illa falſa, atque vitioſa, primo ob præmiſſæ alicujus aut antecedentis falſitatem, unde conſequens deducimus: ex principio enim falſo quod verum eſſe arbitramur, mirum non eſt, ſi falſum etiam con-

conſequens deducimus: atque hic etiam errorum fons, & ratiocinationum defectus nulla earum reductione vitari poteſt, cum in omni Syllogiſmo præmiſſæ falſæ poni, admittique poſſint, ut veræ. Secundo; vitioſa erit ratiocinatio, atque hic eſt defectus earum proprius, ſi ex antecedente, aut præmiſſis veris conſequens falſum deducamus: quod quidem ex connexionis defectu accidere tantum poteſt. Poſtremum hoc unum eſt, quod ratiocinationum ad Syllogiſmos reductione evitari poteſt: ſi enim Syllogiſmi ſecundum præſcriptas regulas inſtituantur; numquam ex præmiſſis veris falſum conſequens deduci poteſt, certumque id eſt connexionis inter antecedens, & conſequens intercedentis argumentum. Sed ut hoc etiam reductione ad Syllogiſmos obtineatur, diligenter animadvertendæ cavendæque Syllogiſmorum fallaciæ, *Sophiſmata* vulgo nuncupata, quæ ſtatim dabimus: aliter enim in eumdem ſcopulum iterum incidimus.

331. Poſtremum hoc etiam vitium, quod in vulgares, & familiares hominum ſermones multoties incidit, ſolo rationis lumine caveri poteſt, nulla reductione adhibita, cum id paſſim ab iis omnibus vitari animadvertamus, qui & nitidam habent mentem, & non niſi de iis, quæ clare percipiunt, ſententiam ſuam ferunt. Hæc una igitur tenenda eſt regula, ab ipſomet rationis lumine dictata, omnibuſque notiſſima & menti ſemper præſens, *amplius nihil, neque diverſo modo in concluſione dicatur, quam fuit in præmiſſis dictum, ſeu id ſolum in concluſione inferatur, quod ipſamet connexio inferendum eſſe demonſtrat*. Ad quam unam regulam ipſo rationis dictamine notam, & facile ab omnibus animadverſam, omnes tandem Syllogiſmorum regulæ reducuntur. In ea regula duo ſignificantur, connexio, & connexionis modus: primum ad ratiocinationis exactitudinem, præmiſſarum veritate ſuppoſita, ſpectat; ſecundum ad præmiſſarum, & concluſionis veritatem, ratiocinationis exactitudine poſita, pertinet.

332. Rem facile explicabimus. Connexio inter antecedens & conſequens, ſeu inter præmiſſas,

&

& concluſionem intercedens legitimam efficit ratiocinationem, ita ut antecedente, aut præmiſſis conceſſis non amplius negari poſſit conſequens: ad ratiocinationis tamen veritatem prædicta connexio non ſufficit, ſed præmiſſarum veritas ulterius requiritur: alioquin optime multoties ratiocinaberis, falſo tamen principio, atque fundamento rem omnem conſtrues. Sed hæc duo, iterum dico, mens humana ſuomet ingenio animadverteret, niſi illa ſit nimium hebes: uno verbo ratiocinia noſtra fallunt ex recenſitis ſuperius fontibus, ex quibus eſt, ut neque de præmiſſarum veritate, neque de conſequentis connexione recte judicemus: argumentum tamen ſecundum Syllogiſticam formam diſpoſitum non facit, quominus falſas præmiſſas exiſtimem veras, aut quod circa apparentem connexionem non decipiar.

LECTIO TERTIA.

De ratiocinationibus complexis; de iis potiſſimum, quæ in communem hominum conſuetudinem, atque commercium frequentiſſime incidunt.

§. I.

Complexarum ratiocinationum notio, ſpecies, & uſus.

333. Complexarum, & compoſitarum propoſitionum notionem, naturam, & ſpecies ſuperius dedimus; atque ex ibi dictis, quid complexarum ratiocinationum nomine ſignificemus facile intelligetur: hoc tamen eo nomine utrumque comprehendimus: omnes ratiocinationes ſignificamus, quarum aliqua præmiſſa, & aliquando etiam concluſio eſt complexa, v. g. *conditionalis*. Opus tamen non eſt ad ratiocinationem complexam, omnes illius propoſitiones eſſe complexas, immo id in omnibus fere eſſet impoſſibile, ut ex dicendis erit manifeſtum.

334.

334. Hujuſmodi ratiocinationum multiplex diſtinguitur ſpecies, præcipue tamen ſequentes, *conditionales*, *disjunctivæ*, *copulativæ*, *cauſſales*, ut nihil dicam de modalibus, quarum, aut nullus eſt uſus, aut ſi quis aliquando hujuſcemodi ſpecie argumentatur, ea terminorum, ac propoſitionum diſpoſitione utitur adeo manifeſtá, ut res per ſe ipſam pateat, nullaque explicatione, aut regula opus ſit præter naturale ipſum mentis noſtræ ingenium: ut ſi quis diceret:

Impoſſibile eſt, hominem Ethnicum, & ad inferos jam damnatum ſalvari:

Imperator Trajanus fuit homo Ethnicus ad inferos damnatus.

Impoſſibile ergo eſt, Trajanum fuiſſe ſalvatum.

335. Prædictis Syllogiſmorum complexorum ſpeciebus addi poſſunt & aliæ inferius dandæ, quæ vel ad illas facile reducuntur, vel parum ab iis differunt, magnoque inter homines uſui eſſe ſolent.

Syllogiſmi conditionales.

Prima complexarum ratiocinationum ſpecies ſunt Syllogiſmi conditionales, v. g.

Si terra circa ſolem movetur, ſol in centro quieſcit;

Terra circa ſolem movetur:

Ergo ſol in centro quieſcit.

336. *Syllogiſmi conditionales* ii ſunt, in quibus major ſaltem propoſitio eſt conditionalis, ceteræ vero aut abſolutæ eſſe poſſunt, ut in allato exemplo viſitur, aut conditionales. Duplex igitur eſt horum Syllogiſmorum ſpecies: in prima eſt major propoſitio conditionalis, quæ minorem propoſitionem, atque concluſionem in ſe continet, diverſo tamen modo affirmat: in majori nimirum neque conditionatum, neque conditio abſolute ponitur, aut tollitur; ſed ſolum conditionatum ſub conditione affirmatur, aut negatur: minor abſolute ponit conditionem, concluſio abſolute affirmat, aut negat conditionatum. Hujuſce argumentandi modo fundamen-

mentum eſt connexio inter conditionem, atque conditionatum: eaque connexio in majori ponitur, quin aut conditionis, aut conditionati exiſtentia abſolute ponatur: quoniam tamen ea connexione ſemel data, fieri non poteſt, ut exiſtat conditio, quin exiſtat conditionatum; neceſſario inde ſequitur, quod ſi conditio abſolute ponatur in minori, conditionatum etiam abſolute in concluſione poni poſſit: reducitur ſcilicet hæc argumentatio ad conſecutionem, in majori quidem ſub conditione, in minori, & concluſione abſolute prolatam.

337. Quoniam duplex eſt conſequentiarum lex, ipſimet idearum, ſeu terminorum connexioni infixa, prima, *ut ab antecedente poſito inferatur etiam conſequens*: ſecunda, *ut ſublato conſequente, tollatur etiam antecedens*, ut ſuperius demonſtravimus; inde etiam eſt, quod duplici etiam modo ex propoſitione conditionali argumentari poſſimus, 1°. ponendo conditionem, ſeu antecedens in minori, ut ponamus etiam in concluſione conditionatum, ſeu conſequens. 2°. Conſequens in minori tollendo, ut inde conditionem in concluſione negemus: utriuſque exemplum ſit.

1°. *Si rex virtute, & ſcientia militari clariſſimus inſtructiſſimum exercitum ducit, feliciter fere ſemper omnia illi vertunt:*
Rex Boruſſiæ virtute & ſcientia militari clariſſimus inſtructiſſimum exercitum ipſe ducit;
Ergo feliciter fere ſemper omnia illi vertunt.

2°. *Si Pergama dextra defendi poſſent, etiam hac defenſa fuiſſent;*
Sed hac dextra non fuerunt defenſa:
Ergo Pergama non poſſunt defendi hominum dextra, hoc eſt hominum virtute.

338. Hiſce in exemplis indicata modo illa obſervamus; 1°. in majoribus conditionalibus ob ſuppoſitam connexionem inter conditionem, & conditionatum adſtruitur, quod ſemel ac exiſtat, aut affirmetur conditio, v. g. præſentia regis in Caſtris, conditionatum ſemper conſequatur, inſimulque exiſtat. 2°. data igitur veritate majoris conditionalis, ne-

neceſſe eſt, ut quandoquidem in minori ponitur, ſeu affirmatur, *Regis Boruſſiæ virtute, & ſcientia militari clariſſimi præſentia in caſtris*, conditionatum etiam conſequatur, *omniaque fere ſemper illi bene vertere*. 3°. Quod ſi majoris iterum propoſitionis veritate ſuppoſita, *Trojam nimirum Hectoris virtute defendendam fuiſſe, ſi humana vi poſſet defendi*, fatearis in minori, Trojam Hectoris virtute non fuiſſe defenſam; conſequens inde eſt, ut neceſſario fateamur, nulla hominum vi defendi poſſe Trojam. Paucis dicam: in majori conditionali ponimus conſecutionem a conditione ad conditionatum: in minori abſolute ponimus conditionem, ut abſolute etiam in concluſione inferamus conditionatum: vel tollimus abſolute in minori conſequens, ut tollamus etiam in abſoluta concluſione antecedens, ſeu conditionem.

339. Duplici huic ratiocinationi conditionali legitimæ duplex etiam vitioſus Syllogiſmus conditionalis reſpondet: quorum primus eſt, ſi ex negatione antecedentis, ſeu conditionis in minore negemus etiam conditionatum: ſecundus vero ſi a poſitione conditionati, ſeu conſequentis, poſitionem conditionis, ſeu antecedentis deduceremus: neutrum enim eorum in conſecutionibus valet, ut in exemplis ſequentibus videre eſt.

Si Carthaginenſes Americam noverunt, navigatum eſt in Americam;
Carthaginenſes Americam non agnoverunt;
Ergo navigatum non eſt in Americam:

340. Unum enim, idemque conſequens *navigatio in Americam* a pluribus antecedentibus deduci poteſt; licet igitur unum antecedens tollatur, dummodo aliud maneat, tolli non poteſt conſequens.

Si America ab Aſia non dividitur, ab Europa per polum
Arcticum ad Japoniam pervenire non poſſumus:
Sed ita eſt, quod per polum Arcticum ab Europa ad Japoniam pervenire non poſſumus:
Ergo America ab Aſiæ continenti non dividitur.

Poteſt ſcilicet utraque præmiſſa eſſe vera, & tamen

men conſequentia fallere: cum navigatio illa multiplici alio de capite reddi poſſit impoſſibilis, quin America, & Aſia ſint medio mari ſeparatæ.

341. Parum intereſt, ſint nec ne conditio, aut conditionatum propoſitiones negativæ, aut affirmativæ; cum ex alio capite conditionales propoſitiones dicantur affirmativæ, ut in loco tradidimus: ſatis igitur eſt, quod in majori conditionali affirmetur conditio, ſeu ſub aliqua conditione dicatur conditionatum.

342. Ratiocinationes conditionales alterius ſpeciei ſunt, quæ omnes propoſitiones habent conditionales, v. g.

Si aurum, & argentum in dies ſemper multiplicantur, viliſſima tandem evadent;
Si Americanæ eorum metallorum fodinæ non exhauriuntur, ea in dies ſemper multiplicantur;
Ergo ſi Americanæ fodinæ non exhauriuntur, ea metalla evadent viliſſima.

343. Quod ad ſecundam hanc ratiocinationum ſpeciem attinet, duo facile conſtant: 1°. Nihil iis abſolute concludi, affirmari, aut negari: ſeriem tantummodo conſequentiarum inſtituimus, quam non modo per duos gradus, ſed per plures etiam proſequi poſſumus, v. g. *Si eſt motus, ſunt corpora: ſi ſunt corpora, ſunt cauſſæ; ſi ſunt cauſſæ, eſt mundus: ſi eſt mundus, eſt etiam Deus: Ergo ſi eſt motus, eſt etiam Deus*. Facile a primo ad ultimum abſolute concludes, ſi primam conditionem abſolute ſtatuas; aut ſi ultimum conſequens tolleres (ut fit ab Atheo,) facile inde omnes præmiſſas conditiones tolleres. 2°. Raro tamen evenit, quod hujuſmodi ratiocinandi modo homines utantur: Contra vero Syllogiſmi conditionales primæ ſpeciei in civilem etiam, atque familiarem hominum converſationem ſæpiſſime incidunt, præcipue ſi arida ſcholarum forma, & ſpecie prætermiſſis, amæniori ſe ſe cultu induant, quo nihil de concludendi energia amittunt, multumque oblectamenti alia ex parte acquirunt, ut paucis modo indicabimus.

§. II.

Ratiocinationes conditionales in civilem hominum converſationem, & conſuetudinem paſſim incidentes.

344. Quoniam Logicam non iis tantum, qui ſcholas frequentarunt, aut etiamnum frequentant, ſed aliis pariter hominum ordinibus, qui ſtudia colunt, aut errores ſaltem vitare ſtudent, ſcribere decrevimus; quis etiam conditionalium ratiocinationum uſus ſit in civili humanæ ſocietatis commercio potiſſimum exponemus. Rem vero perpendenti ſequentia facile animadvertuntur. 1°. Frequentiſſimus inter homines eſt conditionalium Syllogiſmorum uſus, quocumque tandem modo mentem ſuam aliis aperiant, ſcribendo, orando, familiariter inter ſe ſe loquendo, ut adducenda exempla demonſtrabunt, & facile quiſque obſervando Tullium, Poetas, alioſque ſcriptores legendo comperiet: Cum vero quidquid ſcholarum morem, ſtylumque ſapit, in civili commercio moleſte feramus; conditionales etiam Syllogiſmi, cum in civilem hominum ſocietatem producuntur, elegantiori ſemper cultu ab ſcholaſtica ſimplicitate alieno, ſe ſe produnt, & ſequentibus fere formis producuntur.

345. 2°. Prima conditionalis ratiocinationis forma, atque modus eſt, cum integrum Syllogiſmum unica propoſitione conditionali comprehendimus: in hunc modum in ipſis etiam converſationibus, quibus hac noſtra ætate Anima noſtra, Religio, Deus ipſe in dubium a tot libertinis vertuntur, familiariter dicimus.

Si id quod cogitat atque ratiocinatur, non eſt pura materia, & machina; ipſique libertini, & Atheiſtæ citra dubium cogitant, atque ratiocinantur, ut ipſamet eos conſcientia convincit: dici ab iis non poterit, ſe ſe eſſe puram materiam, & machinas, poſt quarum diſſolutionem nihil niſi materiale remaneat.

346. Quis noſtrum eſt, qui hanc dicendi rationem paſſim non audiat, & ipſe etiam non adhi-

hibeat? Nihil autem facilius eſſet, quam unicam hanc propoſitionem ad abſolutum, aut conditionalem Syllogiſmum, quos in ſe continet, reducere:

Nullum cogitans & ratiocinans eſt pura materia, & machina;

Omnes libertini, & Atheiſtæ cogitant, & ratiocinantur:

Ergo omnes libertini, & Atheiſtæ non ſunt pura materia, & machina.

347. 3°. Sæpe etiam ſolam propoſitionem conditionalem, ſeu majorem elicimus, cetera vero omnia in auditorum gratiam reticemus, quibus moleſtum fere ſemper eſt, ſi res facile per ſe expoſito principio deducendas iis obtrudamus, quaſi de eorum ingenio diffideremus: hujuſmodi eſt illud Virgilii,

Si Pergama dextra
Defendi poſſent, etiam hac defenſa fuiſſent.
Si tellus relate ad ſolem fere nihil eſt,
Quis ſolem circa illam gyrare credet?

348. Quin etiam multoties ſolam conditio nem enunciamus, conditionato, reliquiſque omnibus prætermiſſis, quod quidem, præcipue ſi per optativum exprimatur, maximam habet energiam, longam idearum quaſi ſeriem poſt illam conditionem oſtendit: ita ſi Gallus poſt tot acceptas clades inſultanti Anglo, aut Germano reponeret, *in vivis ageret Turena!* Quid etiam non diceret Italo homini Rex Boruſſiæ hac unica conditione pronuntiata, *ſi non eſſet comes Daun . . . . . .*, atque hiſce quidem non ſolum integra ratiocinatio, verum etiam animæ paſſiones vivide exprimuntur.

349. 4°. A propoſitione conditionali ad abſolutam concluſionem, prætermiſſa min ri, immediate tranſimus; cui ſæpe totius argumenti ſeu ratiocinationis rationem ſubjungimus.

Si abſque Syllogiſmis exacte ratiocinari, niſi difficulter, nequeunt homines; ante Ariſtotelem inſipide ratiocinabantur: citra omnem igitur Syllogiſmum optime diſcurrimus; quis enim ignorat, perinde humanum genus antea, atque poſt Ariſtotelis tempora rebus ſuis providiſſe?

Non infrequens etiam eſt, & ingenti habetur nota, cum a conditione aliqua conditionatum remotiſſimum, & non niſi multiplici graduum ſerie cum conditione connexum infertur.

350. 5°. Nonnunquam etiam ſola conditionali elicita ejus rationem ſubjungimus, ceteriſque auditorum perſpicaciæ relictis, ratiocinationem abſolvimus.

Si Turcæ modo Auſtriacam ditionem invaderent, nil inde niſi clades reciperent; quid enim gens tot ab annis armorum inexperta contra veteranas Germanorum copias, & ſtrenuos duces poſſet?

Ita etiam fit, ut vel uno verbo concepta interrogatio non modo quæ in Syllogiſmo deſunt, ſed totius rei aſſertæ rationem afferat.

351. 6°. Ex majori denique propoſitione abſoluta affirmativa, aut negativa, conditionalem elicimus concluſionem, quæ cujuſcumque figuræ, aut modi regulas ſervare poteſt, licet nullus ſit, qui ad ejuſmodi animadvertat in civili hominum ſocietate, quantumvis illas regulas aliunde non ignoret.

Argumentum igitur *in barbara* inſtituemus:

Omnes homines ſunt natura ſua liberi:
Si igitur omnes Africani ſunt homines, omnes Africani ſunt natura ſua liberi.

Similiter *in Celarent*:

Nullum mendacium eſt licitum;
Si igitur omnis reſtrictio mentalis eſt mendacium, qui illam licitam eſſe dicemus?

352. Hiſce, & pluribus aliis modis conditionales Syllogiſmos, civitate tamen donatos, (ſi ita fas eſt loqui) in familiaribus civilibus converſationibus adhibemus, recteque ſecundum Syllogiſticas regulas ſola natura duce loquimur, quin ad ejuſmodi regulas animadvertamus: quin immo ut in eloquentia, ſic etiam in logica, qui ad artem animum advertat, præceptorumque ductu argumentum tractet; vix unquam fiet, ut & nitide, & nervoſe ratiocinetur, adeo verum eſt, nihil tandem ab humana mente numeris omnibus abſolutum fieri, niſi naturæ genio ducatur.

§. III.

§. III.

De Syllogiſmis disjunctivis, copulativis, & cauſſalibus.

353. *Syllogiſmi disjunctivi* ſunt, in quorum majori propoſitione disjunctiva duæ, aut plures partes ſub disjunctione affirmantur, ut, altera disjunctionis parte in minori abſolute negata, pars reliqua in concluſione abſoluta inferatur, v. g.

Aut terra movetur circa ſolem, aut ſtellæ fixæ, innumeri ſcilicet in firmamento ſoles tellure ipſa millionefies, & amplius majores; incredibili velocitate moventur: ſed innumeros illos, vaſtiſſimoſque ſoles ea celeritate moveri, vix poteſt concipi: Ergo tellus circa ſolem movetur.

354. Horum Syllogiſmorum fundamentum, & principium eſt ipſamet propoſitionum disjunctivarum indoles, quæ in eo ſtat, ut ad earum veritatem opus ſit, unum disjunctionis membrum eſſe verum, ut in loco expoſuimus. Quandoquidem igitur disjunctiva majori admiſſa, alteram ejus partem in minori abſolute tollimus, & negamus; id inde neceſſario conſequitur, ut partem reliquam in concluſione deducamus. Quod ſi disjunctiva, ut multoties fit, non modo duas, ſed tres, aut quatuor habuerint partes; opus eſt omnia illa membra in minori negari, ut reliqua pars in concluſione inferatur: hujus generis eſt Sophiſma illud ad mundi æternitatem probandum.

Aut ab æterno Deus voluit, & non potuit; aut potuit, & non voluit; aut non voluit, neque potuit; aut tandem & voluit, & potuit creare mundum:

Sed priora tria ſunt falſa: ſupereſt igitur quartum, voluiſſe nimirum, & potuiſſe Deum creare mundum ab æterno.

355. Cui reſpondetur Deum ab æterno voluiſſe creare mundum in tempore.

Alius eſt etiam disjunctivo Syllogiſmo colligendi modus, ab ipſamet disjunctiva propoſitionis in-

dole, & ſtrictiori ſenſu deſcendens; cum ſcilicet is propoſitionis ſenſus eſt, ut ad ejus veritatem requiratur unius partis veritas cum excluſione alterius: qui quidem ſtrictior eſſe videtur disjunctionum ſenſus, licet aliud in ſpeciem referant, ut ſuperius expoſuimus: aliqua enim requiritur oppoſitio inter disjunctionis partes, vel ex ipſius rei natura, vel ex voluntate, vel ex aliis circumſtantiis orta. Cum eo igitur ſenſu disjunctivam propoſitionem elicimus, alterumque ejus membrum in minori deinceps abſolute affirmamus, conſequens eſt, ut pars reliqua negari in concluſione poſſit, v. gr.

Aut Pompejus, aut Cæſar rerum ſummæ potiri debebat;

Id vero Cæſari virtus, & fortuna vindicavit:
Unde opus fuit Pompejum æmulo ceſſiſſe.

356. Si tamen disjunctiva ſtrictiorem illum, atque excluſivum ſenſum non efficiat; vitioſus procul dubio erit poſtremus hic ratiocinandi modus. Jam vero disjunctivorum Syllogiſmorum uſus in civili, & communi hominum commercio frequentiſſimus eſt, ut facile animadvertet quiſque vel libros devolvat, vel homines audiat loquentes, vel ſuaſmet cogitationes, & ſenſa perpendat. Hic etiam recolenda eſſent, quæ de Syllogiſmorum conditionalium uſu diximus: par enim fere eſt utriuſque ratiocinationis uſus, atque modus. Disjunctivam propoſitionem proponere, integræ ſæpe ratiocinationis loco eſt. Disjunctivorum Syllogiſmorum vitium, quod veritatem, & falſitatem attinet, a majori propoſitione fere dependet: illius enim veritate poſita, plana ſunt reliqua omnia. Quoniam autem in quotidianis etiam converſationibus principii loco aſſumimus disjunctivas, quarum partes, vel non ſunt ulla ratione oppoſitæ, vel non omnes a nobis recenſentur, interimque hujuſmodi disjunctivas exiſtimamus rectas; multos illinc deducimus errores: Exemplum ſit.

Aut regibus iniqua jubentibus, puta fidem Chriſti abnegare, obſequendum eſt, aut arma adverſus illos aſſu-

aſſumere oportet : porro iniqua jubenti morem gerere numquam licet : ad arma igitur contra eos principes confugiendum eſt.

Falſiſſima enim vero eſt major ob exactæ partium recenſionis defectum, hoc ſcilicet inter illas medium ſupereſt, *mortem Chriſtiane ſubire*; quæ unica via eſt homini recte agenti ſemper eligenda : illam tamen disjunctivam ſi concedas, ceteræ ratiocinationis partes rectæ procedunt, quantaque inde erit ſcelerum, atque malorum ſcaturigo?

Syllogiſmi copulativi.

357. *Syllogiſmus copulativus* dicitur, qui majorem habet copulativam, ex qua, & minori abſoluta concluſionem infert abſolutam : una tantum eſt hujuſmodi ratiocinationum ſpecies ad ratiocinandum utilis, & in hominum etiam commercio admiſſa, in qua nimirum major eſt propoſitio copulativa negans, minor autem eſt abſoluta, quæ alteram majoris partem affirmet, ut in concluſione etiam abſoluta alia ejuſdem majoris pars negetur : rem in exemplo videas.

Non poteſtis Deo ſervire, & mamonæ:
Porro vos mamonæ ſervitis:
Deo igitur ſervire non poteſtis.

358. Hujus enim Syllogiſmi hic facile ſenſus eſt, ſi mamonæ ſervitis, una ſimul Deo ſervire non poteſtis : Mamonæ vero ſervitis : Deo igitur non poteſtis ſervire. Vitioſa tamen eſſet argumentatio, ſi minor eſſet negativa, unaque majoris pars tolleretur, ut alia in concluſione affirmaretur, v. g.

Non poteſtis Deo ſervire, & mamonæ:
At mamonæ non ſervitis:
Ergo Deo ſervitis.

Fieri enim poteſt, ut neque Deum, neque mamonam aliquis curet, quales plurimi ſunt ex omnibus gentibus homines, immo & integræ reperiuntur ejus indolis nationes in America, in quibus neque ullum divitiarum amorem, neque religionis ſtudium reperias, vixque obſcuram divinitatis ideam habent.

Syllogiſmi Cauſſales.

359. Hoc nomine eos Syllogiſmos appellamus, quorum major eſt propoſitio cauſſalis, minor, & concluſio abſolutæ, v. g.

Quia ſol magis perpendiculariter Horizontem illuminat,
Quantumvis ſit a nobis remotior, magis nos calefacit:
Æſtate autem licet magis a nobis remotus, magis perpendiculariter illuminat:
Ergo æſtate vividius nos calefacit.

Harum ratiocinationum, quarum uſus in tota vita, & omni cum dicendi tum ſcribendi genere eſt frequentiſſimus, eædem omnino leges ſunt, atque conditionalium: unum enim hoc inter utraſque diſcrimen eſt, quod major ut plurimum ſit inter cauſſam & effectum, quam inter conditionem, & conditionatum connexio, ceteris tamen paribus: inter priores enim influxus, inter poſteriores ſola connexio intervenit. Quæ igitur de conditionalibus ſupra expoſuimus, de cauſſalibus dicta habeto.

§. IV.

Aliæ ratiocinationes complexæ in humanum commercium incidentes, & animadverſiones aliquot circa ipſarum uſum.

360. Quas hactenus proſecuti ſumus, fere omnes ſunt complexæ ratiocinationes communi hominum uſu probatæ: præter illas tamen ſunt & aliæ, nimirum *Conſequentia*, *Enthymema*, *Dilemma*, *Proſyllogiſmus*; priores duas ſuperius dedimus, poſteriores hoc tandem loco daturi; ut a ſimplicioribus ſemper ad magis compoſita gradatim procederemus. Sic ideam ſequitur judicium, ſeu propoſitio; a judicio immediate ad conſequentiam, ſeu Enthymema, omnium ratiocinationum ſimpliciſſimam, ceterarumque omnium fundamentum tranſitur: inde ad Syllo-

logiſmum, (ſi quis eſt hujuſce ratiocinationis uſus) a quo deinde ad compoſita magis, magiſque nota, & ampliſſimi uſus ratiocinia pervenimus, quibus omnis pene humana oratio comprehenditur, inter quæ poſtremum tenent locum, quæ modo proponimus, magis a ſimplicitate remota.

361. *Dilemma*, quod & *argumentum cornutum* nuncupatur, eſt argumentum ſeu propoſitio, quæ, ut probetur, in duas ut plurimum, aut tres partes dividitur, ut ex utriuſque partis probatione integre propoſitionis probatio concludatur: quale eſt illud, quo Sinenſes Europeos ad illos quotannis per immenſa maria, atque pericula appellentes, inconſultos, & infelices eſſe probarent:

Aut ab Europa ad Sinam quotannis ſolvitis viſendi tantum ſtudio, aut diteſcendi deſiderio: Si primum, eſtis ſtulti: ſi ſecundum, miſeri: quæ enim aut miſeria, aut ſtultitia eſſe poterit major, quam a remotiſſimis regionibus per infinita pericula, & labores, aut opes quærere, aut novam gentem inviſere: utrumque autem eſt infelicitatis argumentum.

Atque in hoc Dilemmatis exemplo notanda ſunt ſequentia: 1°. Ex annua Europeorum navigatione ad Sinas probandum aſſumunt Synæ illos eſſe infelices: hoc ergo eſt integra propoſitio probanda: 2°. Ut id efficiatur, argumentum petimus ex duplici tot navigationum fine, ex quibus dumtaxat Europeos agi exiſtimant Sinenſes: in duas proinde partes integram propoſitionem dividimus: 3°. Tum vero ſingulos hujuſmodi fines ſeorſim infelicitatis argumentum eſſe dicimus, & probamus. 4°. Singulis deinde argumenti partibus ſeorſim probatis, integram etiam propoſitionem demonſtratam eſſe apparet.

362. Ut tamen argumentum recte procedere, atque demonſtratum eſſe cenſeatur, duo in primis ſunt ſervanda: exactam ſcilicet diviſionem fieri, & ſingulas diviſionis partes, non modo dici, ſed probari: ſi enim aliquod diviſionis membrum non probetur, puta in Sinas ab Europa commercii cauſſa ſolvere eſſe miſeriæ argumentum; male ab hujuſmodi navigationibus Europeos infelices eſſe conficies.

cies. Ex ſecundo capite fallit etiam argumentum, ſi non omnes argumenti ipſius partes recenſeantur; ſed aliqua ſuperſit, cujus ratione integra propoſitio evadat falſa, ut ſi in noſtro caſu diceremus, Europeos ſaltem plurimos ad Sinas ex nulla adductarum cauſſarum appellere, ſed eo potiſſimum, ut chriſtianam religionem prædicarent, aut amplius, quam ceteræ nationes diteſcerent. Atque ex duplici hoc capite plurima apud ſcriptores dilemmata paſſim fallunt, & ſunt pura puta ſophiſmata: cum facile ſit, aut eam diviſionem producere, inter cujus membra medium aliquid ſit, quod tandem non recenſeatur, neque animadvertatur; aut aliquam diviſionis partem non probare. Ex utroque capite vitioſa erat iſta veterum philoſophorum argumentatio, qua mortem timendam non eſſe probabant: *Vel anima una cum corpore perit, nulloque proinde poſt mortem remanente ſenſu, nihil mali ſentiemus: vel a corpore ſeparata ſervabitur, tum vero felicius, quam in corpore ipſo vivet: mors igitur timeri non debet.*

363. Non exacta eſt diviſio, cum tertius non recenſeatur animæ ſtatus poſt mortem, animi unionis ſcilicet cum corpore: non probatur etiam ſecundum diviſionis membrum: unde enim habemus, aut probari poſſet, in ſtatu ſeparationis melius ſemper animæ eſſe, quam dum erat cum corpore unita?

Dilemmatum uſus non jam in ſcholaſticis diſputationibus, aut Syllogiſtica forma locum habet, ſed in quacunque alia humanæ mentis ratiocinatione non infrequenter adhibetur, ut quotidiano loquendi legendique uſu ediſcere poſſumus. Interim vero obſervabimus quantum in ipſamet propoſitione diſcrimen ſit: nonnunquam argumentum ipſum, & utramque dilemmatis partem pauciſſimis verbis citra ullam etiam probationem pronunciamus, ut profundius auditoris mens, animuſque percellatur, argumentumque ipſum verboſitate, & rationum explicatione non langueſcat.

Quod ſi ſingularum argumenti partium rationes claræ non ſint, & audientibus facile obviæ; tum vero

vero ut rem probemus, & auditorum aſſenſum extrorqueamus, ſingula dilemmatis membra fuſius, aut concinnius pro rei ipſius, & ſtili dignitate probare opus eſſe librorum lectione edocemur.

364. Ultima tandem complexarum ratiocinationum ſpecies, quotidiano & ipſa uſu probata, eſt Proſyllogiſmus, qui eſt ratiocinatio pluſquam tribus propoſitionibus compoſita. Fit enim ſæpiſſime, ut duæ præmiſſæ, quibus concluſionem probamus, ſint & ipſæ in ſeſe incertæ, & probatione indigeant: quo in caſu ſatis non eſt, ſimplicem, aut complexum Syllogiſmum formare, ut illius concluſio ſufficienter demonſtrata eſſe exiſtimetur: opus præterea eſt, utramque præmiſſam adjuncta ratione confirmare. Proſyllogiſmus itaque erit ſequens ratiocinatio, qua Africanos populos infelices eſſe demonſtratur;

Ii ſane homines, quibus, vel in patria vivant, vel foras educantur, male ſemper erit, ſunt prorſus infelices: quæ enim miſera magis excogitari poteſt conditio, quam ſi undequaque miſeriis premaris? ea autem eſt Africanorum conditio: ſi enim in patria vivunt, miſeri, nudi, inculti, ſylveſtres, ſi foras educuntur, ſervi fiunt, laboribuſque in America premuntur: ſunt igitur Africani populi prorſus infelices.

365. Quo in exemplo ſequentia animadvertenda ſunt: 1°. quinque omnino propoſitionibus integra ratiocinatio comprehenditur, duabus nimirum præmiſſis, majoris, minoriſque ratione iis præmiſſis ſeorſim adjuncta, & concluſione tandem inde deducta. 2°. Quod ſi præmiſſarum aliqua fuerit per ſe ipſam certa, aut auditori aliunde nota; nullam illi rationem ſubjungere opus eſt; cum nihil moleſtius feramus, quam cum in nota nobis re probanda tempus inſumitur, & quaſi ab ratiocinationis meta detinemur: quatuor igitur aliquando propoſitionibus tota ratiocinatio abſolvitur. 3°. Diſpar tamen longe hujuſce agumentationis ratio, & modus, cum Syllogiſtico, atque cum familiari, aut alio ſtilo adhibetur. In illo quidem totus ſimul Syllogiſmus nota Scholarum præciſione, atque ari-

ariditate proponi primum ſolet: tum vero utramque iterum præmiſſam aſſumere, & ſeorſim novis Syllogiſmis probare: quod & faſtidioſas propoſitionum repetitiones, & mentis ſuſpenſiones involvit: tamdiu enim circa præmiſſas ſupenſi hæremus, quamdiu earum ratio in medium non afferatur: atque hinc eſt, quod proſyllogiſmis ſcholaſtica illa methodo diſpoſitis in reliquis omnibus mentis operibus nunquam utamur.

366. Contra vero, cum argumentum aliquod proſyllogiſmis demonſtramus, vel id ſcribendo, orando, aut familiariter loquendo fiat, quod quidem ſæpiſſime evenit, rem fere omnem invertimus, diverſo modo diſponimus, multiplicique ratione tractamus. 1°. Arida illa, atque methodica argumenti diſpoſitio ſcholarum propria, fere ſemper in civili rerum uſu diſplicet; alio igitur modo, qui ſcholam minime ſapiat, ratiocinationem inſtituimus, quo res ipſa amœnius propoſita nihil de rationis pondere amittat. 2°. Cum moleſte etiam feramus, dubium nobis principium ad rem aliquam probandam afferri, eoque non probato ulterius ad concluſionem pergi; quaſi nos urbanitatis tantum gratia in re ſeria precario aſſentiri deberemus; hinc fere eſt, quod cum præmiſſam aliquam dubiam rei concluſioni præmittimus, rationem illico tollendæ dubitationis gratia ſubjungamus. 3°. Quin etiam præmiſſarum rationem iiſdem nonnunquam præmittimus; a concluſione etiam non raro incipimus, id quod in familiaribus confabulationibus paſſim accidit; eſtque naturæ ipſius dictamini apprime conforme; quantumvis alias ſecundum ſcholaſticam methodum videretur præpoſterum. Quid enim non concinnum committas, ſi familiariter cum aliis agens, adductum ratiocinium ita diſponas;

Mihi ſane Africani populi infelices prorſus eſſe videntur: quæ enim eorum hominum conditio? ſi in patria vivunt, eos videas nudos, incultos, ſylveſtres, ferarum more vitam agentes; ſi e patria educantur, libertate amiſſa, tyrannide, miſeria, laboribus in America obruuntur: quæ

vero

vero miſera magis ne excogitari quidem poteſt hominum conditio, quam ſi undequaque miſeriis premantur, eo quod vel in patria vivant, vel foras educantur, male ſemper iis ſit, omnique infelicitate ubicumque premantur?

Porro in hujuſmodi argumentorum diſpoſitione plurimum elucet propria cujuſque ingenii indoles, perſpicacia, & claritas; unumque mentis lumen, atque natura ipſa citra ullas artis regulas ſeipſam ducit, rerum, idearumque connexione perſpecta, eas omnes nitido ordine proponit, ut & mentem ſuadere, & auditoris animum allicere poſſint.

§. V.

367. *De ſophiſmatibus, ſeu falſis ratiocinationibus.*

Regulas hactenus tradidimus, quibus omnes bonarum ratiocinationum ſpecies tum intra ſcholas, atque ſcholaſtica dicendi dialecto, tum in quocumque alio dicendi, ſcribendique genere humanæ mentis indoli, atque naturæ magis conformi uſitatæ diriguntur: ſunt illæ ſcilicet ipſius naturæ, atque mentis noſtræ ſupra ſuamet ratiocinia reflectentis opus, nec niſi naturali rerum, idearumque connexioni, ingenii lumine & perſpicacia detectæ innituntur; a qua una connexione ſi parumper deflectamus, in errores incidimus, & vitioſas ratiocinationes conficimus, quæ communiter dicuntur *ſoſphimata*, aut raciocinationum fallaciæ. Quoniam vero in hujuſmodi fallacias ſæpiſſime incidunt homines, non modo dum ſcientificis de rebus ſcholaſtica methodo agunt, ſed dum familiari etiam, aut quocumque alio ratiocinandi modo res tractant; aliaque ex parte hæc etiam non omittunt Logici; præcipua ſaltem ſophiſmatum capita in medium afferamus, ut non modo quæ tenenda, ſed etiam quæ vitanda ſunt, omnibus innoteſcat. Sophiſmata ad novem, aut decem capita reducuntur; atque alia, quæ re, & numero potiſſima ſunt, in re conſiſtunt; alia, & quidem puerilia ad voca-

bu-

bulum ſpectant. Sophiſmata in rebus conſtituta vocantur. 1: *Petitio principii*. 2: *Ignorantia elenchi*. 3: *fallacia plurium interrogationum*. 4: *non cauſſæ pro cauſſa*. 5: *Accidentis*. 6: *Conſequentis*. 7: *a dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter*. 8: *inductio, aut enumeratio imperfecta*. 9: *Sophiſma tandem vocabuli*: quæ quidem omnia breviter perſtringemus.

368. 1. *Petitio principii* eſt, cum ad quæſtionem probandam ipſamet quæſtio aſſumitur, aut probata ſupponitur, ut ſi asbeſtum in igne ſolvi, & conſumi poſſe hoc modo probare contenderem: *Omnia corpora ſolida ab igne ſolvuntur, & conſumuntur; quoniam igitur asbeſtus eſt corpus ſolidum, ab igne ſolvi, atque conſumi opus eſt*. De asbeſti enim combuſtione dubitare, eſt univerſalem illam propoſitionem in dubium vocare; neque univerſalis adducta propoſitio affirmari poteſt, quin illud, quod probandum erat, verum jam eſſe ſupponatur. Plurima hujuſce ſpeciei ſophiſmata in *Ariſtotele*, & innumeris aliis auctoribus notantur. *Ariſtoteles* v. g. ut tellurem in univerſi centro ſitam eſſe conficiat, ita ratiocinatur: *Omnia corpora gravia indole ſua tendunt ad centrum univerſi; ab experientia autem habemus ipſamet gravia ad terræ centrum dirigi: telluris igitur centrum cum univerſi centro congruit*: propoſitio enim major poni, atque affirmari non poteſt, quin ſupponatur jam concluſio; ad rem igitur probandam res jam probata ſupponitur, ac proinde petitur principium.

In hanc etiam fallaciam recidunt, aut maximam cum illa affinitatem habent *Circulus vitioſus*, atque *ignoti per ignotius probatio*. Circulus vitioſus committitur, cum duas aliquas propoſitiones, unam per aliam viciſſim probamus; ut ſi quis diceret, *Religionem Chriſtianam eſſe veram, quia id ex Scriptura Sacra conſtat: id vero ex Scriptura Sacra conſtare, quia id Religio Chriſtiana docet*. Qui hac ratione dogma probaret, operam perderet, niſi rem tandem deducat ad argumenta credibilitatis, ſeu loca theologica, a quibus Chriſtianæ Religionis veritas demon-

monſtretur: ab eo igitur ſcopulo caveant qui aut orthodoxam fidem, aut proteſtantium dogmata evincere adnituntur.

Quid ſit *ignotum per ignotius*, ſeu obſcurum, atque incertum per obſcurius adhuc, incertiuſque principium tradere, nemo non intelligit, neque raro in vitioſum hoc ratiocinium homines incidunt, præcipue in definitionibus, deſcriptionibus, & aliis quamplurimis: hoc vitio laborant bene multæ definitiones ab Ariſtotele traditæ, ut illa temporis, *numerus numeratus motus ſecundum prius, & poſterius*, quam a nemine, ne ab ipſo quidem illius auctore fuiſſe hactenus intellectam dicere non reformidem.

Ignoratio Elenchi.

369. Vix aliud eſt vitium, quod in quotidianas hominum quæſtiones, atque contentiones, in illas potiſſimum, quæ animorum calore agitantur, frequentius incidat, quam *Ignoratio Elenchi*, quæ aliud non eſt, quam a quæſtionis Scopo aberrare, & aliud probare, aut impugnare, quam ſit in quæſtione poſitum, & ab illo, quocum diſputamus, aperte ſtatuatur, aut inficietur. Aurum ab ulla hominum induſtria faciendum aliquando eſſe, prudenter negant omnes phyſici prudentiores: contra quos ſi ita argumenteris, ut rem *poſſibilem* eſſe contendas; in *ignorationem Elenchi* incidiſti, & a Scopo, qui in quæſtione erat, penitus aberras. Demus enim, factitii auri poſſibilitatem a te fuiſſe confectam: id a me negatum unquam fuerat; quotque ſunt poſſibilia, quæ nulla hominum induſtria extrahet?

Frequentiſſime in quotidianis hominum converſationibus hoc vitio peccatur, tum vero potiſſimum, cum incaleſcentibus utrinque animis quæſtio aliqua in contentione ponitur: ab excandeſcente enim animo fumoſa Caligine mentem ita obtenebrari, ut & res, de qua agitur, & ſemita, quæ ad rem ipſam ducit, e conſpectu abeant, unuſquiſque noſtrum in ſemetipſo triſti experimento ediſcit. Cuicumque hominum, atque genti optabilis eſſet ſedatus ille Sinarum animus, & pacatiſſima indoles ar-

ctivum frigus redolens, quo de rebus quibuſcumque agunt, cum longe difficilius, atque rarius in ratiocinationes nulla animorum commotione factas prædicta incidat fallacia. Cavendum etiam ne auctoribus tribuantur, quæ a principio ab iis poſito conſequi nobis videntur, quantumvis ea ab ipſiſmet auctoribus non admittantur. Quæ enim vero & quanta non præciderentur diſſidia, animoſæ contentiones, convicia, odia, ſi principia tantum ab homine admiſſa, & aperte poſita auctori tribueremus, atque impugnaremus.

Plurium Interrogationum.

370. Sophiſma plurium interrogationum, quod quidem neque admodum eſt frequens, neque hominem non penitus rudem illaqueat, aliud non eſt, quam complexa aliqua interrogatio, qua plura ſimul interrogantur, cui unica reſponſione ſatisfieri non poteſt, niſi falſum dicere, & ſophiſmate implicari velimus. Hujuſmodi igitur ſophiſma committeret, qui, *ſint, nec ne Americani Angli divites, Anglicanæ confeſſionis, legibus Angliæ ſubditi?* interrogaret, in quod turpiter incideret quicumque unicam reſponſionem adhiberet; cum inter diverſas ejus gentis colonias Americanas maxima, quod illa omnia ſpectat, diſcrimina ſint, aliæque ſint commercio, & opibus affluentes ut nova Anglia; inopia, & incommodis alibi premantur, ut in nova Scotia, Labrador, Bremudes; hac in parte libere omnino, illac ſecundum leges Angliæ, Regis, & ſupremæ Curiæ nutum vivant: pleniſſima hic ſit Religionum libertas, illic vero Puritani, Anglicani, Quaqueri potiſſimum dominentur. Earum igitur interrogationum diſtinguendæ ſunt partes, ſuæque ſingulis adhibendæ reſponſiones.

Non Cauſſæ pro Cauſſa.

371. Fallacia ratiocinationis hoc nomine dicta, in eo conſiſtit, quod pro effectus cauſſa aſſignetur, quod reapſe ipſius cauſſa non eſt, ſed pura tantum circum-

cumſtantia ad rem non ſpectans, aut nullo forſan modo exiſtens, quod in id tandem devenit, quod falſam cauſſam pro vera aſſignemus. Nihil eſt, quo omnium hominum ratiocinationes, de quibuſcumque tandem rebus agant, magis vitientur, quam dictum modo ſophiſma. Id autem & pluribus modis accidit, & ex multiplici fonte derivatur. 1. Cum circumſtantia aliqua, rem ſemper comitans, pro rei cauſſa ſtatuitur. Male ex hoc capite ratiocinaretur, qui animadverſa Anglorum fortuna, maritimo imperio, commercio, opibus ex quo Fidem Romanam deſeruere, magnamque Religionum, & Sectarum licentiam inter ipſos admiſerunt, eam Religionis mutationem, atque libertatem pro vera gentis fortunæ cauſſa ſtatueret, eamdemque opinandi, & credendi licentiam in reliquis Europæ nationibus ſtabiliendam argumentaretur, cum præſens illius nationis fortuna, atque potentia Angliæ ipſius ſitui, ubertati, legibus, gentis indoli, & induſtriæ ſit potiſſimum referenda. Atque in priori hoc caſu effectus quidem (& conſequenter illius etiam cauſſa) exiſtit: in veræ ſolum cauſſæ deſignatione peccatur.

372. 2. Cum effectui cuicumque nobis certo eam aſſignamus cauſſam quam exiſtere, in rem influere, & ſufficere minime nobis conſtat, immo fortaſſe obſcuriſſimam tantum de cauſſa ipſa ideam nobis effingimus, aut purum aliquando vocabulum pro vera cauſſa obtrudimus, quamvis nulla vocabulo reſpondeat aut in mente idea, aut in rei veritate cauſſa. In quænam falſa ratiocinia ex hoc capite incidimus! Caveri illa omnia poſſent una hac philoſophandi regula, quam in loco tradimus, diligenter obſervata: *Effectuum naturalium illæ tantum admittantur cauſſæ, quæ & veræ ſint, & effectui ſufficiant*; hoc eſt, quæ vere exiſtant, vere influant, atque effectui producendo ſufficiant. Hæc una regula, ſi rite ſervaretur, pedetentim ſemper procedere, & circa majorem rerum partem ſententiam noſtram cohibere nos cogeret. Quoniam tamen qui ita ſe gereret, non prudens, ut res eſſet, ſed ignorans apud hominum vulgus audiret,

id quod ingenitæ eorum vanitati, atque innato erga ſe ipſos amori opponitur; ne ignorantiæ nota inuramur, præcipiti judicio ſententias ferimus, & quicumque producatur effectus, cauſſam illico aſſignamus.

Hinc eſt, quod ſecundum veterem Scholarum uſum innumeri fere effectus hic in terreſtri ſuperficie, aut intra tellurem orti, aurum, argentum, gemmæ, fluxus, & refluxus maris, teſtaceorum incrementa, plurima hominum, & ceterorum animantium mala, habitudines, mortes in lunam, ſolem, aſtra referebantur: dum nullus interim erat, qui aſtrorum influxus in terram eſſe ſciret, de iis ideam haberet, atque ab iis determinatos effectus provenire cognoſceret. Innumera alia hujus farinæ phænomena non diſſimili ratione a philoſophis explicata invenies: Sæpe enim cum nulla effectus mechanica, atque probabilis occurrat cauſſa, confiсto potentiæ alicujus, atque occultæ virtutis nomine purum vocabulum pro vera cauſſa in medium adducitur: Eo modo *ſimpathia*, *antipathia*, *qualitates occultæ*, *vires reppellentes*, *attrahentes immateriales*, & ſexcenta hujuſmodi alia in Scholas fuere introducta.

3. Tandem hæc committitur fallacia, cum effectui ſola imaginatione vero phyſica quæritur, atque aſſignatur cauſſa, quæ falſa neceſſario ſit, oportet, ut ſi cauſſam quæreres, quæ Mahomæ Corpus in aere ſuſpenſum ſuſtineat, quæ pervulgata olim fuit in toto Occidente fabula. Experimenta phyſica hoc etiam de capite non raro laborant, cum ob partium, & præconceptæ opinionis ſtudium, & plurimis aliis de cauſſis id nos ſæpe videre, atque deprehendere arbitremur, quod a noſtra ſolum imaginatione confingitur.

Sophiſma Accidentis.

373. Hoc ſophiſma in eo ſtat, quod rei alicui neceſſario, atque ſemper convenire arbitremur, de illaque ſemper affirmetur, quod fortuito tantum, & ex accidenti rei ipſi convenit, ut ſi ex eo, quod omnes fere Americanæ nationes, neque divitias,

neque

neque honores ament, neque ullam earum rerum ideam habeant, magnopereque mirentur, Europeos opes in futurum tempus colligere, & providere; alia tamen ex parte primitivam illam priorum hominum pleniſſimam libertatem ament; inde concluderes, Americam ab iis peti opus eſſe, qui a vitioſis illis paſſionibus omni antiqui orbis genti communibus immunes eſſe vellent: Quaſi ſcilicet philoſophicæ illæ virtutes Americani ſoli fructus exiſterent, aliiſque potius cauſſis referri non deberent. Rarum non eſt non modo inter privatos homines, quantumvis alias doctos, prædictum ratiocinandi vitium; ſed quamplurima integrarum nationum præjudicia, quibus & bene omnes de ſeſe, & male de aliis mutuo ſentiunt, ad hanc fallaciæ ſpeciem pertinent.

Fallacia dicti ſecundum quid ad dictum ſimpliciter.

374. Sophiſma hoc nomine in Scholis nuncupatum, & quantumvis alias ſatis puerile in magni etiam nominis philoſophis, in ipſo etiam *Tullio* notatum, aliud non eſt, quam id, quod aliqua tantum ex parte verum eſt, ita accipere, quaſi eſſet omni ex parte verum, ab eoque ita ſuppoſito argumentum ad rem aliquam probandam ducere: in hoc ſophiſma pueriliter caderes, ſi ita argumentareris: *Deus non eſt id, quod homines ſumus; ſumus vero nos ratione præditi: ratione igitur præditus non eſt Deus.*

Inductio, aut Enumeratio imperfecta.

375. Inductio eſt fere univerſale humanæ mentis argumentum, quo in naturalium rerum ſcientiam devenimus: quoniam enim res omnes, univerſaque Corpora ſingillatim agnoſcere, & tractare non poſſumus; inde fit, ut veritate aliqua in quamplurimis comperta, eamdem ad alia omnia extendamus; ut quia omnia Corpora hic in Europa ad Telluris centrum tendere, & gravitare comperi-

mus, idem etiam apud Antipodas, & in omnibus Corporibus tenere concludimus. Inter philoſophandi regulas unam tradidimus, qua aptum ab inductione argumentum, quod naturalia Corpora attinet, deducamus. Univerſim tamen verum eſt, ex imperfectis inductionibus plurima paſſim deduci falſa ratiocinia, partim quidem hominum imprudentia, atque ignorantia, partim etiam malitia: quid enim inter homines communius, quam integris ſæpe nationibus, cœtibus, familiis eas virtutes, aut vitia tribuere, quæ in aliquot earum individuis animadverterunt. Hoc ſane vitio laborant omnes fere viatorum relationes, quas ego libentiſſime lego, animi potius cauſſa, quam ut puram veritatem aſſequar. Animo tibi finge Sinenſem Mandarinum, poſtquam videndi gratia totam Europam celeriter percurrerit, Pekino reſtitutum: quot ille pulchra mendacia occidentalibus gentibus tribueret, vel imperfectiſſimis inductionibus deluſus, vel ut Sinenſes etiam Collegas aliquando citra methodum ridere adigeret?

Ad eamdem fallaciæ ſpeciem referendus eſt vitioſus ille ratiocinandi modus, hominibus etiam ſatis communis, atque ab imperfecta partium enumeratione ortus, qua aliquis ſuam de rei alicujus poſſibilitate, eventu, aut veritate ſententiam fert, cum eam tamen non undequaque perſpexerit, atque ſecundum modos omnes perpenderit, quibus illa accidere poteſt. Ita ſiquis in ultimo inter Anglos, & Hiſpanos bello ita pro Hiſpanis ratiocinaretur; Nihil nobis ab Anglis periculi timeri poteſt, niſi aut in Europa, aut in America: ſatis in hac ultima ab Hiſpanis præfectis proviſum eſt, Hiſpaniaque ſatis ſe ipſa formidabilis omnes hoſtium inſultus irridet: nihil igitur nobis ab hoſte timendum: male illum quidem conſulere, eventus atque triſtis Manillæ expugnatio, & deprædatio demonſtravit. Vitioſa ratiocinia iis omnino ſimilia apud Ciceronem *de Natura Deorum* invenies, ubi veterum philoſophorum circa Numinis naturam ideas legimus.

Sophiſmata Vocum.

376. Alia etiam ſunt fallacia argumenta, quorum vitium in æquivoco verborum ſenſu tantummodo conſiſtit: fere omnia hujuſce ſpeciei ſophiſmata adeo clara ſunt, atque puerilia, ut ſatis ipſa ſeſe prodant, hominemque minime deceat in ejuſmodi quiſquiliis referendis immorari: univerſim dicere ſatis ſit, quoniam omne æquivocationum genus, ſi conſulto adhibeantur, mentem omnino puerilem, aut fallacem, ſi inconſiderate, obſcuram indicant: idcirco & caveri a nobis diligentiſſime debent, & quandocumque ab illis prolata audiverimus, tamquam rem mentis attentione indignam omittamus. Puerilia hæc ſopiſmata ſunt potiſſimum *amphibolia*, ſeu dubius ſenſus ex vitioſa vocabulorum diſpoſitione ortus; *Homonimia*, hoc eſt ſignificatio ambigua ex verbo plura ſignificante orta (quo nihil eſt magis puerile, veritati, hominum commercio, atque ſinceritati oppoſitum); *Figura dictionis*, hoc eſt, puerilis luſus in verbis vix littera differentibus, diverſa tamen ſignificantibus; *Accentus*, cum ſcilicet argumentum a voce ducimus, quæ ab accentus, ſeu ſyllabæ productione diverſum ſignificat ſenſum. Omnia hæc, ut dixi, puerilia ſunt, in optimis aureæ ætatis ſcriptoribus non reperiuntur, parvi judicii hominem ſapiunt corrupto palato, Gothici temporis reliquiis, & falſis regulis imbutum. Unum igitur ſupereſt vocum ſophiſma, *compoſitionis, & diviſitionis* nuncupatum, quod licet intelligenti nullam afferat difficultatem, in tyronum tamen gratiam paucis eſt exponendum.

377. *Fallacia compoſitionis*, ſeu ſenſus compoſiti eſt earum idearum, atque vocum conjunctio, quas ſeparare opus eſt, ut propoſitio ſit vera ſecundum affirmantis ſenſum; ut ſi diceres *nullum corpus lucidum poſſe eſſe tenebroſum*; id verum erit in ſenſu compoſito, ſeu componendo lucem, & tenebras; falſum in diviſo. Ex loquentis fine, atque argumenti ipſius natura, qualiſ-nam ſit propoſitionis ſenſus, compoſito-ne, an potius diviſo accipienda ſit,

facile dignoſcitur; ipſaque loquentis, aut ſcribentis mens & intentio omnem ambiguitatem tollit, quæ, ſiqua tunc ſupererit, tota erit interpretantis malitiæ, aut ignorantiæ tribuenda. Quis enim ad has, & ſimiles alias Chriſti Domini Servatoris noſtri propoſitiones, *Non veni ſalvare juſtos, ſed peccatores*, vel minimum hæreat, quin illico intelligat, peccatores, non quamdiu peccatores extiterint, ſed juſtitiam jam præditos eſſe ſalvandos.

378. *Fallacia diviſionis*, ſeu ſenſus diviſi ex adverſo eſt, cum e propoſitionis ideis, aut vocibus dividuntur, quæ ſecundum obvium diviſionis ſenſum dividenda non ſunt, ut ſi dicamus, *omnes numeri ſunt pares, & impares*; propoſitio quidem in ſenſu obvio, qui eſt compoſitus, falſa eſt; vera tamen eſſe poterit fallacia diviſionis, rem intelligendo de numeris ſecundum diverſas eorum partes acceptis: hoc enim ſenſu numerus quicumque v. g. 9. ſecundum partem ſuam 5. impar eſt, ſecundum aliam 4. eſt numerus par. Sed de rebus nullius fere momenti ſatis: hæc enim ejuſmodi ſunt, quæ potius non ignorare, quam ſcire oporteat.

LO-

LOGICÆ
PARS QUARTA.

De mente humana ſuorum actuum veritatem, atque falſitatem diſcernente,

SEU

De operationum mentis veritate, falſitate, certitudine, incertitudine, de Demonſtratione, fide, opinione, & Arte critica.

379. IN tribus prioribus Logicæ partibus tres etiam notiſſimas humanæ mentis operationes eo ordine proſequuti ſumus, quo illæ & gradatim a ſimplicitate recedunt, & ab anima noſtra ſuomet ingenio, & indole a prima uſque infantia eliciuntur. Id vero eſt omnibus hominibus commune, ut unuſquiſque noſtrum in ſemetipſo animadvertere poteſt, quod prædictos omnes mentis actus, ut ſeſe mens explicat, ætate vigeſcit, objecta exhibentur, paullatim elicimus, quin ad ipſoſmet actus animum animadvertamus, in eoſque mentis aciem reflectamus, ut eorumdem operationum veritas, falſitas, veri, & falſi, certitudinis, aut incertitudinis notæ, atque regulæ a nobis dignoſcantur. Poſtea vero ætate jam adulta, & confirmata, mens noſtra animæ opes, & ſpirituales cognitiones tota pueritia, & juventute comparatas reviſens, atque per otium aliquando perpendens, eorum actuum indolem, naturam penitius perſcrutatur, eorum veritatem, & falſitatem inquirit; unde in eos certitudo, aut incertitudo, evidentia, aut probabilitas derivetur, ſtudioſe indagat, rebuſque ſuis rite perpenſis, & invicem collatis, regulas tandem ſibi ſtatuit, ab ipſomet rationis lumine dictatas, quibus certa ab incertis, vera a falſis diſtinguantur: indeque mens ipſa prudentia quædam ra-

rationis dictamina, & mentalem legum Codicem ſibi condit. quibus in reliquo totius vitæ decurſu, de quibuſcumque tandem rebus agat, prudenter ſemper dirigatur.

380. Rem ita eſſe, aut ita ſaltem eſſe debere, nullus inficiabitur, qui & ingenio valeat, & ad peractam a ſe vitam animum parumper advertat. Atque hinc facile patet, hujuſmodi operationum mentis diſcretionem, atque ſtatuta inde dictamina, quæ *Ars critica* nuncupantur, eſſe ipſiuſmet animæ ſupra ſuos actus reflexionem, ipſiuſque reflexionis effectus. Hæc igitur mentis operatio & eſt per ſeſe tribus prioribus ſubtilior, propterea quod non ad ipſa externa objecta, vividius animam percellentia, immediate reſpiciat, ſed ad ipſos mentis actus ſpirituales, atque internos terminetur; & eſt aliorum animæ actuum poſterior, propterea quod illos & ſupponat, & ſubtilitate vincat. Quoniam igitur naturalis hic eſt noſtrarum cogitationum ordo, ut prius anima objectorum ideas acquirat, de ideis inde judicium eliciat, ex judiciis ratiocinium ſibi conficiat, tandemque in ſemetipſam, actuſque ſuos reflectens, ſuarum operationum leges ſtatuat; ea propter eumdem & nos naturæ ordinem tenentes, poſtquam tres priores mentis operationes directe ſumus proſequuti, eadem modo veſtigia relegimus, & reflectimus. Nullo autem diſcrimine, quod veritatem, falſitatem &c. attinet, judicia, & ratiocinationes tractamus, eo quod judicia etiam ipſa implicitam in ſe ratiocinationem contineant, cum propoſitionem quamcumque eliciamus, illam propter aliquam rationem pronuntiamus; & una eademque ratione veritas, falſitas, certitudo, aut incertitudo utrique illi actuum ſpeciei conveniat.

Hæc præterea quarta logicæ pars ceteras omnes utilitate ſuperat; cum non modo in rerum quaſi theoria, & contemplatione ſiſtat, ſed ad earum uſum maxime tendat: omnes humanæ vitæ actiones, & munia reſpiciat, nulluſque hominum ordo exiſtat, qui hac potiſſimum logicæ naturalis, aut artificialis parte opus non habeat.

LE-

LECTIO PRIMA

De veritate, & falſitate operationum mentis, atque de veritatis Criterio, ſeu teſſera.

§. I.

381. *Actuum mentis veritas, & falſitas quænam ſit, exponitur.*

NOn perinde nota eſt, atque obvia veritatis idea, atque ideæ, reique ipſius vocabulum, quod millies quotidie in omnium auribus ſonat. *Veritas* diſtingui ſolet triplex, *Metaphyſica*, *Moralis*, *& Logica*. Prima, quæ etiam *veritas rei* nuncupatur, in eo conſiſtit, quod res quælibet exiſtat in natura id, quod eſt, ſecundum ideam, quæ de re ipſa in mente divina ab æterno exiſtit; ſeu eſt vera exiſtentia rei, ejuſque proprietatum, prout eſſe in natura debent ſecundum propriam rei ipſius notionem. Veritas rerum hoc ſenſu explicata eſt vera omnis, & cujuſcumque entis proprietas, neque ad Logicam, ſed ad Metaphyſicam ſpectat.

Veritas moralis eſt concordia noſtrarum expreſſionum vocalium cum animi noſtri ſententiis, ſeu in eo conſiſtit, quod ſecundum animi ſententiam loquamur: huic vertiati opponitur mendacium, ſeu *diſcordia Sententiæ vocalis a mentali*, dum interim metaphyſicæ nihil eſt, quod opponatur: ſicut autem poſtrema hæc ad Metaphyſicam, ita moralis veritas ad Æthicam pertinet.

Veritas tandem logica, quæ eſt hujuſce loci propria, eſt *conformitas actus mentalis cum objecto reali*: hujuſmodi veritas in duplicem iterum dividitur, *mentalem*, & *vocalem*: veritas mentalis eſt *conformitas mentis actuum cum objectis*: hæc eſt veritas illorum actuum propria, qui vocabulis non exprimuntur, aut quod vocabulorum defectu exprimi eo, quo loquimur, idiomate non poſſint, aut quod res mente concipiamus, quin ad vocabula aliqua animadvertamus: hæc igitur eſt purorum ſpirituum ve-

veritas, qui nullo vario, externoque ſermone ſibi, aut aliis loquuntur, eorumque inſuper noſtrorum actuum, quos verbis exprimere aut non curamus, aut non poſſumus. *Veritas vocalis* eſt *vocalium expreſſionum conformitas cum objectis, prout de ipſis objectis ſecundum communes veraſque hominum ideas dici debent*: qui ergo loquendo ea proferat verba, quibus ſecundum communes hominum notiones veræ ideæ ſignificantur, ut delirantibus, mente diſtractis, & aliis uſuvenit; vocalem tantummodo veritatem in ſeſe habent. Logicæ veritati, vel mentalis illa ſit, vel vocalis, falſitas proprie dicta opponitur, priori quidem *diſcordia actus a ſuo objecto*, poſteriori vero *diſcordia expreſſionis vocalis ab eo, quod iis vocibus exprimi ſolet*.

382. Utraque hæc veritas logica omnibus noſtræ mentis operationibus convenit, ideæ, judicio, ratiocinationi, & quicumque alius ſit ejuſdem mentis actus. Neque tamen omnes uno eodemque modo veræ, aut falſæ ſunt, aut eſſe poſſunt; veritas nimirum, & falſitas idearum propria eſt pura puta repræſentationis exactitudo, ut ſuperius expoſuimus: aliorum actuum veritas aut falſitas in dictionis veritate, aut falſitate conſiſtit, eaque eſt, quam proprie veritatem nuncupamus; eamque deinceps ſemper intelligemus, niſi argumenti ratio aliud poſtulet.

383. Duplex hujuſmodi veritas, mentalis, & vocalis in humano commercio ſeparari non poſſunt: propterea quod non modo quidquid aliis exponimus, ſed etiam quidquid ſola mente concipimus; vocalibus ſignis aſſociamus. Aliqua tamen ſunt, quæ vocabulorum penuria preſſi, mente concipimus, quin certis vocibus alligemus: innumera enim pene ſunt cognitionum objecta, pauciſſima vero ad ea ſignificandum vocabula.

384. Circa logicam propoſitionum, atque ratiocinationum veritatem, atque falſitatem aliqua hic exponenda ſunt neque injucunda, neque logico non neceſſaria. 1°. Quonam pacto, atque neceſſitate veritas, aut falſitas omnibus humanis propoſitionibus conveniat. 2°. qui ſint characteres veri-

ritatis noſtrarum propoſitionum, vel illæ ad artes, atque ſcientias pertineant, vel in familiari tantum, atque civili hominum commercio verſentur: quænam ſint naturalium hujuſmodi veritatum qualitates, & quænam etiam humanæ mentis ad veritatem habitudo, atque ſtatus. 3°. Quale etiam illud veritatis criterium, atque teſſera, qua tandem humana ratio ducitur, atque innititur, ut verum a falſo ſecernat. 4°. Denique quamnam naturalium veritatum amplitudinem per mentis noſtræ vires aſſequi homines poſſimus, quæve ſint incommoda illa impedimenta integræ hominum ſpeciei communia, quibus ab aſſequenda veritate detinemur.

385. Quod primum attinet, id unum quæritur, *itane veritas, aut falſitas propoſitioni cuicumque conveniat, ut nulla omnino ſit, quæ aut vera, aut falſa non exiſtat*. In qua quidem re multiplex propoſitionum genus diſtinguitur, *de præterito*, *de præſenti*, *de futuro*, quarum exempla ſunt: *Extitit aliquando Imperium Romanum*: *multiplex modo regnum totam Europam dividit*: *nulla unquam erit inter Anglos, & Gallos ſtabilis amicitia*: Jam vero omnes hæ propoſitiones elici poſſunt modo *abſoluto*, aut *conditionali*, eſſe de objecto *neceſſario*, aut *libero*, ſeu *fortuito*. Circa propoſitiones de præterito, atque præſenti, quocumque tandem modo eliciantur, neceſſarium, aut non neceſſarium habeant objectum, ratum eſt apud omnes determinatam iis veritatem, aut falſitatem convenire: id quod ex data modo veritatis, atque falſitatis notione manifeſte evinci poſſet: vel enim propoſitio mentalis, aut vocalis objecto ſuo conformis reapſe exiſtit pro illa differentia temporis præteriti, aut præſentis, quæ ab ipſa propoſitionis indole indicatur, vel non: ſi primum, propoſitio eſt vera; ſi ſecundum, falſa: nihil vero medium eſt inter duo disjunctionis membra.

386. Quod propoſitiones de futuro ſpectat, certum etiam apud omnes eſt, illas jam nunc eſſe veras, quæ habent objectum neceſſarium, abſolutum, aut conditionatum, ut *Animæ humanæ nunquam deſtruentur; Si in peccato deceſſeris, in æter-*

num

num damnaberis: Quod ſi propoſitiones ſint de objecto libero, ſeu non neceſſario, illas non eſſe determinate veras, neque determinate falſas, aliquorum ſententia fuit: eorum igitur judicio hæ, & infinitæ aliæ ſimiles propoſitiones: *craſtina die pluet Cælum: ſi commodum tibi ſit, anno proxime futuro Europam peregrinaberis*, nullam habent certam, atque determinatam veritatem, aut falſitatem. Qualiſcumque tamen ſit eorum ſcholaſticorum in hac ſententia affirmanda ſenſus, perſpecta veritatis, atque falſitatis notione apud omnes recepta, perpenſa etiam communi omnium hominum idea, atque intimo ſenſu, cum propoſitiones de futuro ſcientiis, artibuſque proprias, aut in negotia, atque confabulationem familiarem, & quotidianam incidentes proferunt, audiunt, examinant; fieri non poteſt, quin dicamus, omnes illas propoſitiones determinatam veritatem, aut falſitatem habere.

387. Tempus ego, & operam inutiliter perdere exiſtimarem, ſi fuſe iſta proſequerer: ſatis igitur ſit rei ipſius, & hominum de re ipſa ſenſum exponere. Cum propoſitionum veritas juxta notionem modo datam, & omnium hominum ſenſum, in eo conſiſtat, quod propoſitionis objectum fuerit, ſit, aut futurum ſit, prout propoſitio ipſa pro aliquo illorum temporum affirmat, aut negat; objectum vero quodcumque in certo quolibet tempore determinate exiſtat, aut determinate non exiſtat: conſequens eſt, ut propoſitio rem affirmans, aut negans pro determinato illo tempore, ſit ſemper vera, aut falſa. Ita ſane fit, ut cum rei alicujus prædictionem, hoc eſt, propoſitionem de futuro audimus, neque tamen perinde, ut propoſitionis auctor, de re exiſtimamus, eam illico falſam pronuntiamus, quin futurum tempus expectemus, ut judicium noſtrum feramus. Prudens quicumque, atque doctus vir, qui *Cardani*, aut aliorum aſtrologorum eodem fanatiſmo laborantium horoſcopa, ſeu prædictiones audiret; vana illico, atque falſa protendi affirmaret. Sit, qui modo confidenter dicat intra diem, menſem, aut annum Tur-

Turcarum imperium ruiturum: quis, amabo, ſibi ita temperabit, quin hominem delirare, vana, falſaque proferre non affirmet? Si philoſophus aliquis, *futurum aliquando alium mundum poſt hujuſce interitum*, modo affirmet; videt enimvero Deus internum hominis actum, qui mundum affirmat futurum: videt etiam affirmatum mundum nunquam futurum (ut ſuppono): ſi duo illa nobis eſſent manifeſta, falſam illico propoſitionem a philoſopho illo affirmari pronuntiaremus. Porro niſi illa, & ſimiles aliæ propoſitiones non ſint jam falſæ, nunquam falſæ erunt; æternitatem enim reſpiciunt: ſi ergo tempus totum effluere, & præſens fieri opus eſt, quod a propoſitione indicatur; cum nunquam effluxura ſit æternitas, nunquam erit propoſitio falſa. Quod ſi de propoſitione dubitemus, & rem poſtea non eveniſſe comperiamus; falſam illico prædictionem extitiſſe pronuntiamus. Multoties quidem fit, ut hujuſmodi propoſitionibus auditis, aut etiam a nobis prolatis, veræ-ne, an falſæ exiſtant, affirmare neſciamus: propoſitionum tamen veritatem a nobis ignorari, non eſt, propoſitiones ipſas non exiſtere veras, ut res ipſa per ſe demonſtrat. Niſi ita eſſet, majorem etiam noſtrarum propoſitionum de præſenti, aut de præterito partem neque veram, neque falſam eſſe diceremus; cum de earum veritate dubitemus. Rem ego ulterius non promovebo, ne in re parvi momenti tempus inutiliter inſumam. Hinc ſane eſt communis hominum de re illa ſenſus, quæ ab ipſamet communi hominum acceptione penitus pendet. Communi huic ſenſui inſiſtimus, ſecundum illum loquimur, & ſcribimus. Si qui oppoſitum potius probant; eſto, ſuam illi ſibi opinionem habeant. Tria alia ſuperius numero 384. indicata, cum maximi momenti ſint, ſuſius ſeorſim inferius exponentur.

§. II.

§. II.

Veritatis propoſitionum, ſeu veritatis logicæ in multiplicem ſpeciem diviſio.

388. Humanæ cognitiones, atque propoſitiones, ad earum proprietates relatæ dividuntur primo in *veras*, & *falſas*; qua quidem diviſione & omnis humana cognitio comprehenditur, & primæ illarum proprietates indicantur. Cognitiones naturales dividuntur ſecundo in *certas*, atque *incertas*: quam quidem diviſionem, quoniam in re præſenti eſt magni momenti, fuſius proſequemur. Mentis noſtræ ad veritates naturales, immo & quaſcumque alias comparatæ, quatuor, aut quinque conſiderari poſſunt ſtatus, *ignorantiæ*, *mentalis crepuſculi*, *dubii*, *opinionis*, *certitudinis*: primus ſtatus, ſeu infirmitas omnes nos latiſſime, & per omne vitæ tempus comprehendit, hoc tamen diſcrimine, quod a conceptu ad primam uſque pueritiam perfecta ignorantia laboramus, cum aut nullam omnino rei cujuſcumque habeamus ideam, aut ſiquam habemus, (ne litem modo Carteſianis moveamus) otioſa illa in nobis latitet: tum igitur temporis perfecta ignorantia premimur, quæ eſt omnium idearum defectus: ab ea ætate ad mortem uſque paullulum denſiſſimæ illæ tenebræ aliqua ex parte rareſcunt; nonniſi tamen pauca nobis illucent, dum interim infinitæ ſunt veritates naturales, corpora, cauſſæ, effectus, quorum nullam habemus ideam.

389. A prima pueritia mentale incipit crepuſculum inter perfectam ignorantiam, ſeu tenebras, & rationis lumen, uſum, & cognitionem medians, quo neque clare agnoſcere, neque tamen penitus ignorare dici poſſumus; objecta quidem ſentimus, ſed ſolis fere ſenſuum actionibus, atque perceptionibus eo tempore vivimus, ducimur, & agimus: quin adhuc proprie dubitemus, opinemur, aut certo agnoſcamus. Reliquo vitæ tempore triplicem hanc mentis operationem circa di-

diverſa objecta elicimus: maximam quidem rerum omnium partem ſemper ignoramus, nullamque de iis ideam neque ſenſu, neque reflexione, neque compoſitione acquiſitam, aut elicitam habemus. Illa autem, de quibus aliquam tandem ideam comparavimus, aut dubia prorſus nobis ſunt; aut probabilia, aut certa, unde triplex illa noſtrarum cognitionum, atque propoſitionum differentia naſcitur.

390. Cognitio illa, propoſitio, aut res nobis eſt *dubia*, cujus veritas aut *nullis*, aut *infirmis* tantum rationibus probatur. Duplex igitur eſt dubium, *negativum*, & *poſitivum*: primum eſt, cum nullæ nobis rationes ſuppetunt, quibus aut rem probemus, aut refellamus, cujuſmodi eſt illud de Cometarum habitatoribus; illa enim corpora inſignia, mundo coæva, in peculiaribus orbitis ſemper girantia, & in noſtrum vorticem ſingulis eorum revolutionibus ingredientia, aliquibus habitatoribus coli, nulla nobis ratione ſuadetur, aut improbatur. Infinita pene ſunt in natura, circa quæ hoc modo hærere debemus: *data* enim, atque fundamenta ex utraque parte nobis deſunt, quibus ad aſſenſum, aut diſſenſum determinemur: ſiquis hujuſmodi rebus omni fundamento deſtitutis aſſenſum præbeat, imprudens, atque temerarium judicium profert, quod, ſi quando accidit, ex animi indole, & affectibus originem ducit.

391. *Dubium poſitivum* eſt, cum ex utraque parte æqualia proponuntur rationum momenta, quibus fit, ut mens noſtra in neutram partem inclinet, bilancis pondere æqualiter utrinque trahente. Hujus naturæ ſunt quamplurimæ non modo ſch laſticæ quæſtiones in ſcholis agitari ſolitæ, & ad omnes fere diſciplinas ſpectantes (ſi matheſim excipias) verum etiam infinita problemata politica, œconomica, civilia &c. quæ paſſim & a ſcriptoribus proponuntur, & in quotidianis converſationibus agitantur, & vix unquam reſolvuntur, qualia ſunt v. gr. quodnam regimen ſit præferendum, Monarchia, an Reſpublica? Sit ne vacuum, ut voluit *Nevvton*, an potius plenum juxta *Des-*

Cartes, totum hoc mundanum ſpatium, quod a tellure circumquaque uſque ad ultimum firmamentum protenditur? quænam regiones ſint ditiores, quæ auri, & argenti fodinis abundant, ut *Peru*, an quæ citra ullam metalli fodinum uberi, cultoque ſolo præditæ ſunt?

392. Dubium, ſeu ſuſpenſionem judicii ſequitur *opinio*, ſeu *cognitio probabilis*, atque *incerta*, qua quidem ita veritatem aliquam, ſeu propoſitionem ob prudentes rationes amplectimur, ſecundumque illam judicium ferimus, ut inſimul nos non eſſe ab errore ſecuros agnoſcamus; propterea quod illa, quibus nitimur, fundamenta rem minime demonſtrant, aut dubium omne depellunt: interim tamen rei alioquin incertæ aſſenſum noſtrum præbemus, vel quia nulla ex oppoſito nos ratio diſſuadet, vel quia majori rationum momento ad ſententiam noſtram ſuſtinendam ducimur. Duplex igitur diſtinguendus eſt caſus; primus, cum propoſitio ita rationibus innititur, ut nulla oppoſita ratione infringatur, ut cum dicimus Cometas eſſe veros planetas, mundo coævos, aliquo viventium genere planetas habitari: quorum primum graviſſimis fundamentis, & fere demonſtrationibus innixum, nulla oppoſita ratione impugnatur: Secundum autem argumentis quidem ſolum veroſimilibus ex analogia petitis firmatur, a nihilo tamen oppugnatur. Atque prima hæc probabilitatis ſpecies a dubio negativo ad certitudinem uſque, ſeu demonſtrationem gradatim aſcendit: inter dubia enim, & ſcientiam infiniti fere ſunt probabilitatis, & veriſimilitudinis gradus. Dubium immediate conſequitur levis pro altera parte conjectura, a conjecturis leviſſimis ad graviores, & graviores, a quibus deinceps ad probabiliora, & probabiliora rationum momenta, quoad demonſtrationem fere attingamus, gradatim aſcendimus: exemplo eſſe poſſunt quæ modo adduximus: inter planeticolarum veriſimilitudinem, & Cometarum planetis adnumerationem longiſſimum eſt diſcrimen, atque diſtantia: primum enim ſolis conjecturis innititur, ſecundum ad demonſtrationem phyſicam pertingit.

393.

393. Secundus probabilitatis caſus eſt, cum pro utraque parte gravia ſunt rationum momenta, quæ ad prudentem aſſenſum ſatis omnino ſunt: ut ſi in medium adducamus, *liceat, nec ne miſeros Africanos; homines natura liberos, nulloque bello cum Europeis nationibus inito captos in ſervitutem redigere, & ad Americam translatos ad duriſſimos fodinarum labores condemnare?* Quanta enim vero pro utraque parte adducuntur! quænam ulterius adderentur, ſi miſeri illi populi eorum emptores, & ſi dicere licet, prædatores ſcientia æquarent, (Interim Europei Africæ pœnas luimus: qui enim occidentales Afros in ſervitutem redigimus, borealium præda, ſervi, & patrimonium evadimus.) Atque in hoc ſecundo caſu duo maxime notanda ſunt, primum, veritatem ſæpe pro illa parte ſtare, quæ minus apparet probabilis: id nos & quotidiana experientia docemur, & a nullo in dubium vocari agnoſcimus: aliud ſcilicet longe eſt rerum apparentia, atque verus earum ſtatus: pro comperto olim ab omnibus etiam peritiſſimis habebatur, zonam torridam eſſe præ calore inhabitabilem: oppoſitumque erat temeritatis, atque improbabilitatis cenſura notatum: hodie tamen vel incultiſſimus Tapuja omnem veterum doctrinam irridet. Secundum: Ad eam tamen partem mens ſemper inclinat, & trahitur, quæ probabilior, & firmioribus fundamentis fulta apparet. Id ſemper fieri opus eſt attenta humani intellectus indole: datum aliquod nobis proponatur problema, *liceat, ſnec ne e. g. Americanas nationes invadere, earum imperia evertere, patrimonia diripere, eaſque tandem in ſervitutem redigere?* (problema ſane, quo nullum ab diluvio aut rationi difficilius, aut armis facilius extitit:) graviſſima pro utraque parte rationum momenta, mentalis bilancis pondere, exiſtimanda ſunt: ad illam igitur partem inclinari mentem noſtram oportet, unde magis trahimur. De hiſce omnibus iterum redibit ſermo, cum inferius Criticæ regulas proponemus. Hucuſque de ſola illa probabilitate loquimur, quæ rationum momentis e rei ipſius viſceribus petitis innititur; na-

turalem enim noſtrarum idearum ordinem ſequimur: aliam propoſitionum ſpeciem, quam nuncupamus *fidem*, ſtatim etiam explicabimus.

394. Poſt ſummum probabilitatis gradum ſequitur ſcientia, ſeu humana cognitio certa, cujus veritas omnium probabilium propoſitionum veritatem longo intervallo ſuperat. Scientiam, & certitudinem preſſius ſtatim definiemus; interim ſatis ſit dicere, *ſcientiæ* nomine eam nobis claram adeo cognitionem intelligi, ut mentis noſtræ aſſenſum, velimus, nolimus, neceſſario a nobis extorqueat, nullumque in anima dubium relinquat. Ultimus hic eſt, atque perfectiſſimus naturalium humanarum cognitionum ordo, quem habere in hac vita poſſimus; & quem cum tandem aliquando circa argumentum quodcumque aſſequimur, tum vero ſummum naturalium veritatum apicem attigimus.

395. Habes ſumma naturalium cognitionum ſoli rationi innixarum capita, quæ & diverſo modo ſpectari poſſunt, & plurimum inter ſe dignitate, veritate, extenſione, atque objectorum comprehenſione differunt. Sed priuſquam hæc ſingillatim exponamus, alia prius danda eſt humanarum cognitionum diviſio, quæ & recenſitos hactenus, & ceteros omnes noſtræ mentis actus complectitur. Omnis humana cognitio, ſeu aſſenſus, aut diſſenſus, aut rationi rebus ipſis intrinſecæ innititur, aut propter extrinſecam tantummodo loquentis auctoritatem rebus ipſis præſtatur: primum dicitur *Ratio*; ſecundum *Fides*.

396. Ob rationem igitur, cui mens noſtra innititur, atque ducitur, ut aſſenſum, aut diſſenſum præbeat, omnis noſtra cognitio dividitur in *rationem*, & *fidem*: prima omnes cognitiones hactenus enumeratas comprehendit: *Fides* eſt *cognitio*, ſeu *veritas auctoritate innixa*: res, quam ſola auctoritate tenemus, *veritas fidei*, propoſitio autem, ſeu aſſenſus rei propter dicentis auctoritatem præſtitus, *propoſitio*, & *aſſenſus fidei* nuncupatur. Quoniam tamen cum veritates ipſæ, tum dicentis auctoritates poſſunt eſſe aut *humanæ*, aut *divinæ*: fides ipſa in fidem humanam, & fidem di-

divinam dividitur. Quidquid ob auctoritatem humanam tenemus, eſt humanæ fidei objectum; omniſque humana cognitio hominum teſtimonio innixa *humanæ fidei* cognitio, aut veritas appellatur. Contra vero quidquid nobis eſt a Deo revelatum, *Divinæ fidei veritatem*, & objectum dicimus: mentis vero aſſenſus iis objectis propter Dei teſtimonium præſtitus, erit *propoſitio fidei Divinæ*. *Peckinum igitur, atque Sinenſe imperium exiſtere, & ab aliquot annorum millibus prudentiſſimis legibus ſtare*, humana fide tenemus; *Chriſtianæ autem religionis myſteria, & quidquid in antiquo, novoque teſtamento continetur*, ſunt fidei Divinæ veritates; propterea quod primum humano, ſecundum Divino teſtimonio conſtat: actus etiam, quo illæ veritates creduntur, ſunt actus humanæ, aut Divinæ fidei, pro teſtimonii Divini, aut humani ratione. Præcipuas Criticæ regulas utramque fidem ſpectantes inferius trademus.

397. Iis omnibus breviſſime notatis, omnis humana cognitio ad veritatem relata duplici modo ſpectari poteſt, vel quatenus *clara*, aut *obſcura* eſt, vel ut *certa*, aut *incerta*: Ex primo capite omnis noſtræ mentis cognitio dividitur in *claram*, ſeu *evidentem*, & in *obſcuram*: prima diviſionis pars *ſcientiam* complectitur, de cujus indole, & multiplici ſpecie modo differemus: Obſcura dividitur in *dubium*, *opinionem*, *fidem*: dubium aliud *negativum*, aliud vero *poſitivum*, ut diximus. Opinio in probabilem a ratione, & probabilem ab auctoritate dividitur: opinio probabilis a ratione quid ſit, jam diximus: opinio probabilis ab auctoritate eſt fides humana, cujus notionem dedimus. Fides Divinam, & humanam complectitur; utraque enim eſt cognitio obſcura. Ex ſecundo capite dividitur cognitio mentis humanæ in *certam*, & *incertam*: certa comprehendit *ſcientiam*, & *Fidem divinam*: *incerta* dubium, & probabilia omnia tum rationis, tum etiam humanæ fidei complectitur: certitudine enim fides divina ſcientiæ reſpondet; incertitudine autem probabilitas rationis, atque humana fides æquiparantur: inter Divinam fidem certam, & hu-

& humanam incertam intermedia eſt humana fides moraliter certa, ſeu ſcientia moralis; ſicut etiam inter ſcientiam rigoroſe talem, ſeu metaphyſicam, atque probabilitatem rationis ſcientia, ſeu certitudo phyſica, aut ſenſuum media eſt: ſibi igitur ratio, & fides mutuo, & gradatim reſpondent, ſcientiæ quidem metaphyſicæ Fides divina, certitudo ſenſuum, ſeu phyſica morali certitudini, fides tandem humana probabilis probabilitati rationis: quarum utraque per innumeros gradus ad minimas uſque conjecturas deſcendit. Sed de his omnibus ita leviſſime indicatis ſingillatim agamus.

§. III.

De Scientia ſpeciatim.

398. *Scientia*, quæ præcipua eſt omnium humanarum cognitionum, definitur *cognitio clara, atque evidens*: quid hiſce terminis intelligamus, & manifeſtius per ſe eſt, quam ut expoſitione indigeat, & unuſquiſque noſtrum propria experientia docetur, cum ad eas cognitiones animadvertimus; quas de noſtramet, aut Dei exiſtentia, atque de veritatibus Geometricis elicimus: ea ſcilicet evidentia hujuſmodi veritates intuemur, ut ab ea ad aſſenſum rapiamur: idque unum prædicto nomine, & definitione intelligimus.

Triplicem diſtinguimus ſcientiam, *intuitivam*, *demonſtrativam*, *ſenſitivam*, ſeu *intuitionis*, *demonſtrationis*, *ſenſuum*. *Scientia intuitiva* eſt illa, qua duarum idearum connexionem in ipſiſmet ideis inſpicimus, unamque ex alterius viſceribus citra ullum diſtinctum medium, atque ratiocinium ita clare intuemur, ut mens noſtra impediri nequeat, quin rei firmiter aſſentiatur. Hac intuitionis ſcientia vera ſunt, *quidquid cogitat, exiſtit; cogitatio non eſt corpus; quidquid in tempore habuit principium, non eſt ſumme perfectum*, & quamplurima alia: intuitiones nuncupantur, propterea quod veritatem ipſam non aliunde probemus, ſed in ipſis rei viſceribus mente intueamur: unde ſcilicet eſt, quod rem exiſtere,

ſtere, ex eo quod cogitat, neceſſario dicamus, niſi quia exiſtentiam in ipſamet re cogitante clariſſime intuemur? Porro ea eſt mentis noſtræ indoles, ut quidquid clare in ideis noſtris percipimus, in id aſſenſu noſtro ſponte, & neceſſario feramur, atque pro vero amplectamur, nihilque aliud eſt, quod æque nos ad ſui aſſenſum rapiat, atque clara hujuſmodi rerum perceptio. Alia vero ex parte infinitæ Dei Optimi Maximi Sapientiæ, atque Bonitati penitus repugnat, ea indole homines creare, ut in falſum amplectendum neceſſario ferantur: ex quibus neceſſario conſequitur, id quod clare in ſe ipſo inſpicimus, eſſe ſemper verum.

399. *Scientia demonſtrativa*, ſeu Scientia demonſtrationis eſt certitudo ratiocinio parta, qua ſcilicet veritas aliqua non in ſe ipſa inſpicitur, ſed mediis aliis ideis intuitionis certitudine veris demonſtratur: hujuſmodi ſunt omnes veritatum quarumcumque demonſtrationes; v. gr. *Quadratum hypothenuſæ æquale eſt duobus ſimul aliorum laterum quadratis: homini nullum omnino jus habenti nulla fieri poteſt injuſtitia*, & ceteræ omnes demonſtrabiles veritates: quamlibet enim harum veritatum, ſi nude nobis proponantur, non admittimus: maxime vero, ſi ab ideis ſimplicibus incipiendo, & ab una ad aliam ſimplici intuitione procedendo ad ultimam tandem deveniamus. Demonſtratio igitur, ſeu certitudo demonſtrationis aliud non eſt, quam certa ſimplicium intuitionum catena, aut ſcala, qua mens humana ab uno, ad immediatum gradum, ſeu annulum, hoc eſt, ab una veritate intuitione certa ad veritatem aliam ſimili item ratione, aut demonſtratione certam aſcendendo, rationemque ex ratione deducens ad poſtremum tandem pervenit annulum, ſeu veritatem, quæ erat ad demonſtrandum propoſita. Exemplo ſit moralis illa propoſitio, *homini nullum omnino jus habenti nulla fieri poteſt injuria*; quam in ſe ipſam inſpiciendo certam eſſe non cognoſcimus, gradatim tamen ita demonſtramus: *Injuſtitia eſt læſio alicujus juris: ut ſit juris læſio, debet eſſe jus: ſi igitur nullum ſit jus, nulla erit læſio: homini igitur nullum*

jus habenti nulla fieri poteſt injuria. Ad ultimam conſequentiam, quæ erat demonſtranda, nonniſi per medios tres annulos, ſeu veritates, unam ab alia deducendo pervenimus. Omnes illæ mediæ veritates debent eſſe ſimplici intuitione, aut demonſtratione certæ, alioquin cadit omnino demonſtratio, perinde ut uno a Scala gradu avulſo, aut catenæ annulo rupto, neque tenet catena, neque per ſcalam aſcendimus. Da ſcilicet aliquam ex adductis modo in demonſtratione propoſitionibus fallere; mens ſane ad illum uſque gradum ſecura perveniens in illo ſubſiſtet, quæque deinceps deducuntur, per ſe ipſa, ſublato fundamento, corruent. De demonſtratione plura dicemus, cum de methodo ſermo fuerit.

400. *Scientia* tandem *ſenſitiva* illa eſt, quam citra ullam ratiocinationem ſola experientia, intimique ſenſus perceptione comparamus, eaque propter *ſenſitiva* nuncupatur: hac ſcientiæ ſpecie certi omnino ſumus *nos exiſtere*, *cogitare*, *corpora eſſe*, *ſonos a nobis percipi*, *cum hominibus converſari*, & infinita hujus generis alia: quis enim unquam fuit, qui de hujuſmodi veritatibus ſerio unquam dubitaverit? Ne *Carteſius* quidem, dum hypotheſim illam, *de omnibus dubitandum*, ſibi parumper tenendam propoſuerat, eam ad ſuæmet cogitationis exiſtentiam extendere potuit; claro adeo lumine humanam mentem percellunt, quæ nos intimo ſenſu, atque experientia cognoſcimus. Senſitiva igitur ſcientia, quemadmodum & intuitiva, ratiocinationem non includit, ſed pura tantummodo rei perceptione experimentali intimo ſenſu habita continetur. Quæ hujuſmodi certitudine percipimus in duplici ſunt differentia: alia enim intima animæ conſcientia, alia vero intimo, atque experimentali ſenſu: prioris ordinis certitudine ſcimus, nos *intelligere*, *dubitare*, *credere*, *amare*, *odio habere*, *exiſtere*, & alia ejuſdem rationis quamplurima ad nos potiſſimum ſpectantia, quæ experimentali animæ conſcientia certa nobis ſunt: quis enim eſt, qui, dum cogitat, ſeſe *exiſtere*, *cogitare*, *vivere* dubitet? Intimo experimentali ſenſu certum nobis

bis eſt, *Corpora in nos agere*, *Corpora*, & *Univerſum exiſtere*, aliqua nobis eſſe noxia, aliqua etiam innoxia, calorem, ſonos, & alias rerum qualitates in rebus eſſe, quarum actiones in nobis conſtanter experimur, neque ſerio in dubium vocare poſſumus, natura ſemper, atque intimo rationis dictamine conſtanter reclamante. Nulli quidem ignotum eſt, Corporum, & mundani hujuſce Univerſi exiſtentiam ſenſibili illa certitudine non ſatis demonſtrari, quamdiu vera ratiocinationis demonſtratione non conficiatur: Rem nos in primo Generalis Phyſicæ volumine attingimus, & fuſius in metaphyſica diſcutimus: interim ego intimum uniuſcujuſque ſenſum, atque conſcientiæ teſtimonium appello, cum frigeſcente imaginatione, & ſedato phantaſmatum tumultu, rem ſedate perpendunt.

401. Evidentia ſcientiæ proprie dicta diſtinguitur duplex, prima dicitur *evidentia metaphyſica*, ſecunda vero *evidentia ſenſuum*, ſeu *Phyſica*. Evidentia metaphyſica eſt, quæ in nulla omnino providentia poteſt cum falſitate conjungi, ejuſque proinde falſitas eſt prorſus impoſſibilis. Hac evidentiæ ſpecie, quæ eſt propriiſſime dicta, certum atque evidens eſt quidquid ſcientia *intuitionis*, *demonſtratione*, & *conſcientia* cognoſcimus, atque intelligimus: intimum ſcilicet illud mentis lumen, atque intelligentia, qua de noſtra, deque Dei exiſtentia certi omnino vivimus, & omnia axiomata, & theoremata ad matheſim, & rem moralem ſpectantia, omniaque tandem illa videmus, quæ intimo conſcientiæ teſtimonio comperta habemus, qualia ſunt nos *cogitare*, cum cogitamus, *negare*, *credere*, cum falſitate aut dubio componi omnino non poteſt, ut inferius probabimus. Quis enim vero noſtrum eſt, qui de ſuamet exiſtentia dubitare poſſit, aut ſeſe in errorem induci poſſe credat, dum ſeſe exiſtere cognoſcit? Adeo id humanæ menti, communique ſenſui repugnat, ut ne hominem quidem fere poſſimus, qui non jam de ſua, ſed de aliorum corporum exiſtentia ſerio ſe dubitare pronuntiet; quantumvis id ſenſuum ſcientia ſolummodo cognoſcamus, cujus evidentia minor eſt, quam illa intui-

tionis,

tionis, atque demonſtrationis. Ad primam hanc ſcientiæ ſpeciem pertinent, & perfectiſſima illius evidentia omnino conſtant abſtractarum ſcientiarum theoremata, & veritates, v. g. Geometriæ, Arithmeticæ, quæ neque a ſenſu, neque ab objectorum exiſtentia dependent: uno verbo, omnia intelligibilia, quæ clare percipimus, ſunt metaphyſice evidentia, omnino certa, & falſitatis prorſus incapacia.

402. *Evidentia ſenſuum*, ſeu *phyſica*, eſt illa, quæ intimo, & manifeſto ſenſuum teſtimonio innititur, & clara eorum perceptione conſtat, ſicut enim quamplurimæ ſunt veritates, quas nuncupamus abſtractas, ſeu intelligibiles, quæ pura, & ſola intellectione clariſſime cognoſcuntur, quin ullo modo in ſenſus agant, aut ab iis attingantur: ita etiam plurima alia ſunt, quæ ſolo ſenſuum miniſterio rationi innoteſcunt: qualia ſunt, Corpora circa nos exiſtere, a quibus multiplici ratione afficimur, odores, calores, lumen, ſolem, terram, mare, planetas, milleque id genus alia in mundo eſſe. Hæc ſcilicet ea ſunt, ut & ſolo ſenſuum teſtimonio cognoſcantur, & ea tamen claritate, atque evidentia percipiantur, ut de illorum veritate nullum nobis dubium ſuperſit. Quis enim eſt, aut fuit unquam vir cordatus, quantumvis omni Pyrrhonicorum, & Sçepticorum doctrina, &, ſi mavis, fanatiſmo imbutus ſtatuatur, qui ſeſe dolere, lætari, olfacere, audire, ſolem videre ſerio dubitaverit, dum in ſemetipſo intimo doloris, gaudii &c. ſenſu afficitur? Siquis tamen eſſet, qui ſerio ſe dubitare affirmaret, eſſent nec ne Corpora, ſol, terra, planetæ, hominesque etiam ipſi, quibuſcum ille interim ageret, & de hujuſmodi rebus altercaretur; eum ego pro lubito delirare, atque ſolivagum eſſe in natura permitterem: quandoquidem enim omnia extra ſe in dubium vocaret, meam etiam cum illo diſputationem ſomnium exiſtimaret.

403. Quæ hac ſenſuum evidentia certa ſunt, ita exiſtunt, ut abſolute quidem, & per ſummam Dei potentiam falſa eſſe poſſint, in hoc tamen rerum

rum ſtatu, & citra ullum omnino miraculum fallere nequeant: eſt dicere; per infinitam quidem Dei potentiam fieri poteſt, ut quæ mihi per ſenſus repræſentantur, non exiſtant; ut nullus circa nos illuminet ſol, girent circa tellurem cæleſtia corpora, mundusque materialis exiſtat, quantumvis eodem modo nos afficeremur, quo in hac rerum providentia in nos agunt. Evidentia igitur rationis evidentiam ſenſuum rei ipſius dignitate longe ſuperat; quæ enim prima evidentia conſtant, ut *Deum eſſe, animam cogitantem exiſtere, peccatum eſſe Deo impoſſibile*, ſunt neceſſariæ veritatis, eorumque falſitas eſt omnino impoſſibilis. Contra vero, *ſolem eſſe, terram ab hominibus habitari, dimidiam globi ſuperficiem eſſe fluidam*, ita ſolummodo certa ſunt, ut nulla naturali potentia fieri poſſit, ut error in iis lateat. Longe plura ſunt quæ evidentia ſenſuum, quam quæ evidentia rationis cognoſcimus: Rerum enim ſenſibilium exiſtentiam ſcientia, ſeu evidentia ſenſuum habemus, ſi & mentis, & Dei exiſtentiam excipiamus, quam ſola evidentia rationis comprehendimus, primamque intuitione, ſecundam vero demonſtratione percipimus: ſcientia autem, ſeu evidentia rationis rerum eſſentiæ, ceteræque abſtractæ veritates cognoſcuntur; quæ omnes, quamdiu in hac mortali conditione vivimus, longe pauciores ſunt, quam ſenſibilia objecta, quæ ad ſenſuum provinciam ſpectant. Omnes igitur obſervationes, atque experimenta phyſica, & quidquid ab iis evidenti ratiocinatione deducimus, ad ſenſuum ſcientiam pertinent.

404. Duabus hiſce mentis, aut objectorum ſcientiis ſua reſpondet in animo certitudo, quæ paucis explicanda eſt.

Certitudo duplici potiſſimum ſenſu communiter accipitur: 1°. pro illa intellectus, ſeu animi adhæſione, qua veritatem aliquam firmiter amplectitur; 2°. pro ipſamet propoſitione, ſeu aſſenſus noſtri objecto, quod aut evidens eſt, aut ratione probatur, & apparet verum. Primo ſenſu *certitudo* eſt firma ad propoſitionem, ſeu veritatem aliquam mentis adhæſio; qua ſcilicet citra omnem dubitatio-

tionem objecto aſſentimur. Secundo modo accepta *certitudo* eſt veritas, quæ aut ſuamet evidentia, aut ratione mentem ad firmum ſuimet aſſenſum determinat: utroque ſenſu certum eſt, nos cogitare, Deum eſſe, globum terreſtrem ex mari, & continenti eſſe compoſitum. Utroque etiam hoc ſenſu dividitur certitudo in metaphyſicam, & phyſicam; quæ perinde ut eorumdem nominum ſcientiæ, ſeu evidentiæ, diſcriminantur: Singulis enim iis ſcientiis, atque evidentiis ſuæ reſpondent certitudines, quæ in eo ab illis potiſſimum differunt, quod *evidentia* certitudinem ſibi reſpondentem contineat, ei tamen aliquid adjiciat; ita ut quidquid eſt evidens, ſit etiam in ſua ſpecie certum; ſed non e converſo. Quidquid etiam humanarum cognitionum naturalium eſt certum, aut eſt inſimul evidens, aut ab aliqua evidentia naſcitur: quæ enim naturali ratione certa ſunt, aut demonſtratione, aut evidentia conſtant: cum igitur omnis veritas demonſtrata evidentiæ innitatur; omnis etiam certitudo ab evidentia provenit. Certitudo rationis, ſeu metaphyſica illa eſt, quæ fallere omnino non poteſt, & qua quæ certa ſunt, fieri nequit, ut ſint falſa, neque, ut de iis dubium aliquod in animo eſſe poſſit: phyſica certitudo in eo ſtat, ut objecta ſecundum rerum naturam, & præſentem ſtatum neceſſario vera exiſtant, & firmum in animo aſſenſum ingenerent. Tam in evidentia rationis, quam in evidentia ſenſuum, duplex cognitionum ordo diſtinguitur; alia enim ſunt per ſe evidentia, alia vero ex aliis tantum evidenterconſtant: quidquid ſine ullo medio clare cognoſcitur, vel rationis, vel ſenſuum evidentia conſtet, eſt per ſe evidens: quidquid vero mediarum idearum opus habet, ut exacte demonſtretur, & ſciatur, id per ſe evidens non eſt, ſed demonſtratione tantummodo conſtat: omnia igitur illa, quæ mentis intuitione, intima conſcientia, aut ſenſuum perceptione cognoſcimus, ſunt per ſeſe ratione, aut ſenſu evidentia: Contra vero quidquid demonſtratione conficitur, vel rationis illa ſit, vel ſenſuum, immediatam ex ſeſe evidentiam non habet, ſed ab aliis

per

per ſe evidentibus mediarum idearum catenatione deducitur. Humanarum igitur cognitionum ad ſcientiam ſpectantium hic ordo ſtatui debet, quantum ad certitudinis, atque evidentiæ perfectionem attinet, primum inter illas locum habet *intuitio*, ſeu *ſcientia intuitionis*; ſecundo loco *demonſtratio rationis*, ſeu proprie dicta, atque *intima* etiam *conſcientia*; tertio loco ponenda eſt *ſcientia*, ſeu *evidentia ſenſuum*; quarto denique *demonſtratio phyſica*; quæ tamen poſtremæ longiſſimo intervallo a prioribus ſuperantur, ut diximus. Quæcumque clara mentis intuitione cognoſcimus, eum habent certitudinis, atque evidentiæ gradum, quem in hac vita ex viribus naturæ habere poſſumus maximum: illa omnia mentem noſtram ad ſui aſſenſum rapiunt; ſique aliqua in iis ineſſe poſſet fallitas, in ipſummet noſtræ naturæ auctorem referendum eſſet, quod fatali neceſſitate ſemper erraremus: quo nihil abſurdius excogitari poteſt: nos igitur exiſtere, eſſe res cogitantes, ab alio eſſe, & quamplurima alia ejuſdem farinæ majori, qua poſſunt, evidentia conſtant.

405. Omnis demonſtratio rationis, ſeu Geometrica, aut metaphyſica pari quidem certitudine, minori tamen claritate, atque evidentia ex ſe, conſtat: ex una enim parte earum falſitas eſt prorſus impoſſibilis; ex alia vero res demonſtratæ neque ſunt per ſe evidentes, neque ex ſe claræ, ſed ab aliis tantummodo ideis per ſe evidentibus ope mediarum idearum, & connexionum, quæ & ipſæ ſint intuitive certæ, deducuntur. Rem ita eſſe, facile ſuadebitur, quiſquis ad mentis ſuæ ſtatum animadvertat, dum primi, & ſecundi ordinis veritates illi proponantur: propoſitionem per ſe evidentem, ſimulac proponitur, omni firmitate, & claritate complectimur; ſi demonſtratione indigeat, eam enuntiaſſe non ſufficit; per mediarum idearum connexiones, quaſi per gradus ad propoſitionem evincendam pervenimus; neque id mero intuitu, ſed majori, minorive mentis conatu, attentioneque peragimus: atque in eo etiam viſitur ingenii ipſius acies, quæ ſubtilior, & firmior ad longiorem;

rem, quam ad breviorem idearum catenam, & ſeriem percurrendam requiritur. Qui ſcilicet profundius eamdem ideam enucleat, eamque pluribus ex partibus contemplatur, non modo plures ejuſdem ideæ connexiones detegit, ſed longius etiam conſequentiarum, ſeu mediarum idearum catenam deducit: & inde eſt, quod qui profundiori, & acutiori ingenio pollent, a ſimplici aliquando, & evidenti idea remotiſſimam, & reconditam deducunt conſequentiam, quæ non niſi per plures ambages, & intermedias ideas, craſſioribus ingeniis ignotas, interlucere poteſt. Præclarum hujuſce rei exemplum eſt mira illa propoſitionum, atque idearum ſeries, qua *Archimedes* ab ſimpliciſſimis principiis ad ſphæræ dimenſionem ſinthetica methodo pervenit, quæ rem ſedulo perpendenti maximum de hominis ingenio ſtuporem ingenerat. Atque hæc ſatis evincunt, omnes demonſtratione ab evidentia intuitionis ſuperari, & eo magis ab ſumma illa evidentia recedere, quo longius mentem catenationes idearum deducant.

406. *Evidentia ſenſuum*, *& demonſtratio phyſica* naturæ tantum ordinem reſpiciunt, & evidentiam naturalem continent, ut diximus: perinde autem prior poſteriorem evidentia ſuperat, atque ſcientia intuitiva demonſtrationem: quare clarius nos corpora eſſe, colorum, odorum, luminis ſenſum in nobis exiſtere percipimus, quam omnia animalia ex ovis originem ducere, gravia ad centrum telluris cadendo tendere; quorum prima ſenſuum evidentia, ſecunda vero phyſica demonſtratione conſtant.

407. Metaphyſicæ, atque phyſicæ ſcientiæ, & certitudini adjungi poteſt & alia, quæ *ſcientia*, *certitudo*, *demonſtratio*, *aut evidentia moralis* nuncupatur. Certitudo, atque evidentia moralis eſt quæ ex tot hominum teſtimoniis ducitur, ut de rei ipſius veritate nullus dubitare prudenter poſſit, attenta ſcilicet hominum indole, moribus aliiſque circumſtantiis, quæ humanæ fidei, & cognitioni pondus, atque firmitatem addere poſſunt: hac certitudinis ſpecie omnes tenemus fuiſſe olim Carthа-

thaginem potentiſſimam in Africa civitatem, & Rempublicam; tenemus etiam (qui rem ſenſu non percepimus) eſſe etiamnum ad orientalia Aſiæ littora ampliſſimum Sinarum imperium, & infinita hujuſce generis alia. Quæ morali certitudine firmantur, abſolute quidem, atque metaphyſice, poſſunt eſſe falſa, hiſce tamen moribus, atque indole, quibus homines præditi ſumus, & miraculo non interveniente, nullum erroris periculum eſſe poteſt, neque mentis aſſenſum iis humana ratio prudenter ſaltem negare valet. Evidentiæ igitur, & certitudini phyſicæ, ſeu ſenſuum æquiparari aliqua ratione poteſt evidentia, & certitudo moralis: illius quidem fundamentum exiſtunt præſentes naturæ leges ſenſibus cognitæ: iis ſtantibus, falſa eſſe nequeunt, quæ hac certitudine conſtant: Numinis tamen omnipotentia ſuperari poſſunt hujuſmodi leges, quod cum fit, mirabile in natura phænomenon ſupra illius vires peractum, *miraculum* nuncupatur: eoque proinde interveniente, lapſoque phyſicæ certitudinis fundamento, fallere hæc etiam poteſt. Moralis certitudo non in phyſicæ naturæ legibus, ſed in humanæ naturæ moribus, & conditione innititur: hac ſtante humani generis indole, moribus, & veritatis amore, fieri non poteſt, ut olim Romanum imperium non extiterit, tot nationum, atque ſcriptorum ætate, patria, legibus, moribus, affectibus, partiumque ſtudiis in ſe differentium teſtimoniis confirmatum: hi quidem humanæ naturæ mores, indoles, & conditio ſuprema Dei potentia, & miraculo (morali ſaltem) mutari poſſunt. Citra hujuſmodi tamen miraculum vera ſemper erunt, quæ morali hac certitudine conſtabunt. Sed de hiſce omnibus latius infra diſputabimus, cum de Criterio veritatis agemus.

408. Animadvertendum eſt, mentem humanam, quæ noſtra eſt hominum imbecillitas, rebus, ſeu propoſitionibus obſcuris & incertis multoties ita aſſentiri, illaſque ea adhæſione admittere, quaſi eſſent metaphyſice, phyſice, aut moraliter certæ, vel etiam evidentes: quod idem eſt ac dicere,

cere, mentem noſtram evidentia, & certitudine *apparentibus* multoties duci, & errorem pro veritatibus firmiter amplecti, ut inferius exponemus, cum de veritate apparenti ſermo fuerit.

§. IV.

De Probabilitate Rationis.

409. Poſt ſcientiam, ſeu cognitionem evidentem, aut demonſtrationem metaphyſicam, phyſicam, aut moralem explicanda ſequitur probabilitas, ſeu cognitio, judicium, atque aſſenſus probabilis. *Probabilitas eſt apparentia veritatis, atque mentis aſſenſus ob rationem, quæ neque parvi momenti, neque evidens, aut certa apparet.* Equidem ſcientia, atque cognitio certa, v. g., *quidquid cogitat, exiſtit; omnis creatura eſt ab alio*, aut in immediata rerum, ac idearum evidentia conſiſtit, aut rationi innititur, quæ & ſit, & appareat evidens, metaphyſice, aut phyſice pro varia ſcientiæ ipſius ſpecie: utrumque enim id requiritur, ut veritas aut per ſe evidens, aut demonſtrata & mentis noſtræ aſſenſum extorqueat, & certa in rebus exiſtat; ut videre eſt in omni geometricarum, aut moralium veritatum demonſtratione v. g., *ſuperficies ſphæræ cujuſcumque eſt æqualis* 4. *Circulis maximis ejusdem ſphæræ: omnes homines jure naturæ naſcuntur liberi.* Si igitur ratio, qua idearum connexio menti ſuadetur, certa non ſit, aut ut certa ſaltem non appareat, licet aliunde in re ſit vera; judicium illi innixum erit cognitio probabilis, dummodo ratio ipſa rem meditanti appareat vera, prudentique aſſenſu digna. Porro ipſummet probabilitatis nomen ſatis indicat, illam dici, atque eſſe propoſitionem, ſeu veritatem, quæ ratione probatur.

410. Probabilitas pluribus modis conſiderari, & dividi poteſt, 1°. in *probabilitatem rationis*, ſeu *naturalem*, & *probabilitatem fidei*, & *auctoritatis:* probabilitas rationis eſt, quæ naturali ipſarummet rerum, ſeu idearum connexioni intrinſecæ innititur;

tur; & idcirco *intrinſeca* etiam nuncupatur; propterea quod ratio, qua ad rem tenendam ducimur, ex rei ipſius natura, connexione, & intrinſeca conſtitutione petatur. Probabilitas vero fidei eſt, cujus tota judicandi ratio ab hominum auctoritate petitur, eſtque proinde rebus ipſis extrinſeca: utraque probabilitatis ſpecies ampliſſimum habet uſum per totam hominis vitam, ut ſtatim dicemus: ad primam, quam modo explicamus, omnia illa hominum judicia probabilia, & opiniones ſpectant, quas de rerum naturis, effectibus, cauſſis, artibus, ſcientiis elicimus, quin ad teſtium fidem confugiamus, v. g. *plantas omnes ex ſemine generari*, *rationem ſexus in iis ſervari*, *nullum Europeis jus fuiſſe ad Americanarum gentium terras invadendum* &c. Contra quæ ad hiſtoriam pertinent, milleque alia ſola teſtium auctoritate ſuffulta *Fidei* juris ſunt.

411. Probabilitas & rebus ipſis, ſeu *objectis*, & mentalibus etiam propoſitionibus competit: primaque dicitur *probabilitas objecti*, quæ omnibus iis objectis convenit, quæ ratione probantur, & apparent vera v. g. *aliquas eſſe ideas innatas*; *terram noſtram eſſe verum planetam per ampliſſimam orbitam circa ſolem girantem*: illa autem mentis judicia, quibus probabili objecto aſſentimur, ſecunda probabilitate gaudent, quæ *mentalis* nuncupatur. Ex data a nobis probabilitatis notione plurima inferuntur, quæ rem ipſam ulterius explicabunt. 1°. Probabilitas falſitati non opponitur: quin immo cum probabilia probabilibus opponuntur (quod ſæpiſſime fit) v. g. eſſe in planetis habitatores, quod probabiliter adſtruitur, & negatur, alia pars neceſſario eſt falſa: eſſe enim probabile non eſt eſſe verum, ſed apparere ob rationes, quæ rem conficere videantur. Eſſe neceſſario *verum* uni tantum ſcientiæ competit, moraliter nimirum, phyſice, aut metaphyſice pro diverſa harum ſcientiarum natura, ut jam probavimus. In rebus igitur omnibus ad theoriam, vel uſum ſpectantibus, in quibus judicia noſtra probabilitatem non tranſcendunt, neque nimis fidenter, & tenacius, quam

par eſt, ſenſui noſtro adhærendum, neque oppoſitæ aliorum ſententiæ, ſi quæ ſint, deſpiciendæ; cum neque de noſtrorum judiciorum veritate, neque de aliorum falſitate certi vivamus; & multoties fiat, (quæ humanæ mentis conditio, atque imbecillitas eſt!) ut quæ minus apparent probabilia, debilioribuſque fundamentis innituntur, & hinc præ aliis deſpiciuntur, vera tandem ſint, atque deprehendantur: proprium igitur, in quo ſemper verſamur, errandi periculum, & conſcientia perpetua nobis eſſe debet modeſtiæ lex, atque commendatio. 2°. Alia vero ex parte cum ex ipſamet probabilitatis notione nihil ſit probabile, niſi quod ratione, & apparentia veritatis ſuadetur; facile inde deducimus, prudenter homines ſtatuere, atque agere, dum probabilitate ducuntur. Sicut character humanæ ſcientiæ proprius eſt veritas, ſic etiam prudentia eſt propria probabilitatis nota. Ita ſane communi omnium judicio, atque intimo conſcientiæ noſtræ teſtimonio, rerum omnium, quas vel evidentia, vel demonſtratio evincit, certi omnino vivimus, & veritatem aſſequimur; dum vero iis ſolum rationibus ad res credendas, tenendas, & agendas ducimur, quæ evidentes, aut certæ non appareant, gravis tamen in ſe ponderis exiſtant, prudenter quidem nos agere non dubitamus; quantumvis a veritate multoties nos forſitan deflectere fateamur.

412. 3°. Hinc igitur fere ſemper accidit, ut qui profundius tot oppoſita hominum judicia probabilia paſſim circa res fere omnes occurrentia penetrant, eorumque rationes penitius enucleant, modeſtius de ſe ipſis ſentiant, oppoſitum tenentes non inſectentur, deque hominum litteratura non parum diffidant: quod ſcilicet & rerum momenta, & momentorum levitatem inſpiciant, nihilque proinde inveniant, quod aſſertæ veritatis teſſera eſſe poſſit. Contra qui rerum tantum ſuperficiem, & leviter quidem perſtringunt, mirum eſt, quonam ſupercilio proprium ſenſum venditent, oppoſitaſque opiniones ſugillent.

413. 4°. Ex eadem probabilitatis notione præter

ter alia hoc etiam ſequitur, quotidiana experientia demonſtratum, de una ſcilicet eademque propoſitione alium quidem habere ſcientiam, alium vero opinionem, alios conjecturam, dubium, ignorantiam, aliumque tandem rem exiſtimare impoſſibilem; per tot enim gradus mens humana a ſumma rei evidentia, & certitudine paullatim ad rei ipſius impoſſibilitatem deſcendendo pervenire poteſt. Exemplo ſit qui ſupra montium *Andes* cacumina in Quittenſi Regno conſcenderunt, & diuturno tempore phyſicarum obſervationum gratia ſubſtiterunt; intenſiſſimum illic in medio Zonæ torridæ frigus ſemper eſſe, quale vix in Laponia deprehenditur, evidentia ſenſuum agnoverunt; qui *Antonii de Ulloa* hiſtoriam legimus, eadem morali certitudine tenemus; ſi duo alii rem credant, alius quidem noſtra ſolummodo fide ductus, alius vero quod atmoſphæræ noſtræ munera, proprietates, & frigoris gradus a telluris ſuperficie aſcendendo ſemper creſcentes, peſpecta omnino habeat; primus quidem humana fide, ſecundus opinione; uterque probabili judicio rem tenet: interim plurimi Zonæ torridæ incolæ, & calore ſemper æſtuantes rem dicent, unus quidem vix conjectura dignam, alter dubiam, quamplurimi falſam, antiqui omnes Græci, & Romani impoſſibilem. Ex vario adeo veluti conſpectu diverſi homines unum idemque objectum adſpiciunt, atque de illo pro apparentiarum varietate varie ſentiunt. Id ſcilicet ex mentis noſtræ, & probabilitatis potiſſimum natura deſcendit, ut de objectis, prout illa menti noſtræ appareut, atque proponuntur, ſententiam feramus. Atque multiplex hoc de eodem objecto a diverſis hominibus judicium, & rationis connexionis, atque veritatis apparentia non ſolum a varia diverſorum hominum perſpicacia, ſcientia, præjudiciis, ignorantia, & mille id genus aliis dependet, ſed etiam a diverſa fundamentorum, atque rationum natura, quibus ducimur, ut objecto aſſentiamur, aut diſſentiamus: quod quidem fuſius explicari oportet.

414. Probabilitatis rationis, de qua modo ſo-

lum agimus, univerſale fundamentum eſt *Analogia*; ſicut probabilitas fidei pro univerſali etiam fundamento habet auctoritatem. *Analogia*, ut id etiam obiter dicamus, quantum ad rem præſentem facit, alia eſt *rationis*, alia *phyſica*, & *ſenſibilis*. *Analogia* generatim eſt conformitas, atque ſimilitudo rerum, effectuum, cauſſarum: argumentamur ergo ab analogia, cum ab conformitate rei cum iis, quæ ratione, aut ſenſibus agnoſcimus, eamdem in utriſque eſſe naturam, aut leges deducimus. *Analogia rationis* eſt convenientia idearum, ſeu rerum intelligibilium inter ſe, ita ut quod de una affirmamus, de alia etiam ob convenientiam, & ſimilitudinem dicendum exiſtimemus. Ita quoniam novimus animam noſtram eſſe rem cogitantem, omnis materiæ expertem, ſemper cogitare, quamdiu per materialium ſenſuum hebetudinem, atque obſtructionem non impediatur; de Angelo, quem eſſe ſpiritum altioris ordinis, nullique materiæ alligatum aliunde novimus eadem illa ſed eminentiori gradu tribuimus, ſemperque cogitare, aliaque multa agere inferimus, quandoquidem a materialibus ſenſibus non impediatur. *Analogia ſenſuum*, ſeu phyſica, eſt proportio ſimilitudinis, atque conformitas inter phyſicarum rerum ſenſibiles effectus, cauſſas, mechaniſmum, leges, qua ſponte ducimur, ut credamus earum rerum eamdem eſſe cauſſam, aut naturam: quoniam v. g. lucem cum ſono, colores cum tonis, tabulam pictam cum harmonia, picturam cum Muſica, colorum confinia, & gradus cum tonorum etiam gradibus ſcrupuloſe conferentes, easdem ubique leges, phænomenorum proportionem, effectus deprehendimus, eumdem etiam eſſe utriuſque ſeriei rerum cauſſam & naturam concludimus. Duplex hæc analogia, univerſale omnium probabilium fundamentum, ex duplici etiam veritatis, & naturæ lege derivatur: 1ª. *Quæ nos clare percipimus, ſunt vera & certa; itaque ſumus a Deo comparati, ut clare perceptis neceſſario aſſentiamur*: quidquid igitur ita ratione percipimus, ut cum clare viſis, ſeu perceptis analogiam habeat, hoc eſt, veritati ſimi-

ſimile appareat, & ad veritatem accedere videatur, id etiam nos firmius, vel debilius pro ſimilitudinis ratione amplectimur: cum ea ſit mentis noſtræ indoles, ut id pro vero accipiat, quod verum apparet: quæcumque autem ad certitudinem, & evidentiam ſimilitudine accedunt, vera proculdubio apparent.

415. Secunda regula eſt, *Naturam ſimplicibus, atque uniformibus legibus agere, hoc eſt, Deum ea legum ſimplicitate, atque uniformitate rerum univerſitatem condidiſſe, ut illa, quorum effectus, leges, phænomena, apparentia eſſent eadem, aut valde ſimilia, in natura etiam, intimaque conſtitutione, & cauſſa convenirent, quantum ſimilitudo effectuum requirit.* Ita ſi eamdem in animalibus, atque in hominibus eſſe organorum ſtructuram, motus &c. deprehendimus; easdem etiam utrobique eſſe ſenſuum functiones deducimus.

416. Jam vero omnia probabilia ad duplicem & ordinem & fontem reducuntur: alia ſcilicet probabilia ad puram rationem, alia vero ad ſenſum pertinent: ſicut alia ſunt certa evidentia, & certitudine rationis, alia vero evidentia, & certitudine ſenſuum: ad primam claſſem omnia illa ſpectant, quæ ratione, & idearum connexione apparent vera, ac proinde analogia rationis eſt fundamentum omnium probabilium, quæ ad ſenſum non pertinent: Secunda autem, hoc eſt, analogia ſenſuum, ſeu analogia cum ſcientia ſenſuum eſt univerſale illud argumentum, quo veritates *facti*, ſeu ad rerum exiſtentiam pertinentes probantur.

417. Utraque pars rem mihi meditanti ita probari videtur: omnis humana cognitio naturalis certa ad alterum horum duorum capitum reducitur, evidentiam vel demonſtrationem rationis, evidentiam vel demonſtrationem ſenſuum: duplex hic eſt omnis humanæ certitudinis cardo: cum omnes veritates certo a nobis cognitæ vel pura ratione, vel ſenſu percipiantur. Simili autem modo omnia mentis noſtræ objecta naturalia, quæ ſcientia non attingimus, ad eadem illa capita, rationem, & ſenſum revocantur: omnia igitur objecta

probabilia ratione, aut ſenſuum perceptione probantur; & eatenus probabilia ſunt, atque vera apparent, quatenus in duarum illarum linearum altera ad certitudinem rationis, aut ſenſuum accedere videntur, & ſimilia iis apparent, atque repræſentantur, quæ certa nobis rationis, aut ſenſuum perceptione conſtant. Equidem mentem ego noſtram, & humanas cognitiones meditando contemplans, facile animadverto duplicem eſſe noſtrarum cognitionum naturalium ordinem, duplicique modo objecta ſeſe nobis exhiberi, ratione nimirum, & ſenſu, ut jam dixi; in utraque autem linea longam eſſe diverſarum cognitionum ſeriem a ſumma evidentia uſque ad perfectam ignorantiam gradatim deſcendentium: primum ſeriei caput (ut in linea ſenſuum exemplum proponamus) eſt ſenſus evidentia, qua objectum aliquod percipimus; evidentiam excipit demonſtratio phyſica rei ejuſdem veritatem conficiens; poſt demonſtrationem probabilitas, ſeu judicium probabile, quo prudenter quidem, minime tamen ſecuri ſententiam de objecto ferimus: a probabilitate (quæ plurimos habet gradus) incipit conjectura, quæ ſuam etiam habet latitudinem, & per plures etiam gradus deſcendit: conjecturam ſubſequitur dubium poſitivum, ſeu rationum equilibrium; a dubio poſitivo negativum, a negativo ignorantia, ab ignorantia falſitas, ſeu cognitio, qua objectum falſum eſſe, vel etiam impoſſibile cognoſcimus. Eadem eſt in alio cognitionum ordine graduum ſeries. 1°. Noſtra, & reliqua corpora prope telluris ſuperficiem conſtituta perpendiculariter ad horizontem cadere, evidentia phyſica novimus: 2°. verſus centrum globi tendere, phyſice demonſtramus: 3°. ſupra telluris atmoſphæram poſita verſus eumdem globum deſcenſura exiſtimamus: 4°. ſi propius ad lunam, quam ad terram exiſtant, verſus lunam lapſura conjicimus: 5°. ſi inter lunam & terram in diſtantiis, quæ ſint maſſis inverſe proportionales, ſtatuantur, quo deſcenderent, dubitamus: 6°. utrum in lunam delati æque bene in luna, atque ſupra terram viveremus, omnino ignoramus; bene

fore

fore nobis in ſole, falſum, atque impoſſibile exiſtimamus.

418. In hiſce omnibus mentis ſtatibus gradatim ſemper cognitionum claritas deſcendendo minuitur, quoad in oppoſitum, in tenebras, falſitatem & lumen oppoſitum abeat: quia poſt primum illud evidentiæ lumen res minus ſemper & minus clare veritati apparet ſimilis. Hanc noſtrarum cognitionum tabulam contemplans, humanam ego mentem mihi repræſento veluti exiguam lucernam immenſa objectorum, & ſpatiorum vaſtitate circumdatam, a qua ſenſim recedendo debilius ſemper & debilius objecta illuminantur: dicam potius, a merediana luce ad veſpertinam, ad crepuſcula, ad lucem noctis malignam, ad tenebras, ad oppoſitum matutinum creſpuculum, & lucem ſenſim & ordine me tranſire imaginatione mihi fingo. Porro corpora ſupra telluris atmoſphæram poſita in eumdem adhuc globum deſcenſura arbitramur, quod in allato exemplo probabile diximus, eo quod ſimilis videatur eſſe corporum ratio, ſtatus, & vires in magna, atque in parva a globo diſtantia, in qua eorumdem corporum lapſum evidentia, aut demonſtratione novimus. Rem ſimiliter videre eſt in ſoni, atque lucis exemplo ſuperius adducto: ſoni ſcilicet cauſſam, mechaniſmum, leges, & phænomena phyſice novimus; quoniam maxima eſt inter lucem, colores, tabulam pictam, picturam, atque inter ſonum, tonos, harmoniam, muſicam ſimilitudo, theoria &c., eamdem utrobique eſſe cauſſam, & mechaniſmum phyſicæ analogiæ argumento concludimus. Evidentia igitur, aut demonſtratio eſt clariſſima veritatis intuitio, qua perſpicue veluti per ſolare lumen veritatem intuemur, quin ullus dubitationi relinquatur locus; probabilitas autem eſt ſubobſcura quædam objecti intuitio, atque perceptio, quaſi per rariora, denſiorave crepuſcula rem aſpiceremus: quo quidem aſpiciendi modo neque clare rem intuemur, neque dubium omne depellimus.

419. Omne igitur illud, quod inter clariſſimam lucem diurnam, atque malignam nocturnam,

hoc eſt, inter ſcientiam, & conjecturam intercedit, ad probabilitatem ſpectat: inter hoſce autem limites quamplurimi ſunt probabilitatis gradus; & multiplex diſcrimen, ut ex adducto decreſcentis luminis exemplo perſpicue animadvertimus: ſunt clariores, ſunt etiam obſcuriores analogiæ tum phyſicæ, tum rationis: aliæ quidem propoſitiones ſecundum plura capita, aliæ vero ſecundum pauciora aliis veritatibus ſimiles apparent, quas nos clare percipimus, & certas eſſe agnoſcimus. Magna quidem illa operationum analogia, quæ inter hominum, & belluarum ſagacitatem, ac cognitionem intereſt, luculentiſſima probabilitate conficit, animantia bruta non eſſe puras machinas, ſed principium aliquod in iis eſſe percipiens, animabus noſtris non penitus diſſimile, quantumvis alterius ordinis exiſtat: lunam etiam, & planetas reliquos in bene multis eſſe telluris globo ſimiles, aſtronomicis obſervationibus edocemur: quoniam tamen in primo longior, clarior, & evidentior eſt analogia; obſcuriora vero ſunt in ſecundo exemplo omnia ſimilitudinis capita; prior propoſitio in probabilitatis gradu a demonſtratione phyſica non admodum remoto conſtituitur, ſecunda vero probabilitate conjecturam parum ſuperante donatur. Rerum igitur dubiarum probabilitas, vel ad rationem, vel ad ſenſuum provinciam ſpectet, ex duplici hoc capite augetur, aut minuitur, ex numero ſcilicet earum idearum, & capitum, quibus propoſitionis probabilis analogia ad aliquam veritatem certam accedit, cum illaque convenit: 2°. ex majori minorive claritate, qua eadem illa analogia, & veritatis, atque certitudinis ſimilitudo menti apparet. Rem in plurimis paſſim exemplis animadvertimus: analogiam inter ſonum, & lucem ſuperius indicatam per 20. fere capita in Phyſica Viventium proſequimur; brutorum etiam animantium cum homine ſimilitudo, quod vim percipiendi, & ſagacitatem attinet, ad quamplurima etiam capita extenditur, in iiſque omnibus clariſſime apparet: utrumque igitur eſt maxime probabile, poſterior autem priorem ſuperat, propterea quod analogia æque producta clarius

ap-

appareat, quam prima. Animam noſtram cogitantem non poſſe eſſe materiam, intima conſcientia cognoſcimus; & hinc in animantibus brutis aliquid eſſe prærer materiam ex analogia actionum clare percepta deducimus.

420. A demonſtratione igitur, & certitudine uſque ad conjecturam probabilitates ex duplici illo capite gradatim decreſcunt: & ſicut circa unum idemque objectum diverſiſſimi ſunt in diverſis hominibus cognitionum, probabilitatum, aliorumque humanæ mentis actuum gradus, & diverſitas; ita unius ejuſdemque hominis mens magno probabilitatum diſcrimine diverſas propoſitiones amplectitur, aut rejicit (probabilitas ſcilicet tam rationis aſſenſum, quam diſſenſum comprehendit). Porro eamdem probabilitatum proportionem ſequuntur etiam aſſenſuum gradus, firmitas, aut imbecillitas a certitudine uſque ad conjecturam, immo etiam uſque ad æquilibrium, dubium, & ignorantiam: prout ſcilicet duplex analogia, ſeu probabilitatis fundamenta magis ab evidentia, ac demonſtratione, ſummæ adhæſionis fundamentis, recedunt, debilius etiam propoſitionibus adhæremus. Neque in iis ego locis perpendendis immorabor, e quibus probabilitatis argumenta deſumuntur: unum enim nobis impræſentiarum ſatis eſt, omnia ea loca ad analogiam tandem reduci, quod demonſtratu facile eſſet: præcipue de iis, quæ ad naturalem, ſeu rationis probabilitatem pertinent.

421. Jam vero quam late pateat in præſenti vita probabilitatum uſus, ii ſolum ignorant, qui humanæ mentis vires, & ſtatum non meditantur; maxima noſtrarum cognitionum pars, non earum modo, quæ ad ſcientias, & in pura contemplatione conſiſtunt, ſed illarum præterea, quæ ad actionem, & vitæ uſum pertinent, intra probabilitatis limites comprehenduntur. In primis enim infinita fere ſunt, quæ ſolo hominum teſtimonio, traditione, & hiſtoriæ fide tenemus, ita ut uno hominum teſtimonio ducti non modo præterita omnia facta, ſed innumera vel ad doctrinam, vel ad uſum ſpectantia probemus, rejiciamus, ſequamur, ut fuſius

ſta-

ſtatim proſequemur. Deinde eorum etiam, quæ non humano teſtimonio, ſed intrinſecis argumentis, ſeu analogia probamus, ſi pauca excipias, reliqua omnia, quæ tenemus, aut agimus, probabilia tantum exiſtunt. Ut id ad evidentiam doceamur, ſatis eſt ſcientias omnes (ſi matheſim excipias), & morum etiam doctrinam univerſas hominum actiones morales comprehendentem perpendere: ubivis enim diverſiſſima hominum judicia, opiniones, & ſententias offendimus. Si tot diverſarum nationum, quotquot per univerſam noſtri globi ſuperficiem ſparſæ vivunt, mores, leges, ſenſum, & cogitandi rationem perpendamus; vix ullum invenimus naturale doctrinæ morum, aut religionis naturalis præceptum (quantumvis alias certiſſimum) quod in dubium ab aliquibus non vertatur. Ad ipſas etiam quotidianas actiones, ad quas pro vario humanæ vitæ inſtituto eliciendas proprio arbitrio determinamur, id plerumque eligimus (cum prudenter operamur) quod veritati quidem ſimile, minime tamen certum apparet: ut unuſquiſque noſtrum in ſemetipſo paſſim animadvertit. In fere omnibus igitur humanæ vitæ conditionibus, & caſibus probabilitas, ſeu veritatis apparentia eſt ſcientiæ ſupplementum; luminoſam ſcilicet illam mentis faculam, qua objecta clare videmus, plerumque deſideramus, unum illud ſupereſt, ut per media crepuſcula, atque malignam lucem tentando viam quæramus, & noſmetipſos dirigamus. Sed inter innumeras etiam illas humanæ mentis cognitiones tantum probabiles, quibus in hac vita ducimur, & ſecundum quas actiones noſtras, omnemque fere vitam tranſigimus, multiplex diſcrimen intercedit: Sunt, quas aliquando examinamus, atque examinatas deinceps tenemus: Sunt etiam (harum vero numerus eſt prope infinitus), quas nulli umquam examini ſubjectas, ideo ſolum tenemus, quia vel inter contribules noſtros, vel eo loci, quo vivimus, probari, aut ſupponi plerumque videmus. Quidquid vulgus, indoctique homines, hoc eſt, omne fere humanum genus ſapit, ad hoc caput reducitur: ita ſcilicet ho-

homines vivunt, quia ita vivendum eſſe aut alii communiter dicunt, aut ita fert conſuetudo. Magna etiam eorum pars, quæ homines alioquin docti ubicumque terrarum, & in omnibus nationibus communiter tenent, eadem ratione ab iis accipitur, & ad mortem uſque ſervatur: neque aliter per humanam conditionem, mentis noſtræ imbecillitatem, per moleſtos totius vitæ labores, atque difficultatem fieri ut plurimum poteſt. Quandoquidem enim *vivere eſt agere*, atque ad perennem, & ſucceſſivam actionum ſeriem una cum tempore rapidiſſime dilabentem propria conditione adigimur; innumera ſunt prius agenda, quam agendi rationem perpendere, remque ipſam examinare homines poſſint. Atque in humana hac ignorandi neceſſitate, ubi de religione non agitur, *prudentiorum, atque ſapientiorum dictamina, patriaſque leges ſtudioſe ſequi*, regula eſt ab omnibus ſervanda. Quæ ad religionem ſpectant, ejus ſane momenti ſunt, ut unicuique etiam de re graviſſima, quæ omnes æque & propius tangit, & ad æternam felicitatem, aut miſeriam ducit, ſerio meditari opus ſit. Neque data regula extra Chriſtiani nominis fines locum habere poteſt; ne oportere dicamus eſſe hominem in Japona idolatram, inter Sinas Atheiſtam, Mahometanum apud Turcas, ſine ulla religione inter plures Americæ populos. Sed hæc alio remittamus.

422. Probabilia tandem, quæ aliquando examinavimus, aut in nobis gignunt probabilitatem *actualem*, aut *habitualem*: *probabilia actu* dicimus, quorum rationem, & momenta rem ſuadentia mente tenemus; *habitualia* vero contra, quæ quidem olim perpendimus & probavimus, modo tamen rationibus e memoria obliteratis, propoſitionem ſolummodo tenemus, eamque olim a nobis probatam fuiſſe recordamur. Utraque ad prudenter agendum ſatis eſt, & altera ſaltem requiritur, cum major deſideratur certitudo. Porro eorum omnium, quæ non ignoramus, præſentem cognitionem, & probabilitatem habere, atque diuturno tempore ſervare, noſtræ hominum conditionis non eſt, dum in vi-

vis

vis agimus: aliæ aliis cedunt in humana mente, atque memoria rerum ideæ, quæ & ipſæ a ſupervenientibus aliis oblitterantur: unde illud eſt univerſali experientia comprobatum, quod quamplurimæ propoſitiones ad ſcientias, ad artes, humanumque commercium, atque ſocietatem ſpectantes, & magni ponderis rationibus innixæ, quarum momenta tenebamus, cum primo memoriæ mandavimus, ita poſtea a memoria excidant, ut aſſertarum quidem rerum, ſeu propoſitionum recordemur; rationum tamen penitus obliviſcamur. Probabilitas igitur habitualis longo intervallo præſentem ſuperat: innumeraque paſſim in totius vitæ decurſu occurrunt neceſſario a nobis agenda, de quibus habitualem tantummodo cognitionem, atque probabilitatem habemus. Neque dici poteſt, imprudenter nos agere, dum hujuſmodi probabilitate ducti ad agendum determinamur, eamque in agendo ſententiam præferimus, cujus olim rationes ſcrupuloſe diſcuſſimus, probavimus, dignaſque exiſtimavimus, quibus humana conſilia inniterentur. Niſi ita eſſet, aut pauca omnino ageremus, & univerſalem fere Scepticiſmum amplecteremur; aut imprudenter nos fere ſemper agere fatendum eſſet. Probabilitas igitur præſens, quæ habituali præferri ſemper debet, &, dummodo id fieri poſſet, ubique eſſet quærenda, ad rem primo amplectendam, ſententiam, atque dictamen efformandum requiritur, habitualis ad rerum ſummam nobis conſervandam inſervit.

423. Atque hæc de probabilitate dixiſſe ſufficiat: de cetero tamen notiſſimum hoc inter præſentem, & habitualem cognitionem diſcrimen, & uſus, non rebus tantum probabilibus, ſed ſcientiæ etiam, & aliis humanæ mentis cognitionibus convenit. Integrum *Euclidem*, *Archimedem*, Geometriam olim v. g. demonſtravimus; quam plurimorum theorematum demonſtrationes deinceps memoria exciderunt, nec niſi veritatum ipſarum recordamur: quanta enim vero hujus generis unuſquiſque noſtrum experitur.

§. V.

§. V.

De Fide, ſeu de Probabilitate auctoritatis, & extrinſeca.

424. *Fides* alia eſt humanarum cognitionum pars, quæ æque atque ratio extenditur, infinitum pene in humanis habet uſum, per eoſdemque gradus a ſumma certitudine uſque ad dubium, falſum, impoſſibile deſcendit: quidquid enim cognoſcimus, probamus, rejicimus, aut ex argumento intrinſeco, ſeu naturali idearum connexione, aut ex ratione extrinſeca, ſeu aliorum relatione habemus: primum autem *ratio*, ſeu *naturalis cognitio*, ſecundum *Fides* nuncupatur. Naturales noſtræ mentis cognitiones intrinſecis rerum idearumque connexionibus innixas a ſumma rationis evidentia uſque ad impoſſibile hos præcipue gradus comprehendere, *evidentiam rationis*, *demonſtrationem metaphyſicam*, *conſcientiam*, *evidentiam ſenſuum*, *demonſtrationem phyſicam*, *multiplices probabilitatis gradus*, *conjecturam*, *dubium*, *ignorantiam*, *falſitatem*, *impoſſibile*, eaſque eſſe omnium humanarum cognitionum ſpecies, quæ ex rerum connexione deducuntur hactenus probavimus. In alio etiam humanarum cognitionum ordine, & veluti provincia, quæ tota extrinſeco argumento, aſſerentis ſcilicet teſtimonio, nititur, & *Fides* inde nuncupatur, iidem fere ſunt gradus, ſi ſummam illam rationis evidentiam, & demonſtrationem excipias, quæ in fide deſideratur. Sua ſcilicet eſt in fide certitudo, moralis evidentia, atque demonſtratio, probabilitas, conjectura &c.

425. *Fides* generatim ſumpta eſt *aſſenſus alicui propoſitioni ob extrinſecum tantummodo aſſerentis teſtimonium præſtitus*; quin rei ipſius veritatem in ſe ipſa naturali mentis lumine videamus, aut tandem ex aliis ſola idearum connexione, & cognitione deducamus; ſeu fides eſt, propoſitionem tamquam veram admittere non ex aliqua evidentia, demonſtratione, aut analogia naturali, ſed ex eo, quod rem ab eo accipiamus, cujus & bonitas, &

& ſcientia pondus apud nos habent: unde patet diſcrimen inter fidem, atque rationem: Ratio enim abſolute accepta, prout opponitur fidei, eſt inventio veritatis, ſeu propoſitionis ob connexionem idearum naturali modo acquiſitarum, v. g. hominem cogitantem exiſtere, ſola ratione concludimus, quia ſolo mentis lumine connexionem naturalem inter duas *cogitationis*, & *exiſtentiæ* ideas naturali modo a nobis acquiſitas videmus: contra vero humana Corpora poſt mortem iterum reſurrectura, neque in re ipſa videmus, neque ex aliis ideis deducere poſſumus, ſed ſola revelantis Dei auctoritate credimus. Ea igitur ſcimus, quæ evidentia rationis, aut ſenſuum, aut conſcientia, aut demonſtratio, ſeu ratiocinium ex iis deductum conficiunt: contra vero ea credimus, quæ non evidentia rationis, aut ſenſuum, non conſcientia, neque demonſtratio (quantum ſaltem ad fidei actum ſpectat) ſed ſola aſſerentis auctoritas perſuadet.

426. Præter primum hoc fidei a ratione diſcrimen, duo alia ab ipſamet illius notione deſcendunt: *primum*; Omnem fidei aſſenſum eſſe ex natura ſua obſcurum: cum ex adverſo ratio ex genere ſuo clariſſima ſit, aut eſſe poſſet, niſi rerum obſcuritas, & humanæ mentis imbecillitas obſtaret; rem enim ſola fide, hoc eſt, alterius teſtimonio notam non ex ipſiuſmet viſceribus dignoſcimus, aut in ſuimet natura inſpicimus, ſolo externo teſtimonio contenti. *Secundum*; Fides tamen, quantumvis obſcura, cum ratione non ita opponitur, ut eademmet veritas, aut propoſitio & fide, & ratione conſtare non poſſit. Rem videre eſt in *Dei exiſtentia*, quam & revelatam a Deo fide credimus, & ratione demonſtramus: quandocumque veritas aliqua ex utroque capite conſtet, illam quidem ex aſſerentis auctoritate veram admittimus, quin ex illo capite rem clare videamus; ex rationis autem demonſtratione non modo certitudinem, ſed claritatem etiam habemus.

427. *Fides* in *Divinam*, & *humanam* dividitur: *Fides Divina* eſt aſſenſus veritati a Deo revelatæ præſtitus ab ſolam revelantis Dei auctoritatem:

tem: *humana* autem *fides* eſt aſſenſus humano teſtimonio innixus. Utraque eſt actus ex ſe obſcurus, aſſenſus nimirum rei non clare perceptæ, ob ſolum externum teſtimonium præſtitus. Potiſſimum utriuſque diſcrimen eſt, quod divina revelationi Dei, ſummæ ſcilicet, & infinitæ Sapientiæ, & Bonitatis teſtimonio, ac proinde ſumme vero, & certo innitatur; humana vero humano, hoc eſt fallaci, cujus nimirum auctores & fallere, & falli facillime poſſunt. 2. Ex primo hoc diſcrimine derivatur etiam & alterum, quod ſcilicet fides divina ſit certiſſima, & ſummæ veritatis; humana autem fallax. Manifeſtum id erit, ſi principium inquiramus, unde & fidei, & rationi, hoc eſt, omni humanæ cognitioni veritas proveniat, rationemque & fidem iterum conferamus.

428. Fundamentum omnium cognitionum naturalium, ſcientiæ, opinionis eſt ratio ipſa, hoc eſt, evidentia, demonſtratio, perceptio, analogia: quæ omnia ſunt teſtimonium naturæ, ſeu rationis: fundamentum fidei eſt teſtimonium auctoritatis: primum illud veritatum, & cognitionum naturalium teſtimonium multiplex eſt, evidentiæ nimirum, conſcientiæ, rationis, ſenſuum; atque hæc omnia ſunt certitudinis teſtimonium: analogia vero aliud eſt naturæ teſtimonium, quod certitudini impar probabilem tantummodo ſententiam fundat. Contra vero Fidei fundamentum eſt teſtimonium auctoritatis, cujus veracitas, pondus, atque certitudo ex hac univerſali regula dignoſcitur.

Regula.

424. *Certitudo, atque veracitas fidei habet pro menſura probitatem, & ſapientiam auctoris; ſeu eſt in ratione probitatis, & ſapientiæ auctoris.* Regula ipſomet rationis lumine demonſtratur: Pro majori enim auctoris ſcientia, & probitate difficilius ſemper eſt aut ipſum ab aliis falli, aut alios fallere: primum ſcilicet eſt ignorantiæ, ſecundum malitiæ argumentum; quo major igitur fuerit ſcientia, & probitas, minus ſemper erit erroris periculum. Et

hinc

hinc ſi in veritatis aſſertore ſit ſumma, atque infinita ſapientia, atque probitas; erit illius teſtimonio falſitas quidem impoſſibilis, veritas, atque certitudo neceſſaria: alia omnia ſunt in hominibus, in quorum teſtimonium ob infirmitatem ſcientiæ, & probitatis defectum irrepere poteſt falſitas.

430. Et hæc quidem regula eſt, atque menſura veritatis, atque certitudinis fidei: quod tamen aſſenſus firmitatem attinet, alia ulterius regula ſubjungenda: *eſſe ſcilicet aſſenſus firmitatem, ut exiſtimatio de auctoris doctrina, atque probitate in credentis mente*. Summa enim ſit, aut eſſe debeat aſſerentis auctoritas ob ſcientiæ, atque probitatis meritum; erit quidem aſſerta ab illo propoſitio certiſſima: niſi tamen parem nos de illius auctoritatis merito exiſtimationem habuerimus, aſſenſus noſtri firmitas, atque adhæſio teſtimonii merito non reſpondebit.

431. Atque ex his facile patet, *Fidem divinam* ſuo in genere ſummæ ſcientiæ naturali comparari poſſe; *humanam* vero, & moralem certitudinem, & probabilitatem pro vario illius diſcrimine conſtituere. Ut tamen de fide Divina ſingillatim pauca loquamur; Fides Divina majorem, quæ fieri poſſit, certitudinem, atque veritatem in ſe habet. Id ex data modo regula evidenter deſcendit: contradictionem enim implicat, Deum, qui per naturam eſt ipſamet ſumma, atque infinita ſapientia, & probitas, aut falli poſſe, aut fallere: primum enim ſapientiæ, ſecundum probitati opponeretur. Quidquid igitur Divina fide credimus, id non modo eſt in ſe prorſus certum, ſed ſumma etiam certitudine, & adhæſione a nobis tenetur: non ſolum quippe in ſeipſo, ſed noſtro etiam hominum judicio, & ſcientia eſt Deus ſumme ſapiens, & bonus. Fidei igitur noſtræ certitudo, atque firmitas a Divina revelatione omnino derivatur.

432. Divina autem revelatio aut eſt *originalis*, hoc eſt, immediate a Deo homini credenti facta, aut *traditionalis*, quam ſcilicet a Deo aliis homi-

hominibus factam traditione, aliiſque argumentis accipimus. Veritatem originali revelatione demonſtratam ſumma mentis, animique firmitate credimus, quin ulla ratione argumento, aut demonſtratione opus ſit: ipſum enim immediatum Dei teſtimonium, atque revelatio eſt clarum illud lumen, quo non modo revelata veritas oſtenditur, ſed ſuimet ipſius revelatio, atque perfectiſſima demonſtratio exiſtit. Mirum equidem eſſet, quod Deus ignotam aliquam veritatem animæ immediate revelans, ipſam nihilominus de ſuamet revelatione ſecuram non redderet. Neque tamen inde inferas, nullam a nobis regulam admitti opus eſſe, qua vera a falſa diſcernatur revelatio: ſcimus enim, quid phantaſia, & enthuſiaſmus, ut dicitur, in humano cerebro, atque corde efficere poſſint, quantumque inter Dei revelationem, & fanatiſmum intercedat diſcrimen: de quo nonnihil inferius dicemus. Quod ſi revelatio ſit traditionalis, quales nobis ſunt, quæ in Scriptura Sacra continentur; tum vero externis argumentis, eaque traditione opus eſt, quibus morali demonſtratione illas eſſe veras revelationes evincatur: fides igitur hoc ſecundo modo accepta *rationalis* nuncupari poteſt; non quod ipſa uni etiam revelationi non innitatur; ſed quod priuſquam hujuſmodi fidei actum eliciamus, firmoque mentis aſſenſu veritati adhæreamus, ratiocinium moraliter certum præmittere opus ſit, quo ad actum fidei ducamur.

433. Objectum Divinæ Fidei proprium videntur eſſe veritates illæ, quas naturali rationis, aut ſenſuum evidentia non poſſumus cognoſcere, aut ſaltem actu non cognoſcimus. Ad rem enim evidentem, atque proinde certam nobis perſuadendum opus non eſt revelatio. Naturalis ſcilicet evidentia eſt revelatio naturæ, atque rationis, qua inſtructi a Deo ſumus, ut verum a falſo certiſſime, atque citra ullum erroris periculum diſtinguamus. Ad quid ſane homini cogitanti revelare, ſeſe *eſſe rem cogitantem, colores, ſonos, dolores ſentire*? ſuperflueret enimvero hujuſmodi revelatio; quod ſatis eſſet ne hominibus a Deo fieret. Et ſa-

ne veritates a Deo revelatas meditanti, facile apparet, illas ut plurimum aut abdititiſſima myſteria, quæ noſtram hominum rationem ſuperant; aut res facti, ſeu ad rerum exiſtentiam ſpectantes continere; quorum primæ percipi a nobis naturali lumine non poſſunt: aliæ vero multiplici de capite multoties non evidenter cognoſcuntur. Per hoc tamen minime inficior, revelatione etiam conſtare, atque in Scriptura contineri juris naturalis principia, quæ naturali ratione demonſtrare conamur: hæc tamen non ita evidentia, & demonſtratione conſtant, ut omnibus nationibus, integriſque populis cultis, & barbaris, doctis, & rudibus, vera, aut falſa, aut nulla religione imbutis, probentur, vel etiam percipiantur: ut omnium gentium mores, legem, & indolem conſideranti patebit. Omnibus igitur rite perpenſis, & ad omnes homines, atque nationes relatis, dici vere poſſe videtur, revelationem de re prorſus apud omnes evidenti non fieri. Atque in hoc ſenſu notiſſimam illam fidei definitionem ab Apoſtolo traditam intelligo, *argumentum non apparentium*, aſſenſum ſcilicet firmiſſimum rebus naturali ratione non evidentibus præſtitum (*a*).

434. Ex relatis Pauli verbis, ex ipſiuſmet fidei obſcuritate, atque ex communi illo effato, *Credis, quod non vides*, male inferretur, fidem eſſe de objectis plane incognitis, & quorum nullam habeamus ideam. Credere enim eſt aſſentiri, & firmiter adhærere: aſſentiri autem, niſi rebus aliquo modo cognitis, & revelatione ipſa, ſeu revelationis traditione propoſitis non poſſumus: niſi dicere velimus eſſe aliquem mentis noſtræ actum, quin ullum habeat objectum, aut quin ſuum objectum repræſentet, & aliquo modo cognoſcat; quod eſſet ipſaſmet noſtrarum idearum, & judiciorum no-

(*a*) Exiſtentiam Dei revelatam in Scripturis legimus: eamdem naturalis ratio demonſtrat: ſed aliud eſt demonſtrari, aliud eſſe per ſe ipſum evidens.

notiones tollere, ſecundum quas omnis actus noſtræ mentis eſt ſui objecti repræſentatio: impoſſibile igitur eſt, aliquod objectum credere, cujus ideam antea jam non habuerimus, aut ipſamet revelatione non acquiramus. Noſtræmet præterea conſcientiæ teſtimonio certum nobis eſt nullum a nobis vel reconditiſſimum religionis myſterium credi, de quo obſcuram ſaltem non habeamus ideam, quam & aliis exponere poſſimus. Priuſquam reconditiſſimum, atque ineffabile Trinitatis myſterium credamus, ideas habemus unitatis, ternarii, perſonæ, identitatis, diſtinctionis, infinitatis; ineffabilis vero ille modus, & ratio, qua hujuſmodi idearum objecta in Trinitate exiſtunt, quod ad ipſius myſterii eſſentiam ſpectat, non modo obſcura nobis eſt, ſed penitus incomprehenſibilis. Fides igitur aut eſt de propoſitione, cujus prædicati, & ſubjecti obſcuram ſaltem habemus ideam, connexionem vero ignoramus; aut ipſamet revelatione credendæ rei idea in mente gignitur.

435. Diſtinguenda enim iterum eſt revelatio traditionalis ab originali: Secunda hac, cum ſit novum quoddam lumen menti a Deo communicatum, qui hominem novis plane, ſingularibus, infinitiſque modis illuminare poteſt, novæ ideæ ſimplices rerum quarumcumque ignotarum in nobis gigni poſſunt: infinitis enim modis acquiri, & infundi a Deo poſſe ideas, nullus diffitebitur; puta, ſi plures, quam quinque haberemus ſenſus. Revelatio autem traditionalis nihil plane ignotum, de quo ſcilicet nullam omnino antea habuerimus ideam, revelare poteſt; nullaque proinde idea ſimplex ejuſmodi revelandi modo, atque fide comparatur: veritatem enim, quæ ſit traditionalis revelationis objectum, ejus teſtimonio accipimus, cui immediate a Deo revelata fuit propoſitio: relatione igitur, hoc eſt, prolatis vocibus rem accipimus: atqui nulla idea ſimplex vocibus gignitur, aut ab alio traditur, ut facile quiſque animadvertere poteſt. Homini a nativitate cæco luminis, & colorum ideas, quantumvis ad id totam Ciceronis eloquentiam adhibeas, nunquam ingenerabis; idem-

quæ eſt de ideis ſolo guſtu, aut olfactu acquiſitis; ſi cum hominibus agas hujuſmodi ſenſibus a nativitate deſtitutis: voces enimvero cum ſint arbitraria ſigna ad ideas noſtras, earumque objecta ſignificandum inſtituta, id ſolum ſignificant, quod jam in mente habemus; atque ut intelligibile commercium ope verborum inter homines fiat, opus eſt, ut prius ipſi inter ſe conveniant, quibus ideis ſignificandis unicuique eorum notis ſingula verba deputentur. Vocibus igitur non ſimplices quidem ideæ communicantur, aut acquiruntur, ſed novæ compoſitæ traduntur, comparantur, atque de ideis illis tum ſimplicibus, tum compoſitis inter nos loquimur, quæ jam antea erant converſantibus communes.

436. De veritatibus naturali evidentia certis non fieri a Deo revelationem, ſuperius diximus; at propoſitiones alioquin certas, qualis eſt, exiſtentia Dei, principia morum, atque religionis naturalis, quæ juxta communem prudentiorum omnium ſenſum demonſtrari exiſtimantur, a Deo revelatas fatemur: duo igitur diſtinguenda ſunt, res per ſe evidentes, & res demonſtrabiles: primi generis eſt, *quidquid cogitat*, *exiſtit*: ſecundi, *Dei exiſtentia*, & *principia legis naturæ*: primas veritates a Deo non revelari ob ſuperfluitatem diximus. Quidquid de rei poſſibilitate ſit, poſſit, nec ne ob diverſas actuum rationes, atque argumenta idemmet intellectus eamdem veritatem v. g. *totum eſſe majus ſua parte*, clariſſime videre per cognitionem naturalem evidentem, obſcure vero per actum fidei ex revelatione. Veritates ſecundi generis, illæ præcipue, quarum demonſtratio alioquin certiſſima, ſubtile tamen ingenium, atque mentem a præjudiciis liberam requirit, quales ſunt exiſtentia Dei, & principia juris naturalis (quorum primum impie ab Atheiſtis negatur, & ab aliquot incultiſſimis nationibus penitus ignoratur; ſecunda vero apud omnes gentes unanimi conſenſu probata non invenimus), hujuſmodi, inquam, veritates & revelatione a Deo confirmari poſſunt, & reapſe in Scriptura ſacra confirmatas eſſe agnoſcimus. Qui

ergo eas veritates demonſtratione confici non ſatis percipiunt, ii probatæ revelationi cedere, & revelatas propoſitiones certo fidei actu credant, oportet: quibus vero demonſtratione ſuadebitur, earumdem propoſitionum revelatio confirmationis loco erit: eo enim animo ſunt, atque veritatem amplectuntur, ut citra omnis revelationis confirmationem ſumma mentis adhæſione demonſtratam veritatem teneant; eamdem vero ſola revelatione innixi ſumma etiam certitudine, animique firmitate propugnarent. Atque eo in ſenſu unam eamdemque veritatem & ob revelationem credi, & ob operoſam demonſtrationem ſcientiæ actu agnoſci admittimus. Atque pauca hæc de fide divina abſolute ſpectata impræſentiarum delibaſſe ſufficiat: ulterius rem deducere, eſſet theologum agere in logica: Fidei tamen cum ſcientia, ceteriſque humanæ mentis actibus comparationem, quod logicam propius ſpectat, inferius inſtituemus.

437. Fides humana, alius cognitionum gradus ſola auctoritate ſuffultus, eſt (ut jam diximus) humanum judicium ſola hominum auctoritate fundatum: ex qua notione plurima conſequuntur, quæ humanæ fidei corollaria, atque leges ſunt: 1°. Quod ſola humana fide tenemus, ſicut de Divina diximus, eſt per ſe obſcurum: id nimirum eſt omni fidei commune. 2°. Omnes igitur propoſitiones ſola hominum auctoritate conſtantes, neque rationis, neque ſenſuum evidentiam habent, neque metaphyſica, aut phyſica demonſtratione confici poſſunt. Niſi enim ita ſit, non eſſent per ſe obſcuræ: at quotcumque tandem homines aliquam nobis hiſtoriæ veritatem referant, v. g. antiquæ Memphis habitatores ad ſeptem milliones attigiſſe; id nunquam metaphyſica, aut phyſica demonſtratione, vel evidentia apparebit. 3°. In rebus igitur ſola humana fide veris neque certitudo metaphyſica, neque phyſica ineſſe poteſt, ſed ſola morali certitudine, aut probabilitate gaudent. Prima pars facile conſtat: ſolis enim veritatibus ratione vel ſenſu evidentibus, aut demonſtratis illæ certitudines convenire poſſunt: Secun-

cundum vero eſt omnino certum: duobus abhinc annorum millibus Athenis floruiſſe Oratorem omnium celeberrimum, *Demoſthenis* nomine nuncupatum, fuiſſe Imperium Romanum, Græcamque libertatem, ſola humana fide habemus: id tamen ex conſtanti omnium gentium, atque ſcriptorum gente, patria, moribus, religione, affectibus diſſidentium teſtimonio moraliter adeo certum eſt, ut nullum omnino dubium admittere poſſit. De probabilitate vero res per ſeipſam conſtat.

438. In omnem igitur propoſitionem ſolo hominum teſtimonio innixam falſitas abſolute cadere poteſt. Eſt enim auctoritas unicum veritatis fidei fundamentum: illa vero eſt in ratione probitatis, atque ſcientiæ auctoris: quantula autem in omnibus, & ſingulis hominibus ſit ſcientia, atque probitas, communi omnibus damno conſcii vivimus. Humanum tamen teſtimonium ſupremæ quidem ſcientiæ, evidentiæ, & certitudini impar, reliquis omnibus humanarum cognitionum naturalium gradibus reſpondet. Sicut igitur ob infinitam Dei ſcientiam, atque bonitatem, Divinæ fidei actus ejusdem Dei teſtimonio, atque ſummæ auctoritati innixus ſummam habet certitudinem, atque idcirco rationis evidentiæ comparatur; humana pariter fides, ſeu hominum teſtimonium, atque auctoritas ad moralem certitudinem, probabilitatem, reliquoſque mentis noſtræ actus probabilitate inferiores ſufficit. In humana igitur fide, & veritatibus ſolo hominum teſtimonio conſtantibus multiplices aſſenſuum gradus diſtinguere oportet, certitudinem ſcilicet moralem, probabilitatem, conjecturam, dubium, falſum; in eoſque omnes dividitur.

434. Eos humanæ auctoritatis gradus accurate inter ſe diſtinguere oportet, cum ab iis infinita propemodum humanarum cognitionum, & artium principia deducantur, quorum certitudo, aut probabilitas probe definienda, atque ſtatuenda eſt: quod priuſquam ad evidentiam uſque demonſtretur, ante oculos paulliſper ſtatuere oportet, quanta nos cognitionum capita ſoli hominum teſtimonio

nio accepta referre debeamus. Si rem perpendamus, facile animadvertemus, maximam omnium hominum cognitionum partem ex traditione, humanoque teſtimonio haberi: ab iis nimirum, quibuſcum ab infantia per totam vitam converſamur, quorum relationes audimus, ſcripta, aut libros legimus. Etenim univerſam hiſtoriam cum naturalem, tum civilem, tum etiam Sacram, omniaque alia artium, aut ſcientiarum principia, theoremata, problemata, veritates, quas neque rationis, neque ſenſuum ſcientia demonſtramus, aut naturali analogia ab iis deducimus, humanæ tantum fidei certitudini morali, aut probabilitati tribuamus, neceſſe eſt: quanta etiam ad res phyſicas, ſcientiam morum, leges, artes, diſciplinaſque omnes ſpectantia audiendo, aut legendo accepimus, & ab aliis tradita credimus? Si illa, quæ noſtramet ſenſuum experientia, aut ratione cognovimus, ab iis mente parumper ſeparemus, quæ aliorum fide penitus innituntur, aut aliqua ex parte fundantur; tum vero ad evidentiam perſpiciemus, quam late pateat in tota hominum vita, cognitione, & actionibus humanæ fidei provincia.

440. Id vero ex duplici hoc fonte potiſſimum derivatur: quod ſcilicet ex iis, ad quæ cujuſque hominis ſcientia pertingere poſſit, pro humanæ vitæ brevitate, vivendi ratione, & mentis tenuitate pauciſſima ſint, quæ vel nos aut ratione clare percipiamus, aut propria ſenſuum experientia agnoſcere, atque animadvertere poſſimus: atque etiam ex naturali illa hominum pigritia, qua fit, ut ab aliis potius citra ullam animi, mentiſque contentionem accipere, quam propriomet ſtudio res ipſas examinare malint. Quis enim eſt, qui majorem ſuarum opinionum partem non modo ad ſpeculationem, ſed ad communem etiam vitæ rationem ſpectantium ſerio expendat, & ad proprium examen revocet? Aliorum fide ut plurimum vivimus, agimus, & quieſcimus; alienumque teſtimonium, & ſententiam potius adoptare, quam earumdem rerum judicem, & ducem in propria ratione quærere malumus.

441. Cum in vaſtiſſima hac rerum, & veritatum ſylva, quas ſola hominum fide tenemus, plurima ſint morali certitudine prædita, plurima etiam ſola gaudeant probabilitate, multipliceſque ſint hujuſce probabilitatis gradus; hæc omnia, quam fieri poteſt, accurate diſtinguere oportet ſecundum Criticæ regulas; illud vero potiſſimum, in quo tandem in iis veritatibus, quæ ſolo hominum teſtimonio innituntur, moralis certitudinis, & probabilitatis diſcrimen conſiſtat. Niſi hæc clare diſtinguantur, atque ſtatuantur, non ſatis per nos prima Religionis Chriſtianæ fundamenta propugnarentur: ſola enim hominum fide, atque morali certitudine Chriſtianæ Religionis veritatem, revelationem, & præcipua facta demonſtrare poſſumus: niſi igitur hujuſmod certitudinem ab omni probabilitate longiſſime diſtare, illamque infinite ſuperare conficiamus; Incredulis tandem, Deiſtis, Atheiſtis, atque paganis concedete opus eſſet, totum Religionis noſtræ fundamentum, atque veracitatem in puram putam probabilitatem reſolvi, quo nihil abſurdius excogitari poſſet.

442. Ut diſcrimen inter moralem certitudinem, atque probabilitatem pateat, humanæ veritatis penitius enucleanda eſt natura, & quid nos tandem ad fidem hominibus præſtandam inducat, inſpiciendum. Totum humanæ auctoritatis, atque fidei fundamentum ſunt humana *probitas*, atque *ſcientia*, hoc eſt, Cor, ſive animus, atque intellectio. Circa duo hæc auctoritatis principia notum nobis eſt, 1°., ſcientiam noſtram eſſe tenuiſſimam, probitatem vero limitatam adeo, & malitia temperatam, ut nullus fuerit unquam homo, de quo certi eſſe poſſemus neque unquam ipſum errando falli, neque nos unquam fallere ob malitiam velle. Rurſus ejuſdem hominis perſpicaciam, atque mentis aciem dignoſcere non facile ſemper nobis eſt, difficillimum intimos ejus animi, ſeu cordis ſinus, atque fundum cognoſcendo ſubire. Ex duplici igitur hoc capite fides humana, quamdiu duobus illis tantum fundamentis innititur, hoc eſt, aſſenſus ille, quo unius, aut alterius hominis teſtimonio ad-

adhæremus, certus, aut firmus nunquam eſſe poteſt, neque puram probabilitatem traſcendere: cum ex una parte certo ſempre ſciamus, hominem poſſe facillime & falli, & fallere; ex alia vero exploratum nunquam habemus, ipſimet homini occultam fallendi voluntatem non ineſſe.

443. Quotieſcumque igitur unius alteriuſve hominis teſtimonium accipimus, qui factum aliquod tempore, aut loco a nobis vel longe remotum, ſeſe vidiſſe teſtantur, eorumque teſtimonio aſſentimur; hujuſmodi aſſenſus, qui eſt pura puta humana fides, probabilitatis metam excedere non poteſt. Atque hæc probabilitas multiplicem habere poteſt gradum, ex quadruplici enim capite augeri, minuique poteſt, numero, ſcientia, probitate teſtium, atque ex illius etiam perſpicacia, qui teſtium animum explorat, cui facilius erit & cordis intimum, atque fallacias detegere, difficilius vero imponi.

444. Alia ex parte conſtans omnino, atque certum nobis eſt, notabilis alicujus hominum multitudinis animos diverſis, atque multiplicibus affectibus, & ſtudiis agi, ita ut ex conſtanti omnium temporum, hominum, & locorum obſervatione, atque univerſali experientia ſtatuere certo poſſimus, univerſalem eam eſſe humanitatis legem, ut in qualibet hominum multitudine, præcipue ſi ex diverſis conditionibus, ſtatibus, gentibus aſſumantur, magna ſemper ſit affectuum, ſtudiorum, atque paſſionum diverſitas; aliuſque in unam, in aliam alius vergat partem, quod eorum uni probatur, ab alio rejiciatur, dum tertius in medio hæret ſuſpenſus. Qui aliter fieri poſſet, cum & multiplex in hominibus ſit religio, educatio, ingenium, mores, præjudicia, patria, temperamentum, fontes ii ſcilicet, ex quibus partim phyſice, partimque etiam moraliter mira illa in humanis animis affectuum diverſitas gignitur? Impoſſibile igitur eſt, quin numeroſæ hominum multitudinis unum idemque factum oculis uſurpantium varii inter ſe, atque omnino diverſi non ſint animorum affectus, rationes, atque paſſiones, quibus idemmet factum aſpiciunt,

exi-

exiſtimant, tractant, teſtantur. Quotieſcumque igitur univerſa hæc hominum multitudo tot animorum affectibus, ideis, præjudiciis, ſtudiis inter ſe oppoſitis agitata, de una eademque re, tamquam oculares teſtes conveniunt, una ejuſdem facti veritas, atque evidentia eſt, quæ omni animorum, atque affectuum varietate ſuperata, ab univerſa multitudine concors teſtimonium extorquet: hæc igitur multitudinis teſtimonia ſecum ipſis collata, atque convenientia omne penitus dubium depellunt; fierique non poteſt, ut quod concordi multitudinis hominum contrariis plane ſtudiis, affectibus, & oculis rem eamdem aſpicientium teſtimonio conſtant, verum omnino, atque certum non exiſtat.

445. Ex his igitur plane dignoſcitur, quod in humana fide probabilitatis, & moralis certitudinis diſcrimen exiſtat: prima ex humani cordis, ſeu animi, hoc eſt, teſtium ſinceritatis, atque ſcientiæ exploratione ducitur, in eoque unice conſiſtit; quæ obſcura ſemper ſunt, & dubia: Secunda vero ex cognitione diverſarum animi paſſionum, atque affectuum, quibus magna aliqua hominum multitudo circa factum conveniens in diverſa ſemper agitur: quæ quidem affectuum varietas certa ſemper eſt, varietatis vero cognitio penitus clara: prima in abſoluta, & peculiari humanis cordis (teſtis reconditiſſimi) in ſe ipſo ſpectati fide; ſecunda in clariſſimæ legis toti humanitati communis teſtimonia conſiſtit: ad probabilitatem habendam humanum animum in ſe ipſo inſpicimus; ad moralem certitudinem non jam hominis animum abſolute exploramus, ſed eos inter ſe comparamus; atque ex hujuſmodi collatione, quæ obvia eſt, communem illam hominum conditionem, ſeu humanitatis legem clariſſime animadvertimus, quæ moralis certitudinis fundamentum eſt.

446. Atque hinc ſequentia deducuntur. Primum: *Probabilitatem quidem humanæ fidei per multiplices gradus augeri, minuique poſſe, nequaquam vero certitudinem moralem*. Primum a nemine in dubium vertitur; quis enim non videt, quod ceteris quidem paribus, majori potius, quam minori te-

teſtium numero, ſincerioribus, atque doctioribus, ſagaci potius, quam craſſioris minervæ exploratori firmiorem adhibeamus fidem? Ex tribus igitur illis capitibus augeri, minuique probabilitas poteſt. Contra vero moralis certitudo neque ex majori, minorive teſtium numero, ſcientia, probitate, neque ab Exploratoris perſpicacia dignoſcitur, aut in iis conſiſtit; ſed in expoſita tantummodo humanitatis lege, quæ in doctis æque, atque in indoctis, in probis, atque improbis locum habet, & ab hominibus facillime animadvertitur; atque a primo ad ultimum aliquando futurum hominem ſemper obſervabitur; cum ab ipſa hominis natura, & corruptione proveniat. Ex nullo igitur illorum capitum moralis certitudo creſcit, aut decreſcit: Eadem enimvero firmitate, ac certitudine Athenarum Rempublicam extitiſſe, hodie credimus docti, & indocti, ac ſi rem oculis uſurparemus; eademque eſſet in nobis certitudo, quantumvis id a teſtibus numero paucioribus, atque probitate, & ſcientia inferioribus accepiſſemus; Propterea quod idem ſemper conſtaret invariatæ legis teſtimonium.

447. Secundum: *Certitudo moralis, & probabilitas fidei ad diverſum cognitionum ordinem ſpectant, neque illa ex plurimis probabilitatis gradibus componi poteſt.* Rem aliter bene multi concipiunt, quibus moralis certitudo aliud plane non eſt, quam plures probabilitates; quoniam enim, inquiunt, unicus teſtis probabilitatem jam, ſeu probabilitatis gradum facit, plures & plures teſtes erunt etiam plures & plures probabilitatis gradus: teſtium igitur, hoc eſt, probabilitatum numero creſcente ad moralem tandem certitudinem pervenimus; quæ proinde ex probabilitatibus componitur. Qui in hunc modum ratiocinantur, omnem moralem certitudinem a fide tollunt, probabilitates enim, ſeu teſtimonia humana, hoc eſt, incerta veritatis argumenta pro lubitu multiplica; ad certitudinem nunquam pervenies; cum ſingulos probabilitatis gradus ſua ſemper obſcuritas, atque incertitudo comitetur. Quis tamen eſſet ab Euro-

pa

pa nunquam egreſſus, qui Peckinum, perinde ac ſi vidiſſet, Sinici Imperii urbem principem eſſe dubitare aliquo modo poſſit? Juxta noſtrum ſenſum res eſt clariſſima; abſoluta humani cordis teſtimonia probabilitatem efficiunt: certitudinem vero concors ipſiuſmet hominum diſſenſionis conſenſus, atque teſtimonium: quæ quidem, quantumvis ab eodem oriantur principio, hominum nempe teſtimonio, ad diverſum ordinem pertinent, diverſoque modo hujuſmodi teſtimonia ſpectantur.

448. Tertium. *Certitudo moralis eſt plane indiviſibilis, hoc eſt, in plures probabilitates dividi non poteſt:* Ex probabilitatibus enim non gignitur, aut componitur certitudo; licet per plurimos probabilitatum gradus ad certitudinem accedamus: quod tum fit, cum in enumeratis teſtibus eam jam animadvertimus hominum multitudinem, in qua magnam animorum, affectuum, paſſionum, atque præjudiciorum varietatem certo eſſe dignoſcamus: ſimul ac enim communem illam humanitatis legem, quæ clariſſima eſt, animadvertamus, non amplius ſingularibus, & abſolutis teſtibus innitimur, ſed certo clariſſimæ illius legis teſtimonio ducimur.

449. Ex hactenus dictis facile habemus longe alium eſſe humanarum cognitionum ordinem; ſi ad earum objecta referantur, atque ſi in ſeipſis ſpectentur, ſolaque earum veritas attendatur: hoc eſt, humanarum cognitionum extenſio, numerus, & amplitudo earum veritati, & certitudini non reſpondet. Quod objectorum extenſionem ſpectat, hunc inter illas ordinem eſſe animadvertimus: Primo nihil nos omnino cognoſcimus, quorum ideam aliquo modo in mente non habeamus: noſtræ igitur cognitiones ultra ideas non extenduntur. Infinita autem ſunt cum objecta, tum veritates, de quibus nullam omnino ideam habemus, & quæ perfectiſſime ignoramus, dum interim ad pauca ideæ noſtræ extenduntur: noſtra proinde hominum ignorantia ad ſcientiam, immo ad eas, quas habemus, ideas relata, eſt ut infinitum ad finitum. Intra anguſtiſſimos noſtra mentis Cancellos minime omnium extenditur cognitio ſenſitiva, ſeu evi-

den-

dentia ſenſuum: hujuſmodi enim evidentia ad rerum exiſtentiam tantummodo extenditur, neque, niſi illa, quæ pauca ſunt, comprehendit, quæ immediate in ſenſus noſtros agunt: quam pauca vero ſint, quæ hac ratione comprehendimus, ad alias etiam mentis noſtræ cognitionum ſpecies comparata, facile omnes animadvertimus: plura aliquando objecta, atque veritates intuitione, ſeu evidentia rationis, attingimus: multo plura tamen cum rationis, tum ſenſuum demonſtratione. Certas haſce perceptionum ſpecies cognitio probabilis excipit, & longiſſimo intervallo, quod objectorum numerum ſpectat, omnino ſuperat, neque id ab ullo inficiari poterit, quia omnia fere a nobis per umbras ſatis denſas in præſenti vita detegi, atque cognoſci animadvertat. Rationis probabilitatem humana fides proxime ſequitur: Equidem ſi eruditi etiam cujuſcumque hominis eruditionem expendamus, & in ſingula relata capita diſtinguamus; maximam proculdubio partem ab hominum teſtimonio, atque relatione legendo, vel audiendo acceptam deprehendemus. Poſt probabilitatem humano teſtimonio innixam, aliud in mente humana recenſendum non ſupereſt, quam ideæ (conjectura enim, atque dubium ad infimos probabilitatis gradus reduci poſſunt); iis vero attingitur, quidquid a nobis non penitus ignoratur.

§. VI.

Rationis, & Fidei inter ſe comparatio, & fines.

450. Satis hucuſque ſcientiæ, probabilitatis, utriuſque Fidei, Divinæ ſcilicet, & humanæ naturam, atque indolem in ſe ipſa expendimus: Supereſt modo hæc omnia humanæ eruditionis organa inter ſe comparare, eaſque ſtatuere regulas, quibus ducta humana ratio recte inter fidem, & rationem diſcernere, quandoque alia alii præferenda ſit, agnoſcat. Jam ſupra diximus, *Rationem* in ſe comprehendere evidentiam rationis, & ſenſuum, utriuſque nominis demonſtrationem, probabilitatem,

con-

conjecturam, & ideam; *Fidem* vero in Divinam, & humanam dividi, quarum prima ſummam veritatem, & certitudinem, altera autem moralem certitudinem, probabilitatem, & conjecturam importent. Duo hæc cognitionum genera, atque ſeries multiplici modo comparari inter ſe poſſunt, actuum ſcilicet *indole*, *claritate*, *objecto*, *veritate*, ſeu *certitudine*: Prima duo ulteriori explicatione, aut collatione non indigent: ſcimus, fide nos veritatem amplecti, atque tenere, non quod rem in ſe videamus, ſed quod rem aſſerenti credimus, omnemque proinde hujuſmodi actum eſſe natura ſua obſcurum; contra vero ratio aut veritatem in ſe ipſa intuetur, aut ex rei viſceribus deducit, vel deducere videtur: ex genere igitur ſuo aut clara ſemper eſt, ut in ſcientia viſitur, aut claritati non opponitur, immo ad illam manuducit, ut probabili judicio accidit.

451. Circa objectum aliqua diſtinctio neceſſario eſt adhibenda: quoniam natura finiti ſumus, mentiſque humanæ vis, atque capacitas intra anguſtos limites continetur, & ad pauca extenditur; humanarum cognitionum objecta vel ſunt ſupernaturalia & ſupra rationis captum penitus poſita, vel naturalia, hoc eſt, rationis captui non omnino diſparia: rurſus naturalia hæc objecta vel ejus ſunt conditionis, ut quamvis natura ſua mentis capacitatem non excedant, circumſtantiis tamen ſuperent, vel neutro de capite rationis vires excedunt: quod aliis verbis eſt dicere, objecta vel natura ſua ſunt omnino ſupra rationem, v. g. *myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis*, & alia Chriſtianæ Religionis myſteria, & veritates ſupernaturales: vel non quidem natura, ſed ſolis circumſtantiis ſunt ſupra, ſeu potius extra rationis captum; atque hujuſmodi ſunt omnia illa objecta naturalia, quæ quidem nos ſenſibus percipere poſſemus, quoniam tamen in ſenſus noſtros nunquam inciderunt, de iis aut nullam, aut imperfectiſſimam ſolummodo comparare poſſumus ideam, qualia ſunt v. g. miracula illa a Chriſto Domino noſtro patratá, & in Evangelio relata, & alia omnia, quæ ſolo aliorum teſtimonio

ac-

accepimus, vel tandem ita ſunt objecta, ut neque natura, neque circumſtantiis rationem noſtram ſuperent, ſed potius ratione, aut ſenſibus novimus: atque ad tertiam hanc objectorum claſſem pertinent omnia illa, quæ evidentia, demonſtratione, aut probabilitate agnoſcimus: prima objecta dici poſſunt *ſupra rationem*, ſecunda *convenientia rationi*, tertia *ſecundum*, aut *infra rationem*. Quartum objectorum genus afferri ſolet, quæ *contra rationem* nuncupantur, eaque ſunt, quæ *rationis evidentiæ*, aut *demonſtrationi* opponuntur.

452. Hiſce poſitis, primi generis veritates ad unam fidem pertinent, & tamquam propriiſſimum illius objectum haberi debent: in iis ſcilicet mens humana cæcutit, immo & nihil naturali ratione comprehendit. Duo tamen ſunt, quæ circa hujuſmodi objecta rationi examinanda, atque ſcrupuloſe diſcutienda relinquuntur: quorum primum eſt revelationis exiſtentia: hæc enim uni illi ſatis ſeſe prodit, atque evidentiſſime manifeſtat, cui immediate a Deo facta fuerit: ceteris tamen rem traditione accipientibus, ea ad rem probandam argumenta adhibere opus eſt, quibus moralis certitudo in mente gignatur; aliter circa religionem ipſam perpetuo fluctuaremus, aut imprudenti aſſenſu myſteria reconditiſſima teneremus: quod quidem eſſet fanaticum.

453. Secundo ordinis objecta attentis quidem circumſtantiis ad fidem etiam vel Divinam, vel humanam ſpectant, ſecundum ſe tamen rationis etiam objecta exiſtere poſſunt, quandocumque in ſenſus noſtros agant: rationi igitur, atque fidei communia ſunt; & ad primam quidem natura, ad ſecundam vero caſu pertinent.

454. Tertiam veritatum, & objectorum claſſem ratione tamquam proprium illius objectum percipimus: & quidem, ſi rationis, aut ſenſuum ſcientia percipiatur, ad illud, tamquam ad proprium rationis objectum fides ut plurimum non extenditur: Si probabilitatis metam non tranſcendat; tum vero & ratione percipi, & fide pariter proponi, atque credi poteſt: infinita enim in ſcientiis, artibus

tibus

tibus, humano commercio, immo & in Sacra Scriptura paſſim occurrunt, quæ ratione cognoſci poſſunt, & tamen humana, aut Divina fide a nobis tenentur.

455. Ex his patet rationem, & fidem partim in objectis convenire, partim etiam differre: quæ ſunt *contra rationem*, neque ad fidem, neque ad rationem ſpectant, cum ſint neceſſario, & manifeſte falſa; quidquid eſt *ſupra rationem*, uni fidei tribuitur; quæ *ſecundum rationem*, ſi aut evidentia, aut demonſtratione conficiantur, ad ſolam etiam rationem proprie ſpectant; cætera omnia vel *ſecundum rationem*, vel *convenientia rationi* nuncupentur, aut exiſtant, objecta ſunt utrique communia.

Regula I.

456. Rationem, atque fidem ad earum objecta referendo triplicem ſtatuimus regulam: prima: *In omnibus illis objectis, atque veritatibus, quæ ſunt ſupra rationem, revelatione tantummodo agendum eſt, eique uni credendum.*

Quid enim humana ratio in iis, quæ naturalem illius vim, atque facultates penitus ſuperant, dignoſcere poterit? Cum nullam de rebus hujuſmodi aut ideam habæmus naturali modo acquiſitam, vel connexionem inſpicere non valeamus; aliaque ex parte omnia nobis tenebroſa ſint, ubi ideæ deſiderantur; qui ratione in altiſſimas, & reconditiſſimas veritates penetrare conaretur, is ſeſe in tenebroſum immenſum chaos ſine ullo aut lumine, aut viæ duce præcipitaretur. Hinc eſt, quod de Deo, & inſcrutabilibus Chriſtianæ Religionis myſteriis illa tantum agnoſcamus, eoque modo credamus, quo illa nobis a Deo fuerunt revelata. In quæ enim vero deliria abiremus, niſi fide tantum duceremur? Animo parumper, atque memoria verſemus, quænam errorum monſtra amplexi ſint veteres philoſophi, homines alias ſummo ingenio præditi, dum ſolo rationis lumine Dei naturam, perfectiones, aliaque hujuſmodi objecta ſtudioſe indagabant.

Equi-

Equidem quæ apud Platonem de reconditiſſimis iis objectis Chriſtianæ veritati conformia legimus, non illa quidem Plato cogitando invenit, ſed a Phænicia, atque Hebræis accepta in libros ſuos tranſtulit.

Regula II.

457. *In rebus omnibus, quæ naturali ratione, communique ſenſu percipi, atque examinari poſſunt, ita ut de iis certi ſimus, ratione ſemper agendum eſt, nihilque, qualiſcumque etiam revelationis prætextu, peragendum, quod rationi, aut communis ſenſus dictamini, & certitudini opponatur.*

Hæc ſcilicet ſunt datæ nobis a Deo rationis, atque ſenſuum provinciæ: eaque propter mentis claritate nos donavit Deus, ut illa duce certa ab incertis, a malis bona diſtingueremus: idque eſt omnium hominum mentibus alte impreſſum, recte nos, atque prudenter ſemper agere, quamdiu ſecundum rationem, & communem ſenſum agimus. Humana equidem ratio tamquam naturalis, perenniſque revelatio ſpectari poteſt, quæ omnia humanæ vitæ neceſſaria, & intra naturæ fines poſita nobis manifeſtat; ſicut ſupernaturalis revelatio altioris ordinis objecta hominibus detegit.

Regula III.

458. *In rebus, atque objectis, quæ ſunt ſecundum rationem, aut rationi convenientia, ita ut probabilia tantum nobis ſint; revelationi, immo & humanæ fidei ſtandum eſt, quandocumque aut revelatio morali certitudine probetur, aut hominum teſtimonia moralem etiam faciant certitudinem.* Ex una enim parte hujuſce conditionis objecta cum fidei, tum rationis communia eſſe poſſunt; ex alia vero probabilitas multiplici de capite poteſt deficere; moralique certitudini debet ſemper poſtponi. Quod ſi neque hominum teſtimonia moralem certitudinem efficerent, neque pari certitudine Revelatio probari poſſet; ſed omnia hinc inde probabilitatibus ni-

terentur; tum vero ſecundum probabilitatum regulas res eſſet dirimenda.

459. Veritas, certitudo, incertitudo, atque evidentia potiſſimum illud ſunt, quod in omni humana cognitione ſpectari debet, ut certa ab incertis diſtinguantur, & noſmet ſecundum prudentis criticæ regulas ducamur. Quæ vero inter fidem, & rationem, immo & inter diverſas rationis ſpecies circa veritatem, atque certitudinem relatio, & diſcrimen exiſtat, ſequentes regulæ ex ſuperiotibus collectæ exponent; quas ad mentem ubique dirigendam, ad certa ab incertis diſtinguendum, noſque ſemper ſecundum prudentis criticæ dictamina manuducendum adhibebimus.

Regula IV.

460. *Rationis evidentia eſt ſumma veritas, atque certitudo, quam naturalibus mentis noſtræ viribus aſſequi poſſimus.*

Hæc enim naturale illud lumen eſt hominibus a Deo Optimo Maximo donatum, ut veritatem agnoſcamus, inveniamus, inventaque omnino acquieſcamus, ut jam ſuperius demonſtravimus. Quidquid igitur rationis evidentiæ opponitur, eſt manifeſte falſum, v. g. *principium Divinum malum, pluralitas Deorum, rerum creatio ex nihilo nulla interveniente cauſſa cogitante non creata.*

Regula V.

461. *Omnia ergo objecta contra rationem ſunt ſempre falſa: ſpeciatim vero revelatio quæcumque adducatur contra rationis evidentiam, illa erit revelatio falſo ſuppoſita.*

Eſt enim evidentia rationis ſumma veritas naturalis; cui nulla alia veritas, cujuſcumque tandem ordinis ſtatuatur, qualis neceſſario eſt Divina revelatio, opponi ullo modo poteſt: quam proinde ſiquis in medium produceret, is proculdubio eſſet fanaticis annumerandus. Hac enimvero regula fervidis aliquorum hominum imaginationibus, & Enthu-

thuſiaſmis occurri debet; ſunt enim & fuerunt ſemper in nationibus quamplurimis aliqui, quorum phantaſiæ, & imaginationi adeo profunde objecta imprimuntur, ut illa deinceps tamquam veritates a Deo revelatas pertinaciſſime uſque ad ultimum vitæ diſcrimen tueantur. Hujuſmodi fanatiſmo non melius occurri poteſt, quam ſuppoſitas revelationes ad rationis trutinam examinando: Sed de his inferius erit dicendi locus.

Regula VI.

462. *Quod ſi contra propoſitionem, quæ evidens appareat rationi, revelatio aliqua adducatur vel originalis, vel traditionalis; aut evidentia rationis erit pura apparentia, aut revelatio originalis non eſt, niſi deluſæ mentis enthuſiaſmus, traditionalis vero falſis ſolummodo argumentis confirmata; aut tandem verus revelationis ſenſus non intelligitur.*

Cum enim tam revelatio, quam evidentia rationis, niſi ſint ſolum apparentes, ſint ſumma veritas; earum alterum eſſe puram apparentiam, mentis, aut imaginationis illuſionem, opus eſt. Neque enim veritas veritati opponitur, cujuſcumque generis exiſtant. Porro non paucas eſſe evidentias tantum apparentes, & obſcuriſſimum ſæpe eſſe revelationum ſenſum, nullus negabit in ſcientiarum, & Scripturæ Sacræ lectione, atque meditatione leviter etiam verſatus. Cum dico, naturalem rationis evidentiam eſſe ſummam veritatem, eamque hoc pacto revelationi æquiparo, de actuum ſolummodo certitudine, non de rationum dignitate loquor.

Regula VII.

463. *Si evidentiæ rationis opponatur evidentia, aut demonſtratio ſenſuum, ſeu phyſica, fides humana, aut probabilitas; omnia hæc primæ illi evidentiæ oppoſita haberi debent falſa.*

Neque enim falſitas probabilitati, fidei humanæ, ſenſibus abſolute opponitur: maxime autem ratio-

nis evidentiæ, atque demonſtrationi. Hoc tamen ita ſemper intellige, dummodo evidentia non ſit tantum apparens, quales ſæpiſſimæ pſeudo-Enthuſiaſmus, & Fanatiſmus ingenerant, atque repræſentant.

Regula VIII.

464. *Fidei Divinæ cedunt certitudo phyſica, & moralis, probabilitas, fides humana.*

Si hæc igitur Fidei Divinæ opponantur, erunt omnino rejicienda. Prius tamen conſtare debet præciſus revelationis ſenſus, qui ſæpe vel ob gentis, loci, temporiſque præjudicia, antiquarum linguarum, legum, & morum ignorantiam nos omnino latet.

Regula IX.

465. *Certitudo, ſeu ſcientia phyſica probabilitati, atque humanæ fidei præferenda eſt, quamdiu hæc moralem certitudinem non pariat.*

Hæc enim poſtrema phyſicam ſcientiam adæquat: Si alia igitur alii opponatur, earum alteram eſſe falſam neceſſe eſt. Scientia phyſica, & ſcientia, ſeu certitudo moralis in ſua quæque lege innituntur: prior quidem naturæ, ſecunda vero morum; neque naturales rerum leges, neque humanæ ſpeciei indoles mutantur: dummodo igitur certitudinem moralem recte ſtatuere, atque diſtinguere valeamus (quod non mediocre ingenium, & judicium requirit) æque illa, atque phyſica certitudo falſitati opponitur.

Regula X.

466. *Si ſcientia phyſica alii phyſicæ ſcientiæ, aut ſcientia rationis ſcientiæ rationis opponatur, ex una tantum parte eſſe poteſt certitudo, atque veritas, ex altera vero erit mera certitudinis apparentia.*

Sæpe id accidit in quæſtionibus metaphyſicis, quandoque in geometricis, multoties etiam in phy-

ſicis.

ſicis. Exemplo ſint intricatiſſimæ illæ quæſtiones de primis continuæ magnitudinis elementis, de infinitæ magnitudinis proprietatibus, & mille id genus alia, in quibus demonſtrationes utrinque produci videntur.

§. VII.

De propoſitionum veritatis Criterio, ſeu teſſera.

467. Qui præſentis hominum vitæ conditionem, mentis noſtræ vires, animæ ſtatum, humanarum cognitionum naturam, imperfectionem, obſcuritatem, diſcrimina vel leviter perpenderit, is enim vero facile animadvertet, quot undequaque tenebris, atque caligine mens noſtra offundatur, & circumdetur. Pauca ſcilicet ſcimus, multa opinamur, plura adhuc ſolo hominum teſtimonio credimus, longe plura etiam ſunt, de quibus ideas ſolummodo habemus ad ſententiam ferendam nequaquam ſufficientes, infinita denique omnem humanæ mentis non modo ſcientiam, ſenſum, fidem, ſed opinionem etiam, ideam fugiunt, penituſque latent. Maximam igitur eorum, quæ non penitus ignoramus, partem nobis eſſe plane incertam, atque obſcuram, noſque omnes, quoad vivimus, in continuo errandi periculo verſari, manifeſtum eſt. In tanta rerum, & humanarum cognitionum obſcuritate, atque incertitudine, aliqua tamen ſunt, de quibus dubitare non poſſumus, quæ vel inviti pro veris admittimus: in reliquis præterea dubia tantum nobis luce apparentibus, alterutram partem eligere opus eſt, ne inter opiniones æternum fluctuemus, dum interim, ut communis fert hominum conditio, non in pura rerum meditatione ſiſtere poſſumus, ſed agere identidem debeamus.

468. In tanta igitur rerum, atque objectorum varietate, incertitudine, cogitationum noſtrarum obſcuritate, atque errorum periculis in id tandem cogitando devenimus, ut quæramus, ſit ne tandem aliqua veritatis teſſera, & veluti ſignum,

ac regula, qua ducti verum a falſo diſtinguamus, quidque tenendum, quid rejiciendum, agnoſcamus? Sed prima hæc quæſtio, ad quam nos veritatis amor, & errorum, quibus circumdamur, contemplatio manuducit, eam eſſe in rebus teſſeram aut ſupponit, aut ad novum hoc dubium deducit, *eſt ne aliquid in rebus certum, de quo philoſophus dubitare non poſſit?* Eo ſcilicet jam devenerunt plurimi non modo veteres, ſed & recentiores eruditi, ut non ſolum nihil in externis rebus certum agnoſcerent, ſed ne de corporum quidem, mundanæque rerum univerſitatis exiſtentia ſibi certo perſuadeant. Adeo verum eſt, nihil ita abſurdum excogitari poſſe, quod aliqua animalis humani ſpeciei individua non probaverint. Utcumque res ſit, quinque ſunt, quæ impræſentiarum quæri poſſunt: *Primum, ſit nec-ne mundi, ſeu corporum exiſtentia certa? Secundum, an potius tota, quam habemus, certitudo ſit de noſtrarum idearum veritate? Tertium, an univerſim nihil omnino certum ſtatui poſſit? Quartum, admiſſa illa & objectorum, & perceptionum certitudine, poſſit ne mens humana certum inter illa diſcrimen agnoſcere, & teſſeram ſtatuere? Quintum, duobus illis conceſſis, aut demonſtratis, quæri tum poteſt, quid tandem ſit ejuſmodi veritatis criterium, & teſſera, qua vera a falſis, certa ab incertis diſtinguere poſſimus.*

469. Primum illud dubium, ſi eo nomine donari poteſt, eſt omnium Idealiſtarum, & proprium ſibi locum vindicat in metaphyſica: Deum enim demonſtraturi, argumentum ex creaturis deducimus, eas proinde, atque mundanum hoc univerſum aut demonſtrare prius oportet, ne aliqua ex parte demonſtratio vacillet, aut rem potius, de qua per ſummam tantum ſtultitiam dubitari poteſt, inter *data*, & poſitiones recenſere. Interim ſiquem offendamus, qui certitudinem in rebus non agnoſcat, & ſeſe de rerum externarum exiſtentia, de ſenſu, de ratione dubitare affirmet; eum ſibi de ſuomet Scepticiſmo plaudere, ſuamque ſibi de rebus omnibus dubitationem laudi, atque ingenii commendationi vertere ſinamus: & quando-

doquidem, dum nobiſcum agit, cum hominibus agere dubitat, ne ratiocinia noſtra inter vana ſomnia, & dubiæ mentis deliria recenſeat, alios ſibi quærere jubeamus, qui ærea illa crepent, & ſimili idearum novitate blandiantur. Secundum eſt etiam proprium Idealiſtarum dogma, & quatenus in ideis certitudinem agnoſcant, nobis non opponuntur; quatenus vero corporum exiſtentiam in dubium vertant, in Metaphyſica, & Phyſica rejiciuntur. Tertium ab antiquis Academicis, Pyrrhonicis, & recentioribus ſcepticis ſtatuitur. Cum iis igitur leviter modo, fuſius infra agemus. Priorum peculiare illud dogma erat, *nulla eſſe, quæ ut vera affirmare poſſimus: eſſe vero multa probabilia*: quod quidem eum reddit ſenſum, ut veritatem illi in rebus eſſe non inficientur, ſed eam a nobis cognoſci, ita ut affirmari certo poſſit, omnino negent. Longius, quam Academici, eum dubitandi, negandique furorem provexerunt Pyrrhonici; non ſolum enim expoſitum eorum dogma tenuerunt, ſed nullam etiam eſſe verum a falſo diſcernendi rationem aſſerebant: mentem igitur non modo ſemper errantem, aut dubiam adſtruebant, ſed nullam præterea ab erroribus, & dubiis ſeſe expediendi viam menti relinquebant. Sceptici id ſemper crepant, & prædicant, *nihil omnino ſciri, nihil comprehendi, nihil certi exiſtere*.

Propoſitio.

470. *Aliquas in humana mente cognitiones omnino certas, & evidentes exiſtere, ſtatuimus*.

Vix ab ullo hominum ſerio propoſitionem negari, aut in dubium vocari crediderim. Quantumvis enim adnitar, ut vel leviſſime, atque tantillo temporis propriam mei cogitantis, atque ſcribentis exiſtentiam in dubium vertam, mentem meam inviƈtiſſima ſemper vi ad firmiſſimum aſſenſum mei ipſius exiſtentiæ præſtandum clariſſime deprehendo, atque experior. Somnia quæcumque, & ſomniantium illuſiones, vana phantaſmata, imagines, atque perſuaſiones mihi obtrudantur, ab hoc di-

ſtamine menti meæ profundiſſime impreſſo, *me cogitantem exiſtere, certum omnino eſſe*, divelli nunquam poſſum. Eſto, æternum ſomniemus; nihilominus inter hæc ipſa mei vigilantis ſomnia, fatali, neſcio qua, neceſſitate adducor, ut firmiſſime etiam teneam, *me ſomniantem exiſtere*: niſi igitur alia in Idealiſtis philoſophis ſit mentis, atque ſomniorum natura, eos etiam pari neceſſitate, non modo ad illam, ſed ad quamplurimas alias propoſitiones pro veris, & certis recipiendas adductos credam. Ita igitur a Deo optimo Maximo conditi ſumus, eamque ab illo animi, mentiſque indolem accepimus, qua in quamplurima objecta innata quadam mentis ipſius vi, atque indole neceſſario feramur, eorumque propoſitiones firmiſſimo aſſenſu, aut diſſenſu probemus, aut reiiciamus; quin naturali huic mentis, animique propenſioni reſiſtere unquam poſſimus. Quis autem erit philoſophus rationis lumine præditus (niſi Athei illi ſint, Deumque impie, & ſtulte negent, contra quos hoc in loco non diſſero), qui non modo in animum inducere, ſed ne mente quidem concipere poſſit, Deum Optimum Maximum ea nos mentis indole donaſſe, ut dum illa ducimur, datumque ab ipſo lumen, & regulam ſequimur, ſemper erremus? Hoc ſcilicet pacto in ipſummet rerum Auctorem, ſummam ſcilicet, atque infinitam ſapientiam, & bonitatem, communis omnium hominum error tribueretur; naturæ enim neceſſitate erraremus, naturæ, inquam, ab ipſo datæ lumen, atque dictamen ſequendo; quin vel noſtro hominum vitio referri malum, vel ullum a nobis quæri remedium poſſet. Neque ego argumentum ex eo duco, quod in objecta evidentia neceſſario feramur, eaque pro veris amplectamur, ſed ex eo quod illa objecta certa omnino eſſe credamus, nullumque nobis a firmiſſimo de iis aſſenſu errandi periculum ſupereſſe, firmiſſime teneamus.

471. 2°. Externa Corpora, & objecta reapſe exiſtere certum omnino nobis eſt, aut ſaltem per eos philoſophos, tamquam hypotheſis in loco demonſtranda, impræſentiarum dabitur: quandoquidem

dem igitur corpora ſenſibilia certo exiſtunt, ab iis circumdamur, perpetuo illa in nos agunt, ad illa percipiendum multiplici ſenſu ſumus a Deo inſtructi, eaque hominis gratia condidit Deus, & ad libitum tractanda nobis reliquit; admiratione dignum exiſteret, nihil nos tamen certi de hujuſmodi corporibus habere, de iis ſemper dubitare debere. Quod ſi hæc cognitionum incertitudo cum hujuſmodi ſenſibilium corporum certa exiſtentia ſtare non poteſt; potiori jure ab evidentibus illis, atque clariſſimis perceptionibus, quibus noſtram exiſtentiam, veritates geometricas, aliaſque paris evidentiæ propoſitiones novimus, firmiſſimam in nos derivari certitudinem concludemus.

472. 3°. Et vero omnem e noſtris perceptionibus certitudinem majori, qua poſſunt, contentione, atque mentis viribus inficiari adnitantur; eo luculentius ſibimetipſis ſuarum perceptionum aliquam certam eſſe conficient: illud enim ipſum, *omnia ſunt dubia, nihil a nobis certum ſciri* &c. erit apud eos certiſſimum; quod ſi id etiam dicant ſolummodo probabile, hoc eſt, *veriſimile apparere*; certum igitur eſt, ulterius pergo, id eſſe probabile, hoc eſt, apparere veriſimile: non enim jam de vero rerum ſtatu, ſed de pura apparentia loquimur, quæ intima conſcientia nobis conſtat. Sed de his fuſius infra.

Propoſitio.

473. *Certum aliquod medium, & ratio eſt, qua evidentia, atque certa ab incertis diſtinguamus, ſeu aliquod eſt veritatis criterium, & teſſera, qua humana ratio in veritate quærenda, errores vitando, & in rebus dubiis prudenter dirigatur.*

Primo enim ex ipſamet Dei bonitate, qua noſtrarum cognitionum certitudinem evincimus, aliquam etiam eſſe certam, atque determinatam regulam certum ab incerto, verum a falſo diſtinguendi demonſtratur. Æque enim infinitæ auctoris noſtri Bonitati opponeretur, nullam aut in rebus veritatem, & in nobis certitudinem eſſe, aut

eam

eam hominibus mentem donaſſe, qua veritatem, certitudinemque ipſam non diſtingueremus; hominibus, inquam, in id a Deo ipſo creatis, ut Auctorem univerſi certo cognoſcerent, a Creaturarum ad Creatoris contemplationem, & ſcientiam ſecuri devenirent, eaque ſcientia ad ſummi boni amorem, ad veramque religionem explorandam, quærendam, inveniendam citra errorem ducerentur. In eum finem fuiſſe nos a Deo creatos, nullus inficiabitur: Ecquo autem pacto ad optatiſſimum illum noſtrorum votorum ſcopum, & beatitudinem pervenire poſſemus, ſi certa ab incertis diſtinguere, & ſecundum veritatis ſemitam gradus ſemper dirigere neſciremus? qui autem fieri id poſſet, niſi aliquod eſſet certitudinis, atque veritatis criterium, humanæ rationi notum, aut facile dignoſcendum? Semper enim in incertum tenderemus, errorem multoties pro veritate amplecteremur, & æternæ, veræque Beatitudinis loco vanum felicitatis phantaſma, & veram miſeriam conſequeremur. Quandoquidem ſcilicet nullum nobis medium ſuppeteret certum a certo, verum a falſo diſcernendi; qua tandem animi, mentiſque firmitate teneremus, Deum eſſe, eamque, atque omnes alias religionis veritates ad ſanguinis uſque effuſionem, extremumque capitis periculum propugnaremus, nullumque circa hujuſmodi argumenta dubium nobis injici ſuſtineremus? Rebus ſcilicet omnibus rite diſcuſſis, & mature examinatis, ſi nullum eſſet veritatis criterium, quod a nobis animadverti, atque explorari poſſet, de quo tandem certi eſſe poſſemus; illa omnia probabilitatem, & veritatis apparentiam non tranſcenderent; proque rebus probabilibus, hoc eſt, ancipitis veritatis ſanguinem effunderemus. Id vero a nemine unquam admitti crediderim.

474. 2°. Ejuſdem rei evidentia clarius adhuc in geometricis veritatibus apparet; dum enim Geometriæ operam damus, & in clariſſimas illas demonſtrationes incidimus, quæ firmiſſimum mentis aſſenſum extorquent; aliquid in iis eſſe animadvertimus, & perſpicue cognoſcimus, quo & illæ a nobis aſſenſum extorquent, & ab obſcuris, probabi-

babilibuſque aliarum diſciplinarum propoſitionibus diſtinguuntur: quis enim inter haſce propoſitiones, *Colores perinde extra animam ſiunt, atque ſoni; Cujuſvis trianguli duo quævis latera reliquo ſunt majora*, veritatis, atque certitudinis diſcrimen non animadvertat, dum ſeſe de prima dubitare poſſe, ſecundam vero firmiſſimum a ſe aſſenſum extorquere cognoſcit? Id vero diſcrimen, qualecumque tandem illud ſit, qua fit, ut ad aliarum propoſitionum aſſenſum ſponte feramur, dum alias ita amplectimur, ut ſemper tamen dubitemus, veritatis, & certitudinis criterium nuncupabimus.

475. 3°. Tandem, ne rem plane certam, & claram pluribus proſequamur, ipſamet natura, & communis hominum ſenſus, atque dictamen certitudinis, & veritatis criterium in quotidianis noſtræ mentis propoſitionibus quaſi indice demonſtrat. Si communem hominum cogitandi, atque agendi rationem attente meditemur, quaſcumque tandem hominum conditiones examini, obſervationique noſtræ eligamus, plurimaſque diverſarum rerum ideas menti ipſi non ignotas recenſione quadam percurramus, aut hominem ipſum per diverſa rerum capita ducamus; de aliis quidem ita certos offendemus, ut nulla omnino ratione ſeſe ab ſententia divelli poſſe aperte pronuntient: interim vero circa plurima hærent, nonnulla in medium producta, tenacius, debiliuſve amplectuntur; aliquibus etiam neque inſiſtunt, neque tamen inficiantur: uno verbo, in multiplici, varioque idearum, atque propoſitionum, genere unum eumdemque hominem, natura tantum, atque rationis lumine ductante, multiplicem aſſenſus, firmitatiſque, certitudinis, veriſimilitudiniſque gradum diſtinguere animadvertes. Porro dum ita agimus, atque de rebus judicamus, prout rerum ipſarum claritas, & rationum momenta perſuadent, quid aliud quam criterium ſingulis propoſitionibus conveniens aſſignamus? Duabus hiſce propoſitionibus Deum eſſe ſupponimus (quod Idealiſtæ non negant): univerſalem vero Scepticiſmum impu-

impugnandum non aſſumpſimus, quod ſtatim aggrediemur.

476. Contra utramque propoſitionem hactenus probatam ſequentes difficultates opponuntur, quæ prætermitti non debent: Ex intrinſeca noſtrarum idearum indole, claritate, & conditione confici poſſe videtur, non modo nullam apud nos eſſe propoſitionem certam, ſed nullum etiam inter illas eſſe, aut diſtingui a nobis poſſe aliquod veritatis, ſeu certitudinis criterium: Primo enim cognitio quæcumque humana v. g. de recenti hujus mundi creatione eſt perceptio connexionis, aut repugnantiæ inter noſtraſmet ideas exiſtentis, quin ad res ipſas extendatur; objecta enim non in ſeipſis quidem immediate, ſed in eorum tantum ideis cognoſcimus, de illiſque judicium ferimus, prout in ideis noſtris apparent, atque exhibentur: hoc autem poſito, aliquam in rebus veritatem, atque certitudinem eſſe, atque a nobis diſcerni poſſe, non probabimus: ad id ſcilicet opus eſſet, ideas noſtras mentales veris earum objectis eſſe ſimiles, eaque, prout ſunt, repræſentare, ut de objectis vere diceremus, quod de eorum ideis affirmamus, aut negamus: unde tamen habemus, ideas cum objectis conformari, iiſque ſimiles exiſtere, ut quidquid in ideis apparet, poſſit pariter de objectis pronuntiari? Quæcumque nos de ideis noſtris dicamus, inſani pariter de ſuis affirmabunt: tam delirans, quam homo ſanus ſecundum eas, quas habent, ideas de rebus loquuntur, & ſententiam ferunt.

477. 2°. Quid ideæ ſint, quo pacto objecta repræſentent, ab iiſque originem ducant, prorſus ignoramus: cum igitur hæc una via nobis ſit, qua veritas, atque certitudo in noſtras cognitiones derivetur, & conſtet; quamdiu illa omnia nos lateant, de noſtrarum cognitionum certitudine dubii ſemper erimus.

478. 3°. Claritas illa, atque evidentia cognitionum, & idearum, quæ mentem ad aſſenſum rapit, potiſſimum nobis argumentum eſt ad noſtra-

ſtrarum perceptionum certitudinem adſtruendam; ita ut ea ſemper certa exiſtimemus, quorum ideas, idearumque connexionem clare inſpicimus: atque tandem inter noſtrarum idearum, cognitionumque claritatem, & vividiſſimum fanatici hominis enthuſiaſmum intercedit differentia? Clariſſime ille etiam ideas in mente depictas, objecta, illorumque connexionem videre clamat; nullum hujuſmodi inſanis dubium remanet: caleſcente imaginatione, & enthuſiaſmo rapiuntur: quantumlibet hujuſmodi enthuſiaſtæ ſuarum idearum claritatem venditent atque conſtantiſſime aſſerant; qui tamen ſana mente vivimus, quas illi cerebro chimæras volvant, & videre exiſtiment, aperte cognoſcimus: forſitan & nos, hoc eſt, omnes ſcilicet homines, noſtro judicio ſani, alio enthuſiaſmi morbo, integræ ſpeciei communi, laboramus, & ad infimum ſpirituum ordinem comparati, enthuſiaſtæ pariter, fanatici, aut fatui non immerito exiſtimamur, eorumque judicio mille chymeras, & falſa deliramus, dum nos de noſtrarum cognitionum certitudine nobis plaudimus. Illud utique fanaticorum vitium, & enthuſiaſmus ab organorum corporis diſpoſitione totum provenit; cum multoties ſani homines ad extremam inſaniam deveniant: corporis igitur organorum diſpoſitione & actionibus fit, ut quæ dubia, atque probabilia tantummodo exiſtunt, tamquam certe clariſſime exhibeantur, atque exiſtimentur: quandoquidem igitur in corporis, & organorum ſtructuram res tandem redigitur; unde probabimus ea cerebri, nervorum indole, & ſtructura humanam ſpeciem fuiſſe a Deo præditam, qua objecta, ut in rebus exiſtunt, repræſententur?

479. 4°. Veritates, & demonſtrationes Geometricæ, immo & morales, de quarum claritate, atque certitudine tantopere gloriamur, in noſtriſmet ideis, idearumque connexionibus ſiſtunt, atque verſantur, ad externa objecta, quatenus demonſtrationes ſunt, non extenduntur, neque ut ſint veræ, atque rigoroſæ demonſtrationes, ab externis objectis dependent: ſunt proinde veritates pure ideales,

les, quarum certitudine etiam admiſſa, realis noſtrarum cognitionum certitudo ab objectis dependens non demonſtratur.

480. Antequam adductis difficultatibus, quæ ex penitiori noſtrarum idearum natura petitæ ſunt, reſpondeam, tria prius circa ipſarum idearum cauſſam, atque objectum recolenda ſunt, quæ jam ſuperius attigimus. *Primum* : Ideas ſimplices rerum nobis comparare non poſſumus, & veluti de novo cudere, gignere, aut creare; earum proinde objecta neceſſario exiſtunt in natura; a quibus ipſæ ope ſenſuum in nobis generantur. Infinitarum rerum poſſibilium tum materialium, tum ſpiritualium, tum etiam aliorum forſitan generum nullas omnino habemus ideas, quia earum objecta, & prototypa non exiſtunt: nec ſatis eſt, rem extra animam exiſtere; opus præterea eſt, ut mediis ſenſibus in mentem, animamque noſtram agere poſſit; quam enim de luce, atque coloribus cæcus, de ſono, & muſica ſurdus ideam habent? Nullas nos etiam de ſpiritibus, plurimiſque materialibus rebus in natura exiſtentibus ideas habemus, propterea quod aptis ad ejuſmodi rerum perceptionem ſenſibus deſtituimur: ideæ igitur ſimplices ab earum prototypis immediate proveniunt.

481. *Secundum:* Ideæ complexæ, ſi illas ſubſtantiarum excipiamus, v. g. ideæ amicitiæ, homicidii, exercitus, & infinitæ hujuſce generis aliæ, cum ſint factitiæ, atque noſtræ mentis opus, quod mens ipſa ex ſimplicium idearum combinatione, & compoſitione conficit, ut illas deinceps contempletur, inter ſe comparet, plurima de iis enuntiet, atque ratiocinetur, non habent extra animam archetypa aliqua, atque modulos, quos neceſſario referant, & ſimilitudine repræſentent, ad quorumque formam ipſæ ſemper in anima generentur: non quod earum objecta perinde in rebus multoties non exiſtant, ac ab ipſis ideis repræſentantur; aut quod aliquando etiam eas ab objectis ipſis ope ſenſuum non habeamus; ſed ob id potiſſimum, quod hujuſmodi ideæ ex genere ſuo ab earum objectis neque ad primam earum generationem, neque ad conſerva-

vationem dependeant; licet multoties fiat, ut earum objecta in rebus etiam exiſtant. Exemplo res fiet clarior: Ideæ homicidii, adulterii, amicitiæ ſunt proculdubio complexæ, & ex plurimis ſimplicibus compoſitæ; quas tamen ut nobis comparemus, opus minime eſt, vera in mundo præceſſerint adulteria, homicidia, amicitiæ: ſatis nimirum eſt, mentem ſimplicibus illis ideis eſſe inſtructam, ex quibus illæ componuntur, ut ipſa ſibi prædictas ideas componendo, aut aliter combinando comparet. Neque enim crediderim Adamum, ceteroſque homines nullam ſibi illorum criminum ideam comparaſſe, & mente concepiſſe, priuſquam vera in mundo fuerint patrata, propriiſmet oculis vidiſſent, aut ab aliis acceperint. Sit, necne, inter homines vera aliqua amicitia, quod philoſophicum poteſt eſſe problema, ejus ideam nihilominus habemus; plurimas ab eadem veræ amicitiæ leges ſtatuimus, nihil interim ſolliciti de vera inter homines amicitiæ exiſtentia. Quin immo ſiquid ab hominibus eo nomine donetur, id ut exploremus, ſecundum noſtram illam amicitiæ ideam expendimus, eoque minus aut magis eo nomine dignam eſſe pronuntiamus, quo minus, aut magis ad ideam noſtram accedit.

482. Quod de amicitia exempli cauſſa dicimus, de omnibus aliis ideis compoſitis eſt pariter dicendum: inde vero eſt, quod ideæ noſtræ complexæ ſuimet archetypæ, atque repræſentationes exiſtant, ſe ipſas tamquam objecta repræſentant; omneſque hominum perceptiones, judicia, ratiocinia, demonſtrationes de hujuſmodi compoſitis ideis inſtitutæ illas tantum habent pro objecto, de iis tantum verificantur, de iis intelliguntur, & intelligi volumus, cum de hujuſmodi rebus loquimur: de objectis enim agimus, affirmamus, aut negamus, prout illa mente concepimus, ideiſque noſtris repræſentata, & veluti depicta habemus. Noſtræ igitur perceptiones, judicia, demonſtrationes de hujuſmodi ideis elicitæ non ab eo ſunt veræ, quod externis objectis conformentur, deque iis verificentur; ſed potius objecta externa v. g. amicitia eate-

nus

nus erit verum noſtræmet idealis amicitiæ objeċtum, atque propoſitiones de illa ideali amicitia prolatas in ſeſe verificabit, quatenus ad eamdem idealem amicitiam magis accedet, & cum ille conformabitur. Hujus ſpeciei ſunt, præter infinita alia, quidquid in Geometria demonſtratur, omnes veritates puræ matheſeos, ſcientia morum &c. etſi enim nulla eſſent corpora, ſeu trina dimenſio, nullumque in mundo homicidium, amicitia, reſpublica; nihilominus quidquid de quantitate in Geometria, aut aliis puræ matheſeos partibus demonſtramus, veriſſimum ſemper eſſet, ut verum modo exiſtit, quantumvis in nulla reali magnitudine verificentur; ſtarent etiam amicitiæ leges, Reipublicæ ſtatuta, homicidii, aliorumque criminum malitia demonſtraretur, quamvis nihil in rebus eſſet, quibus illa convenirent. Omnium hujuſce ſpeciei idearum atque perceptionum veritas ab objectis externis non dependet, ſed in ea conformitate tantum conſiſtit, qua ideæ, earumve perceptiones cum ipſiſmet ideis conformantur.

483. *Tertium*. Ideæ ſubſtantiarum, quæ etiam complexæ ſunt (nam ſimplices nullas habemus, neque ſubſtantiæ nomine ſimplex aliud nobis obverſatur, quam obſcurum, neſcio quid, quod eſſe extenſum, ſolidumque dicimus) ideæ, inquam, ſubſtantiarum archetypa ſua habent extra animam: cum hujuſmodi ideæ aliud non ſint, quam quædam ſimplicium idearum complexio, quas & in natura ſimul eſſe cognoſcimus, & ſub proprio ſubſtantiæ nomine intelligimus. Veritas perceptionum circa eaſdem ideas in eo conſiſtit, quod omnes ſimplices ſubſtantiarum ideæ, ex quibus complexæ componuntur, vere in natura in uno eodemque ſubjeċto ſimul exiſtant. Nomine auri v. g. complexam ſubſtantiæ ideam ſignificamus, cujus partes ſunt ſimplices hujuſmodi ideæ *flavedo*, *pondus*, *ductilitas*, *ſolubilitas*, & ſiquæ ſunt aliæ: quod igitur hæc rerum, ſeu idearum ſimplicium complexio in re aliqua ſimul exiſtat in natura, illud eſt objectum, atque prototypon, quod prædictæ ideæ, atque cognitiones in rebus ipſis ſupponunt.

Ex

484. Ex quibus omnibus facile deducitur primo, duplicem eſſe noſtrarum cognitionum certitudinem, atque veritatem, *mentalem* ſcilicet primam ſeu *idealem*, *realem* vero ſecundam: Prima illarum omnium cognitionum, atque idearum propria eſt, quarum prototypon intra animam ſolummodo exiſtit, quin ab aliquo objecto externo dependeat: cujuſmodi eſt propoſitionum, atque demonſtrationum Geometricarum veritas, atque certitudo: Secunda idearum ſimplicium, earumque cognitionum, quæ circa illas tantum verſantur, propria exiſtit. Iis præterea tertia alia adjungi poteſt, ex utraque mixta, quæ nimirum proprie eſt idealis, ſeu mentalis, quod in ideis noſtris primario ſiſtat; eſt tamen, atque dicitur realis, quatenus ea in natura exiſtunt objecta, quibus idearum noſtrarum notiones, atque veritates de iis demonſtratæ conveniunt: hujus generis ſunt quamplurima ad morum ſcientiam ſpectantia, puta homicidium, furtum, rapina, & ſexcenta alia, in quibus locum etiam habent, quæ de ideis eo nomine donatis demonſtramus, propterea quod ipſiſmet ideis conformentur: unde etiam deducitur, veritatem aut eſſe conformitatem actus mentalis cum idea, aut cum objecto reali ab idea diſtincto, aut cum utraque. Secundum variam etiam noſtrarum cognitionum indolem, atque naturam earum veritatis, & certitudinis criterium quærendum, atque ſtatuendum eſt.

485. Ex iis omnibus, quæ certa apud omnes haberi debent, adductæ ſuperius difficultates ſolventur. Ad primum, in quo multa involvuntur, Reſp. Maxima noſtrarum idearum, atque perceptionum pars in ideis ipſis potiſſimum, & præcipue ſiſtit, ad objecta vero externa aut nequaquam, aut ſecundo tantum extenduntur: quæ igitur per illas ideas, atque perceptiones cognoſcimus, vere per illas repræſentantur, ſuntque illis prorſus ſimilia, ut per ſe eſt manifeſtum. Aliæ deinde idearum ſpecies, quæ aut natura ſua, aut caſu externa objecta tanquam prototypon repræſentant, in objectorum ſuorum ideis minime ſiſtunt, ſed ipſamet externa objecta vera, & unica earum proto-

typa referunt, & immediate attingunt: cum ab objectis immediate proveniant, eorumque vices in anima noſtra agant, fieri non poteſt, quin iis ſint repræſentatione ſimiles. Idque etiam eſt ad complexas ſubſtantiarum ideas, & generatim ad omnes alias extendendum, quæ reapſe ab externis rebus proveniunt. Niſi ita eſſet, communis hæc omnium hominum illuſio, atque error in Deum iterum referretur: cum ita ab ipſo rerum omnium Auctore ſimus comparati, ut res externas tractare, iis uti, & cognoſcere poſſimus, atque debeamus: Ex quo autem alio medio illa rerum cognitio haberi poteſt, quam per ipſarummet rerum ideas, quas ope ſenſuum comparamus?

486. Quod ſecundo loco opponitur, nihil negotii faceſſere poteſt: ideæ quid ſint, quomodo ab objectis proveniant in anima, & ab anima gignantur, in illa remaneant, & objecta remotiſſima præterita, & jam forſitan non exiſtentia menti repræſentent, non intelligimus, neque ullam de reconditiſſimis hiſce rebus ideam habemus: male tamen inde inferremus, ipſaſmet ideas, atque perceptiones objecta non attingere, cum iis non conformari, nullamque in iis veritatem, aut certitudinem eſſe poſſe, aut ab illis in mentem derivari. Nulla inter duo hæc extrema viſitur connexio, neque unum ex altero infertur: Si quæ enim non percipimus, neque idea aliqua attingimus, vera, & certa eſſe non poſſent; in dubium etiam philoſopho Idealiſta revocanda eſſent noſtramet omnium cogitatio, anima, commercium inter animam, & corpus, idearum exiſtentia, & mille ejuſdem farinæ alia, quæ quidem Idealiſta (quidquid ille verbis in ſpeciem proferat) vera, atque certa agnoſcit, quantumvis neque quo pacto fiant, intelligat, neque ullam eorum ideam habeat: de rebus igitur, quarum naturam, & modum ignoramus, intimo ſenſu, conſcientia, atque ratione certi omnino eſſe poſſumus, quin hujuſmodi ignorantia, atque ſcientia opponantur.

487. Tertium argumentum, quod ex ipſamet idearum claritate, atque vivacitate enthuſiaſmi fa-

fanaticorum, atque inſanorum hominum petitur. Phyſicam etiam, & penitiorem animalium organorum, cerebrique ſtructuram, atque tranſmiſſionem actionis ab objectis externis ad animam uſque attingit. Sed cum jam quæ ad phyſicam pertinent, luculenter in Phyſica viventium explicaverim, iis impræſentiarum omiſſis, idearum claritatem, atque vivacitatem, ex qua totum argumentum deſumitur, expendemus: cognitionum certitudinem ab illarum claritate, & evidentia deducimus, propterea quod cum ita a Deo comparati ſimus, ut quæ clare percipimus, pro certis omnino, atque neceſſario teneamus; in Dei tandem bonitatem, atque ſapientiam infinitam univerſalis illa rerum, atque cognitionum incertitudo, errandi periculum, atque error integræ ſpeciei communis refunderetûr. Id tamen verum ſolummodo habet in illa, quæ vera eſt, cognitionum, atque idearum claritate, & evidentia, puroque mentis lumine, quod naturæ ipſius, conſcientiæ, atque naturalis rationis teſtimonio unuſquiſque noſtrum in ſe ipſo facile animadvertit, a Deoque acceptum agnoſcimus. Hæc una eſt idearum, perceptionunque claritas, aut evidentia, ex qua noſtrarum cognitionum certitudinem omnis hæſitationis expertem deducimus: hujuſmodi vero eſſe claritatem illam idearum, in humana ſpecie communiter deprehenſam, nullus, credo, in dubium revocabit, qui animadvertat, nullis tot diverſarum gentium præjudiciis, moribus, religione, ſtudiis, affectibus, educatione, climate, & mille id genus aliis, fieri unquam potuiſſe, ut de idearum, atque perceptionum claritate non conveniant, aut eam a falſa claritate non diſtinguant, aut de illius veritate dubitent: quod maximo argumento eſt, id nos a natura, hoc eſt, a Deo ipſo accepiſſe, nullique communi vitio eſſe referendum.

488. Nihil tale in enthuſiaſta, atque inſanis hominibus locum habere, confici unquam poterit: ut autem teneret argumentum, probandum primo eſſet fanaticorum enthuſiaſmata eſſe ideas claras, ut ipſimet enthuſiaſtæ contendunt, homines qui-

dem, quorum teſtimonio adhibendam eſſe fidem, nullus ſanæ mentis affirmabit: hos homines, cum idearum evidentiam maxime jactant, miſerum falli, & mille ſibi chymæras pro veris objectis repræſentare, reliqui omnes ſanæ mentis homines, hoc eſt, totum humanum genus ad evidentiam uſque percipiunt: quo quidem in eventu ex una parte perpaucos habemus homines, qui falſa pro veris, atque certiſſimis confidenter aſſerunt, eaque clariſſime videre exiſtimant, quorum cerebrum maxime callet, imaginatio, & phantaſmata fervida agitatione tumultuantur: ex alia vero totam hominum ſpeciem ſedato, ut ajunt, ſanguine, atque imaginatione de rebus conſulentium, atque ſententiam ferentium. Atque poſtremi hujuſce judicis ſententiam, & evidentiam experientia ſemper confirmari comperimus. Cum res eſt ſenſuum obſervationis, & teſtimonii capax, dum primo experientia, communiſque hominum ſenſus, & ratio ſæpiſſime refragentur: cuinam, amabo, eorum judicum veram idearum, atque perceptionum claritatem, atque certitudinem aſſeremus? At enthuſiaſtæ, inquies, rei ideam, vel etiam objectum in idea vivaciſſime intuentur; indeque tenaciſſimus ille eſt animus, atque audacia, quibus ſuaſmet chymæras propugnant, & vitæ etiam diſcrimen, atque mortem impigre adeunt. Rem ita eſſe non inficior, dummodo per illud *vivaciſſime* aliud non intelligant, quam tumultuantium idearum perturbationem, vividamque phantaſmatum excitationem, qua fit, ut rei, cujus ſpecies tumultuantur, non tam appareat veritas, quam non appareat falſitas: quod ſi verbo *vivaciſſime* idearum claritatem ſignifices, tum vero propoſitionem negabo.

489. Quod de phyſica organorum humani corporis ſtructura, de communi hominum inſania additur, pulcherrimum eſt poeſis ornamentum: philoſophice tamen conſideratum, in id unum redigitur, quod mens humana mira ignorantiæ, & errorum caligine in hac vita laboret; animus vero quamplurimis agitetur paſſionibus, præjudiciis, atque effectibus, ex quibus magna etiam errandi facili-

cilitas in mentem derivatur: utcumque tamen iſta ſe habeant, communis illa humanorum corporum, & organorum ſtructura, & idearum claritas, aut evidentia communi etiam omnium judicio probata, duo illa ſunt nobis a Deo donata, ut & externa corpora perciperemus, & de noſtrarum idearum certitudine penitus quieſceremus: quorum ſi unum, aut alterum ad finem illum obtinendum aut ſatis non eſſet, aut vitio aliquo laboraret, in Deum tandem humani errores referrentur.

490. Quod quarto loco de geometria, de ſcientia morum, aliiſque quamplurimis adducitur, eſt veriſſimum; nobis tamen minime opponitur: inter ideas ſimplices, & complexas, originales, & factitias, atque etiam inter earum objecta, latiſſimum intercedere diſcrimen, ſuperius diximus: aliarum quidem objectum, atque prototypon in rebus exiſtit; aliarum ſunt ipſæmet ideæ; aliæ denique pro objecto habent & ſe ipſas, & res etiam externas: ſingulis harum idearum ſpeciebus ſuam eſſe veritatem, atque certitudinem, probavimus: licet igitur aliquæ ſint, ad quarum veritatem, atque certitudinem realis objectorum exiſtentia extra animam non requiratur, propterea quod earum prototypon in mente exiſtat; aliarum tamen, puta ſimplicium, & complexarum ſubſtantiæ idearum, certitudo realem externarum rerum exiſtentiam neceſſario ſupponit, cum unicum illa ſint earum idearum prototypon, atque principium, ſine quo in animo gigni non poſſent.

491. Quoniam ex hactenus diſputatis duo hæc habemus, eſſe in humanis perceptionibus, ſeu propoſitionibus certitudinem, atque etiam naturale aliquod medium certitudinis, veritatiſque criterium exiſtere, cujus ratione vera a falſis, certa ab incertis diſtinguere poſſimus; tertium illud examinandum ſupereſt, quodnam id tandem ſit naturale criterium, teſſera, & character veritatis, quo ſemel in propoſitionibus, & quacumque alia humana perceptione animadverſo, probe dignoſcamus, atque ſtatuere certo poſſimus, quibus propoſitionibus, atque cognitionibus acquieſcendum nobis

bis ſit, de quibus dubitandum, quæ etiam rejicere oporteat. Porro ejuſmodi criterium eſt ultima illa ratio, propter quam veritati cuicumque adhæremus, eam melius, atque ſecurius invenire nullus poterit, quam ſi inſtituta illarum propoſitionum analyſi, quas pro certis apud ſe habet, atque ſuimet aſſenſus rationem a ſeſe ſemper quærendo, ad aliquod tandem deveniat, in quo ſiſtere, & acquieſcere oporteat. Exemplis rem illuſtremus: a temetipſo, dum hæc legis, & cogitas, ſi quæras, *exiſtas*, *necne*, *cogites*, *legas*, utique, reſpondebis: Eſt ne mihi aliqua, perges, de hiſce veritatibus certitudo? maxime, ſubjicies, de qua adduci non poſſum ut dubitem. Unde tamen eſt, quod certum id firmiſſime teneam, neque in dubium revocare valeam? quia, repones, ea claritate, atque evidentia percipio me cogitare, & exiſtere; dum cogito, id mihi eſt clarum adeo meæ ipſius conſcientiæ, & intimi ſenſus teſtimonium, atque perceptio, ut quantumvis in contrarium adnitar, aſſenſumque cohibere ſtudeam, quadam me neceſſitate aſſentiri experiar: forſitan tamen miſerum deludor, & ſomnio; unde enim habeo, quod modo etiam placidiſſime non dormiam, atque nocturnas haſce mihi chymæras, & vana phantaſmata effingam; multoties ſiquidem inter dormiendum per vana hujuſmodi ſimulacra mentem meam otioſe divagatam memini: Verum latiſſimum ego diſcrimen clare percipio inter ſomniorum ludibria, & eas, quas modo habeo, mentis perceptiones: ſomnia utique facile cum riſu rejiciebam, nulla me ad aſſenſum adigebant; expergefacto, nulla mihi prorſus vi illata, nocturna illa phantaſmata vana eſſe apparebant: contraria omnia vigilanti accidunt: rationis illa, conſcientiæ, atque intimi ſenſus evidentia, & perceptionis claritas, quam vigilans experior, ſomnians ſemper deſidero, me tanquam ad ſaxum adhæreſcentem firmiſſime tenet. Bene eſt: ſit illud inter ſomnia, & mentis vigiliam claritatis, atque evidentiæ aliquale diſcrimen: vigiliæ tamen, atque inſomniorum evidentiæ ejuſdem forſitan rationis utraque exiſtunt; nec niſi aliquot cla-

claritatis gradibus inter ſe diſtant; tum vero quo pacto uni præ altera certitudinis, atque veritatis privilegium tribuendum ſit, plane non video: ſimus nos forſan ita a natura comparati, ut vigilia paucis ſolum gradibus a ſomno diſtet? ut etiam tum cum nos ad aſſenſum neceſſitas adigit, in errorem nos & labamur, & labi poſſe agnoſcamus? At enim rebus hiſce omnibus mature perceptis, unde libet, & qualiſcumque illa ſit inter inſomnia, & vigiliam, inter utriuſque evidentiam differentia; cum omnia humana & vigiles cogitemus, & vigiles agamus, noſtrimet errores naturæ ipſi, ſeu potius naturæ auctori eſſent tribuendi, ſi quæ clare, atque evidenter vera eſſe videmus, poſſent nihilominus inveniri falſa, & mentem noſtram ad aſſenſum neceſſario adigere.

Atque ex hac perceptionis, aſſenſuſque noſtri analyſi ſatis apparet, quid illud ſit, in quo tandem mens noſtra ſiſtit. Antequam ulterius progrediamur, iterum diſtinguenda triplex evidentia, de qua ſuperius egimus, *rationis* nimirum (quo etiam nomine conſcientiæ evidentiam modo comprehendimus) *ſenſuum*, *auctoritatis*, ſeu *moralis*: quælibet in ſuo genere mentis noſtræ aſſenſum extorquet.

PROPOSITIO.

492. *Ultimum veritatis, atque certitudinis humanarum cognitionum criterium eſt evidentia.* Propoſitio ex præmiſſa modo analyſi ſatis demonſtratur: quomodocumque enim naturalium veritatum, quibus aſſentimur, analyſim inſtituamus, & ultimam aſſentiendi, aut diſſentiendi rationem quæramus; aliam invenire nunquam poſſumus præter naturalem evidentiam, in qua una, cum ad eam tandem deveniamus, ſemper ſiſtimus; nihilque ulterius ſupereſt, aut in mentem occurrit, quod pro firmiter aſſentiendi ratione nobis aut aliis quærentibus reddere poſſimus.

2°. Nomine criterii, ſeu notæ veritatis cognitionum naturalium id unum intelligimus, quod

ubicumque appareat, dubium omne depellat, noſtrumque aſſenſum omnino extorqueat, ita ut mens noſtra ulterius procedere rationem quærendo non debeat; ut ſit de aſſerta veritate ſecura: ex quo etiam conſequitur, veritatis criterium ultimam illam eſſe aſſentiendi rationem, quæ dubium omne depellit, aſſenſum extorquet, & qua deſiderata, certi amplius de veritate non exiſtimus. Id ſane mihi eſt indubiæ veritatis character, & incertitudinis ab incertitudine nota: quod ſi quis inficiaretur, atque tria illa cum errore ſtare poſſe contenderet; ille ſane admitteret nos quidem ita natura eſſe factos, & a Deo creatos, ut in errorem fatali neceſſitate laberemur; unde tandem ſequeretur, in Deum ipſum errores noſtros eſſe referendos: quorum ſingula ſuperiori propoſitione confecimus.

493. Jam vero evidentia unum illud eſt, in quo tres relatæ notæ inſimul inveniantur: Ultra evidentiam aſſentiendi rationem quærendo neque progredimur, neque progredi unquam poſſumus: in illa ſemper ſiſtimus, & firmiſſime acquieſcimus: quidquid etiam evidenter agnoſcimus, id pro certo ſemper habemus, quin ne minimum quidem hæreamus: contra vero fac, ut a quacumque humana cognitione, ceteris omnibus manentibus, una evidentia, ſeu perceptionis claritas decedat; tum vero quibuſcumque rationum momentis ſuadeamur, mens ſemper dubitat, neque dubium penitus depellere poteſt. Rem videre eſt in duabus quibuſvis propoſitionibus, quarum una ſit evidens, v. g. *duo latera trianguli reliquo ſunt majora:* altera vero probabilitatem non ſuperet, v. g. *Americæ detectio Europæ nationibus majorem attulit utilitatem, quam damnum* (*problema quidem*, quod pro parte negativa quamplurima jam inde a prima Americæ ipſius detectione reſolverunt): Si circa utramque propoſitionem mentis noſtræ ſtatum attente perpendamus, atque enucleemus, re mature diſcuſſa unam offendimus evidentiam, quæ primam propoſitionem, cui ineſt, certam; ſecundam, in qua deſideratur, dubiam omnino relinquit.

3°. Clarior adhuc res evadet, ſi quæ alii philoſophi

ſophi excogitarunt, & in medium attulerunt veritatis criteria vel leviter proponamus. Primo ſunt, qui unicum veritatis criterium in ſola Divina auctoritate ſtatuunt, quam opinionem præ aliis propugnavit *Petrus Daniel Huetius* vir apprime doctus.

494. Equidem Divinam revelationem, & auctoritatem eſſe per ſe ſumme certam, evidens, atque conſtans per ſe eſt: Erit tamen propterea veritatis criterium? Ne ita ſtatuamus, faciunt ſequentia: 1°. Cognitionum naturalium criterium quærimus, ſupernaturalia modo in quæſtionem non vocamus. Si quis enim omnem a naturalibus perceptionibus certitudinem rejicit, ei impræſentiarum litem non intendimus. 2°. Humana ratio, perceptio, & evidentia ſpectari debet tamquam revelatio naturalis hominibus in hac vita a Deo conceſſa, ut & ſcirent, & crederent, & in Deum ipſum certiſſime dirigerentur: uno verbo, Deus Optimus Maximus ſeſe hominibus ſolo naturalis rationis lumine utentibus revelavit: ſeſe autem Deum cognitionis evidentia revelare, quæ aut in falſum ducere poſſit, aut non reddat de aſſecuta veritate ſecurum, ipſius Dei bonitati, & ſapientiæ repugnat. 3°. Infinita pene ſunt rerum, atque veritatum genera, quas divina revelatio non comprehendit, neque ad illas extenditur, qualia ſunt veritates phyſicam, aliaſque naturales ſcientias, atque artes ſpectantes, quas ſenſu percipimus, & phyſica certitudine tenemus, Geometria, Metaphyſica, Moralis, quorum partem ſola rationis, partem morali evidentia cognoſcimus: Qui nullam iis certitudinem ineſſe diceret, non in naturalis modo rationis lumen, ſed in Religionis etiam, Divinæque auctoritatis veritatem piaculum committere videretur: quidquid enim ſibi Scepticus fingat, & ad univerſalem dubitationem undecumque præſidii quærat, conſtanti ſemper ſuæmet rationis teſtimonio, & lumini æternum reluctanti opponetur. 4°. Unde etiam habes Divinam præceſſiſſe Revelationem, cujus auctoritati mentem omnino ſubjicere, tamquam indubio, unicoque veritatis cri-

criterio oporteat? Revelationi, ſi qua exiſtit, firmiſſime aſſentimur: extitiſſe tamen prius nobis conſice: neque enim illam immediate a Deo habui, ſed ſola traditione, rationiſque argumentis accepimus, qui prophetæ non ſumus: ad rationem igitur naturalem evidentem neceſſario confugiendum: duo enim hæc ad abſolutam alicujus veritatis certitudinem ex revelatione conficiendam requiruntur, quod Revelatio extiterit, & quod illam in ſpecie veritatem patefecerit. Unde autem, niſi a ratione, revelationis exiſtentiam habes: ratione, inquam, quæ morali ſaltem evidentia illam demonſtret? Quocumque ſeſe vertat Scepticus, unicam auctoritatem admittens, ad id ſemper deveniendum eſt, ut quotieſcumque de revelatione traditionali, ab aliiſque accepta agitur, tam in ſupernaturali, quam in naturali revelatione, hoc eſt, naturali ratione certitudinis criterium conſtituamus. Neque enim dubium alicui eſſe poteſt, originalem revelationem, ſeu auctoritatem divinam originali revelatione habitam perfectiſſimum ſecum afferre, & ſe ſola eſſe certitudinis criterium: quis enim dubitaret ineffabile illud Dei revelantis lumen certiſſimam per ſeſe non eſſe veritatis teſſeram?

495. Quorundam etiam philoſophantium ſententia fuit, prima illa, quæ dicunt, principia, *idem non poteſt ſimul eſſe, & non eſſe: quodlibet aut eſt, aut non eſt*, eſſe veritatis criterium, ita ut ea propoſitio pro certa ſemper habeatur, quæ ſi eſſet falſa, illorum principiorum falſitatem una ſecum deferret: vel potius quatenus omnes propoſitiones certæ in prima tandem ea principia reſolvantur. Sed ut de hiſce exiſtimatis principiis dicam, quod ſentio, quo pacto illa ſint, aut dici poſſint alicujus ſcientiæ, & multo minus omnis humanæ certitudinis principia, quomodo ab iis noſtrarum cognitionum certitudo deducatur, aut in illa reſolvatur, iiſque humanæ ſcientiæ tanquam baſi innitantur, intelligere nunquam potui. Et 1°. quidem ſcientias, ſeu illa, quæ nos rationis, aut ſenſuum evidentia cognoſcimus, ab iis principiis deduci,

duci, plane nego. Phyſicam quotidie, Geometriam, aliaque multa innumeri paſſim a fundamentis ediſcunt, & longe promovent, qui ne de iis quidem principiis nunquam cogitarunt, aut ullam eorum mentionem fieri audierunt. Quidquid in Phyſica agnovimus, ſi certum ſit, in ſenſuum evidentiam; ſi probabile, in conjecturas, & analogiam, utrumque autem in idearum tandem claritatem, aut obſcuritatem reſolvitur; quin rem ulterius ad principia aliqua reducere ſtudeamus, aut poſſimus. Fit enim ſemper, ut cum rem clariſſimo ſenſu perceptam v. g. modo hæc a me ſupra chartam ſcribi, firmiter tenemus, notæ veritati adhæreamus ob unam illam ſenſibilis perceptionis claritatem, quam experimur, quin de principio metaphyſico aliquid cogitemus quod quidem principium omnes ferme homines præter Scholaſticos ignorant. Da enim vero duos, tres, pluresque homines ſingulari mentis acumine præditos, quorum unus duobus illis metaphyſicis principiis contemplandis, atque mente volvendis æternum hæreat; alii vero, quin illa unquam audierint, ſimplicium extenſionis idearum connexiones inſpiciendo, a primis Geometriæ definitionibus, clariſſimiſque ideis incipiendo paullatim ad altiora conſcendant, aut phyſica experimenta tractando naturalium corporum ſcientiam ope ſenſuum colant; partimque obſervando, partim phyſice demonſtrando promoveant: quid eo in caſu futurum eſſet, facile animadvertimus; primus quidem ſterili illi principio, tanquam ſaxo adhæreſcens, nihil inde ſuccoſum eliciet: dum aliorum primus idearum extenſionis relationes & catenationem clariſſimam enucleando, mirabilem illam Geometriæ ſcientiam aut inveniet, aut ab aliis inventam ſine ductore ediſcet; Secundus vero Phyſicam edocebitur: niſi dicere velis *Euclidem*, *Archimedem*, Phyſicoſque experimentales, dum aut pura ſintheſi rem Geometricam promovebant, aut inſtrumenta & machinas tractabant, una ſecum ſemper habuiſſe inventarum veritatum judicem metaphyſicum principium, *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe*. Sed ut exemplo res fiat clarior, qua tandem

dem ratione veritas hæc phyſica, *Cometæ ſunt totidem planetæ mundo coævi, qui in orbitis admodum excentricis convolvuntur, neque alias mortalibus calamitates annuntiant, aut in terram influunt, quam Jupiter, Saturnus* &c. qua, inquam, ratione veritas hæc phyſica a principio illo deducatur, deducive poſſit, qui tandem demonſtraverit, erit mihi magnus Apollo.

496. 2°. Veritates etiam ſenſu, vel ratioue notas in principia illa reſolvi æque falſum eſt; exemplo rem videamus. Dei exiſtentia eſt veritas non modo fide, ſed rationis demonſtratione certiſſima quomodo tamen illam in datum principium reſolves? illam neget Atheus; rem illi ex tuo principio demonſtra: Deum, inquies, demonſtro ex creaturarum dependentia, bene eſt: datum igitur ſtatuis, creaturas eſſe: ita quidem, inquis: Sed unde creaturas eſſe habes? ex ſenſibus, & quod meipſum attinet, ex mei ipſius conſcientia, hoc eſt ab conſcientiæ, & ſenſuum evidentia: hujuſmodi igitur evidentiæ tandem confidis? maxime, repones: Si enim, quod evidentia conſtat, poſſet non eſſe certum, *idem ſimul eſſet, & non eſſet*: Sed unde id amabo? non eſſet, ut ſupponitur; ſimul vero eſſet, quia quod evidenter percipitur, eſt proculdubio verum: bene eſt, tam ergo exiſtentia Dei, quam adducti principii veritas, in evidentiam tandem reſolvitur: quod idem eſt, ac dicere principium illud metaphyſicum non eſſe principium, in quod certitudo reſolvatur, ſed eo tantum nomine donari poſſe evidentiam. Uno verbo, ubicumque evidentiam deprehendimus, plane aquieſcimus, quantumvis primum illud principium ignoremus; neque ſi ab homine quocumque propoſitioni evidenti aſſentienti quæras, quare rem firmiter credat, aliud pro reſponſione ſubjunget, quam ſe veritatem clare adeo videre, ut nullus dubitationi locus eſſe poſſit, niſi de rerum omnium veritate dubitandum, Deique ipſius bonitati diffidendum eſſe dicatur. Paucis humanæ ſpeciei individuis nota ſunt illa principia: reliquum humanum genus omnium cognitionum certitudinem ab evidentia repetit, in illa-

illaque ſiſtit; ab illis vero paucis in re ſcholaſtica attritis ſi quærat Scepticus, quare principio tandem ſuo fidant, & pro certiſſimo habeant, quia, reponent, id rationis lumini verum eſſe clariſſime apparet: quod iterum eſt, evidentiam pro unico naturali veritatis criterio, principio & regula, qua omnis humana certitudo exigatur, plane ſtatuere, & fateri. Neque illa ad naturalium veritatum inventionem, & ad ſcientias promovendas inſerviunt: quorum poſtremum idearum tantummodo mediarum inventione, earumque connexionis contemplatione obtinetur, ut quotidiana, univerſalique omnium experientia, ipſaque rerum natura edocemur. Exemplo res fiet clara: de navigationis arte, & ſcientia promovenda agatur: ut ab uno ad alium remotiſſimam continentem ab Europa ad Americam perveniamus: vaſtiſſimo Oceano commiſſi diuturno tempore, obſcuriſſimis ſæpe noctibus navigabimus: quis in obſcuriſſimis noctibus, immo & interdiu etiam iter monſtrabit? Ortum ſemper, occaſum & utrumque polum explorata habere opus eſt: vim magnetis polum ſemper reſpicientem aperuit caſus; eam vim ferro communicari obſervabimus, acum conſtruximus, æquilibravimus, vi magnetica excitavimus, ita diſpoſuimus, ut ſupra ſtilum roſæ nauticæ centro infixum liberrime, & horizontaliter volveretur: Lucernam prope roſam oppoſuimus, ut acus noctu etiam directionem conſpiceremus. Hac, inquam, ratione, ab idea ad ideam progrediendo, quæ in mari tenenda ſit via, qua navis dirigenda quocumque tempore agnoſcimus: interim ſcholaſticus in principio illo ſuo *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe* meditando frontem in æternum perfricet: nihil a ſteriliſſima illa meditatione navigatio, aut ulla ſcientia promovebitur.

497. 3°. Principia illa metaphyſica aliis cognitionibus certis neque claritate, neque ordine priora exiſtunt, hoc eſt, neque aliis clariora ſunt, neque prius, quam aliæ veritates a mente noſtra acquiruntur: quo quidem non modo e veritatis criterio, ſed a principiorum etiam notione, atque numero excluduntur. Quod primum attinet, res

facile

facile conſideranti demonſtrabitur: neque enim magis clara, neque magis certa mihi ſunt illa principia, quam geometriæ & aliarum ſcientiarum axiomata, & omnia illa, quæ intuitione cognoſcimus, v. g. *quidquid cogitat, exiſtit*; *omnis numerus eſt par, aut impar*; atque etiam illa, quæ conſcientiæ, aut ſenſuum evidentia percipimus, v. g. propria cujuſque noſtrum exiſtentia, me cogitare, velle, nolle, & ſimilia multa: tam enim hæc, quam relatum illud principium eadem mihi evidentia conſtant, ex qua una ſumus de propoſitionum veritate certi. *Secundum* pari certitudine probatur: Præter quam enim quod nullus hominum eſt, qui quamplurimas in vitæ decurſu ideas non acquirat, & propoſitiones eliciat ſibi omnino certas, atque evidentes, aliaque ex parte pauci tantummodo ſint, quibus principium illud ſit notum, aut de illo cogitent: ſi mentem humanam ab cunis proſequamur, idearumque acquiſitionem perpendamus, facile animadvertemus, ideas rerum ſingularium, atque ſenſibilium primas illas eſſe, quæ a nobis acquirantur, puta eorum objectorum, quæ ſenſibus percipimus: Eas poſtea ideæ ſimplices ſubſequuntur, ſpatii, extenſionis, temporis, cum & per ſe ſint clariſſimæ, & tenellas puerorum mentes, atque ſenſus & vivide, & continuo pulſent. Quis enim eſt, qui in primis illis vitæ annis, cum plurima jam ſenſibilia objecta cognoſcimus, aut ratione percipimus, de metaphyſico, atque abſtracto principio cogitet, aut cogitare etiam poſſit?

498. 4°. Etenim Principium illud, *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe*, & alia ſimilia nihil ſunt aliud, quam ideæ univerſales abſtractæ, quas anima reflexione ſibi comparat, dum ſingulares rerum ideas ſenſu, aut reflexione acquiſitas enucleatius inſpiciens, ſingularumque energiam, atque repræſentationem conſiderans, inſimulque intimæ conſcientiæ perceptione animadvertit, quænam intercedat diverſitas inter unius ideæ præſentiam, & antecedentem ejuſdem defectum, quaſi inter lumen, & tenebras, clariſſime percipit maxime inter ſe opponi unam, eandemque determinatam ideam *eſ-*

ſe

ſe ſimul, & non eſſe. Cum autem hujuſmodi oppoſitionis perceptio, atque idea reflexione comparata, & perceptio ſit clariſſima; fit, ut mens illi neceſſario aſſentiatur, eamque ad res alias quaſcumque extendat: unde fit propoſitio illa univerſalis, res omnes complectens, *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe*, qua deinceps loco ſingularium idearum utimur. Univerſale igitur illud principium, & idea omnium aliarum abſtractarum idearum inſtar, in ſingulares ideas potius reſolvitur, quam illæ viciſſim in ipſum reſolvantur; illas prius in mente ſupponit, claritate non ſuperat, eaque tantummodo ætate acquiritur, qua mens jam adulta, plurimarumque ſimplicium, aut ſenſibilium idearum ſupellectili inſtructa illas inter ſe conferre, combinare, ſupra illas reflectere, novas ex iiſdem ideas abſtrahere poſſit: hæc enim omnia, ut univerſales illæ ideæ eliciantur, in mente requiruntur, atque ad illas præcedere debent. Ex quibus omnibus luculenter conſtat, adducta illa principia metaphyſica neque eſſe aliquarum ſcientiarum, artium, atque humanarum cognitionum principia, neque veritatis, certitudiniſque criterium: ſed duas tantum eſſe propoſitiones evidentes ex plurimis illis, quas mens humana rerum uſu, idearumque contemplatione edocta ex aliis elicit, abſtrahit, ſibique deinceps principiorum, ſeu potius univerſalium axiomatum loco ſtatuit, & ad res probandas, exponendas, argumentandum, & inventas aliunde veritates aliis probandum adhibet.

Satis hucuſque, ni fallor, demonſtravimus, in ſola idearum evidentia naturale certitudinis criterium conſiſtere: quoniam tamen triplex eſt humanarum cognitionum genus, & evidentia, *rationis* nimirum, *ſenſibilis*, *& moralis*, de ſingulis hiſce evidentiis quæri, ſtatuique debet quonam tandem modo, quarumque veritatum criteria exiſtant.

PROPOSITIO.

499. *Omnes evidentiæ modo dictæ ſunt totidem veritatis criteria, in ſuo quæque ordine*. Veritas, ſeu

ſeu propoſitio aut ita certa eſſe poterit, ut nullo modo poſſit eſſe falſa, aut ita vera, ut ſtante ſaltem naturali rerum ordine, aut naturæ legibus non mutatis, hoc eſt, non interveniente miraculo, fallere nequeat. Primi ordinis ſunt omnes veritates rationis evidentia, demonſtratione, aut conſcientia conſtantes: ad ſecundum ſpectant omnia illa, quæ ſenſibilem, aut moralem evidentiam habent. Pro duplici hoc cognitionum, atque veritatum ordine duplex etiam certitudinis criterium eſt in idearum evidentia conſiſtens.

500. Perfectiſſimum veritatis humanarum cognitionum criterium eſt evidentia rationis: Hujuſmodi enim evidentia non modo mentis aſſenſum extorquet, animam reddit penitus de veritate ſecuram, ſed in nulla etiam rerum hypotheſi poteſt cum falſitate conjungi: ſingula ſuperius luculenter confecimus: hæ igitur tantum naturales veritates perfectiſſimo criterio conſtant, quæ ſunt pure intellectuales, puta, axiomata abſtracta ſcientiarum, quæ in Geometria, Metaphyſica, aliiſque ſcientiis abſtractis continentur, earumdem ſcientiarum theoremata & veritates ceteræ demoſtratæ: quantumvis enim per ſe evidentes non ſint, ad evidentiam tamen facile reducuntur, cum ab ideis per ſe evidentibus evidenti connexione deducantur.

PROPOSITIO.

501. *Omnium idearum, perceptionum aut veritatum naturalium ſola ſenſuum evidentia, aut demonſtratione conſtantium criterium proprium eſt evidentia ſenſibilis: id autem ejuſmodi eſſe, ut quidquid illi innititur, ſtante hoc rerum ordine, ſeu naturæ legibus ſit neceſſario certum, noſque efficiat de tali certitudine ſecuros.*

Partes omnes propoſitionis facile ex dictis demonſtrantur: etenim quidquid ſenſu clare percipitur, phyſicum eſt, manifeſtis phænomenorum obſervationibus conſtat, atque ex natura ipſa deſcendit: quod autem ejuſmodi eſt, præſentem naturæ ordinem & conſtantes naturæ leges nobis demonſtrat: quam-

quamdiu igitur eædem permaneant leges, eadem ſemper conſequentur phænomena: ſunt autem naturæ leges omnino conſtantes, ut perennis omnium temporum, cauſſarum, atque effectuum ordo, viciſſitudo, atque renovatio demonſtrant: quod quidem ſtare non poſſet, niſi certæ eſſent naturæ leges ab illius auctore ſtatutæ & ſemper conſtantes, quibus univerſum materialium cauſſarum, rerumque omnium ſyſtema regeretur. Fingamus enim univerſalem aliquam naturæ legem, quam conſtantem ſemper obſervavimus v. g. *corpora terreſtria in globi noſtri centrum gravitare & dirigi*, parumper interrumpi: quæ tum eſſet terrenarum rerum facies, confuſio, atque perturbatio, cum nulla jam vis terreſtria corpora in commune centrum ageret, atque in unum uniret; non modo nihil ulterius in globum deſcenderet, pluvia, nix, grando, ros, ſed aer etiam, aliaque omnia corpora a ſe ipſis avolarent, per cæleſtia ſpatia ſine lege diſſiparentur, integerque globus ſolveretur? Dum nihil hujuſmodi in mundo accidit, ſed contraria omnia; eademque ſemper, atque conſtans rerum, cauſſarumque viciſſitudo obſervatur; fieri non poteſt, quin naturæ Auctor invariabiles ab rerum initio leges condiderit, quibus ſtet ſemper, atque perenniter univerſi machina. Jam vero ſenſuum evidentia conſtantium hujuſmodi legum effectus, atque perennitatem clare percipimus: phænomena igitur naturalia prædictis naturæ legibus conformia, quæ ſenſuum evidentia percipimus, aut demonſtramus, eatenus ſunt, atque pronunciari debent vera, quatenus præſens rerum ordo atque naturæ leges conſtiterint. Ubique terrarum v. g. corpora omnia perpendiculariter ad horizontem deſcendere, ſenſuum evidentia cognoſcimus, gravitate ad centrum tendere, ab hac evidentia demonſtramus: utrumque eſt veriſſimum, ſtantibus naturæ legibus, quarum una eſt, *omne corpus per lineam rectam ſemper moveri, quoad cauſſa aliqua externa illud exturbet;* aliunde enim duo hæc habemus, gravia ad horizontem per lineam rectam perpendicularem deſcendere, illam vero rectam perpendicularem, ſi ulterius producatur, per

centrum tranſire; quorum primum evidentia ſenſuum, ſecundum rationis demonſtratione conſtat: quod ſi Dei voluntate prima illa lex univerſim, aut in peculiari aliquo caſu mutetur; vera illa in caſu non eſſet propoſitio illa, quantumvis ad ſenſibilis evidentiæ criterium reducatur.

502. Atque inde infertur omnes veritates naturales ſenſuum evidentia, aut demonſtratione certas, ac proinde ſenſibilis evidentiæ criterio innixas, ſolum poſſe eſſe falſas, ſi per miraculum aliquod Auctoris omnipotentia peractum naturæ leges rumpantur: cum igitur nullum aliunde ſit iis propoſitionibus ex criterio falſitatis periculum, non niſi imprudentiſſime de iis dubitari poſſet. Facillimum ſcilicet Deo eſt, miracula patrare, naturæ leges invertere; id etiam multoties olim factum, aliquando forſan modo etiam fieri, indubium nobis eſt; quamdiu tamen miraculum duplici alia evidentia, ſenſuum nimirum, atque morali non conſtet; Secundum naturæ leges citra imprudentiæ, aut veritatis periculum ſemper pronuntiatur.

PROPOSITIO.

503. *Evidentia moralis eſt proprium illarum omnium propoſitionum veritatum, atque idearum criterium, quæ aut humana fide, aut divina revelatione traditionali conſtant.*

Ut omnis tollatur confuſio, humanam fidem a Divina diſtinguamus & quonam modo evidentia moralis ſit utriuſque criterium exponamus. Circa primam, evidentia moralis unum illud eſt, atque proprium veritatis criterium, quo humanæ fidei certitudinem ab incertitudine, ſeu probabilitate diſtinguimus. Moralis evidentiæ notionem, veritatem, peculiare illius tum a probabilitate morali, tum etiam ab omnibus aliis certitudinis & evidentiæ generibus diſcrimen ſuperius dedimus, inſimulque probavimus, moralem evidentiam Phyſicæ, & ſenſibili omnino æquiparari. Ex iis autem facile eſt diſtinguere, atque ſtatuere, quæ veritates hominum teſtimoniis innixæ evidentia morali gaudeant, quæ de-

demonſtratione, aut ſola probabilitate conſtent: quamdiu ſcilicet rem credimus aſſertionibus hominum innixi, qui multiplici de capite fallere, atque falli poſſunt, humanam probabilitatem res non ſuperat; Cum primum vero non jam fallacium teſtium auctoritas, ſed naturalis hominum conditionis teſtimonium, hoc eſt, unanimem diſſentientis multitudinis conſenſum habemus; moralem evidentiam agnoſcimus. Jam vero humanam fidem hujus tantum criterii eſſe capacem, res eſt prorſus indubia: hujuſce enim naturæ veritates, v. g. fuiſſe olim Athenarum Rempublicam armis, & litteris florentiſſimam, neque rationis, neque ſenſuum evidentia, aut demonſtratione poſſunt conſtare; una igitur moralis certitudo ſupereſt multitudinis teſtimonio nixa. Ex dictis præterea deducitur, omnes propoſitiones, quæ hujuſmodi veritatis criterio gaudent, perinde ſunt, haberique debent certæ, atque ſi evidentia ſenſuum conſtarent: utraque enim hæc evidentia, atque criterium quoad certitudinem æquiparantur: de propoſitionibus igitur morali criterio certis dubitare non poſſumus, niſi communem humanæ naturæ conditionem & legem fuiſſe etiam mutatam peculiari evidentia agnoſcamus.

504. Quod Divinam Fidem, atque Revelationem attinet, duplex diſtinguendus eſt caſus: vel enim Revelatio eſt *originalis*, animæ a Deo immediate communicata, quali plurima olim a Deo didicerunt Prophetæ, D. *Paulus*, D. *Joannes Evangeliſta*; poſtremis vero hiſce ſæculis D. *Xaverius*, & D. *Thereſia*: vel eſt ſolummodo *traditionalis*, quo pacto nos omnes chriſtiani quidquid in Biblia continetur, ut veritates a Deo revelatas firmiſſime tenemus, non quod ipſi revelationem a Deo acceperimus, ſed quod aliis factam traditione, & aliis argumentis conficiamus.

505. Revelationis originalis criterium eſt ipſamet revelatio, hoc eſt, ſupernaturale illud, atque ineffabile lumen, quo Deus ipſe, omnium veritatum, atque lucis principium, & ſcaturigo & lumen immenſum ſeſe animabus communicat, loquitur, & veritatem demonſtrat. Infinitis equi-

dem modis hæc peragere poteſt Deus, de quibus ii ſolum ideam habent, qui rem aliquando ſunt experti, ut ipſimet apertiſſime teſtantur; dum neque voces, neque rem, modumque habere profitentur, quibus internam revelationum perceptionem, & ſenſum exponere nobis poſſint: cæci nos plane eo in caſu exiſtimus, illi vero *videntes*: quanam autem ratione quibus viſionis ſenſus ſemper defuit; luminis, colorum, viſuſque ideam, & ſenſum explicabis? De ſimplicibus, noviſque ideis agitur, quas nullis vocabulis accipere poſſumus. Ejuſmodi revelationis criterium longiſſime ſuperat non modo moralem, & ſenſibilem, ſed rationis etiam evidentiam: non quaſi humanæ rationi evidenti ineſſe poſſit falſitas, ſed quod naturale noſtræ hominum mentis lumen ad inacceſſibilem illam Dei lucem relatum, tamquam crepuſculum haberi debeat.

506. Traditionalis Revelationis, ſeu veritatis revelatæ criterium eſt moralis evidentia: quod facile demonſtratur: veritas quæcumque revelata in hæc duo tandem reſolvitur, ſummam Dei veritatem & exiſtentiam revelationis: v. g. Diluvium univerſale temporibus Noemi extitiſſe credimus, quia Deus eſt infinite verax, remque ipſam revelavit; primum eſt evidentia rationis certum; ſecundum autem ſola morali evidentia conſtat: fac, ut certum non ſit, rem fuiſſe a Deo revelatam; incerta illico erit Diluvii univerſalis exiſtentia, quantumvis certiſſima ſemper apud omnes ſumma Dei veritas habeatur: ab utroque igitur illo capite, atque fundamento dependet Diluvii univerſalis veritas, quorum uno deficiente, innixam etiam veritatem ruere opus eſt: neque enim majorem habere poteſt firmitatem impoſita fundamento fabrica, quam ipſummet habeat fundamentum. Hæc tamen de veritatis ſolummodo criterio dicta ſint, quo Revelatæ religionis certitudo quibuſcumque hominibus philoſophis, paganis, Atheiſtis probari poteſt: quod enim actus Divinæ fidei fundamentum ſpectat, quo homo Chriſtianus, de ſuæ religionis veritate ob argumenta moraliter evidentia

ſecu-

ſecurus, ad credendum ducitur, credendi ratio eſt tantummodo revelatio, in qua mens noſtra credendo ſiſtit, in eamque tandem aſſenſus noſter reſolvitur: Revelationem enim exiſtere aliis argumentis, quæ *credibilitatis* nuncupantur, prius ſuademur.

Quæ ſint veritatis cujuſcunque generis criteria, teſſeræ, & notæ, quibus verum a falſo, certum ab incerto diſtinguere poſſimus, mentemque noſtram cum in abſtractis, tum in ſenſibilibus etiam veritatibus diſcernendis dirigere valeamus, hucuſque expoſuimus. Ultimam aſſentiendi regulam, & veritatis criterium evidentiam eſſe dicimus: extremum tamen ſupereſt difficultatis caput, unde lis tota tandem dirimi debet: ſola vera evidentia poteſt eſſe certitudinis criterium; ad id tamen evidentiam *veram* eſſe oportet; quæ fuerit tantum apparens in errorem potius nos inducet, quam de veritate ſecuros efficiat: certum interim eſt, apparenti ſolum evidentia nos aliquando duci: unde igitur veram ab apparenti diſtinguemus; quiſnamve erit legitimus, atque ultimus rei dirimendæ judex? Id unum ſupereſt ſequenti capite diſcutiendum.

§. VIII.

De veræ, & apparentis evidentiæ diſcrimine, & judice, certitudine apparenti, ſeu Enthuſiaſmo.

507. Evidentiam rationis, ſenſuum, moralem, legitimum eſſe veritatis criterium hucuſque probavimus: Eſto; quæ clare, atque diſtincte a nobis percipiuntur, pro veris omnino habeantur: ſitque id veræ evidentiæ privilegium, non omnem tamen evidentiam eſſe veram, ſed aliquam ſolummodo apparentem, ex eo paſſim demonſtrabitur, quod quamplurima dogmata ad religionem, aut ſcientias ſpectantia, & inter ſe maxime oppoſita ita ab hominibus, patria, moribus, affectibus, ſtudiis, religione, ſecta diverſis tenentur & tenaciſſime pro-

pugnantur, ut ſuam quiſque ſententiam, qua fieri poſſit, evidentia percipere contendat: cum igitur in maxima opinionum oppoſitione ex una tantum parte eſſe poſſit veritas; utraque tamen rei evidentiam habere jactet, earum evidentiarum alteram eſſe tantum apparentem liquet, quacum falſitas plerumque conjungitur & conjungi ſemper poteſt. Mens igitur humana apparentem pro vera rerum evidentia uſurpare ſæpiſſime poteſt, & pura veritatis atque certitudinis apparentia, atque vano phantaſmate firmiſſime duci. In fatali illo atque diuturno bello, quo pro Hiſpaniarum hereditate tota pene conflagravit Europa, a Borbonicæ atque Auſtriacæ partium ſectariis juſtam inferendi belli cauſſam quæreres: evidentiam utraque pars jactaret. Nullus hominum eſt, qui nunquam ſe ita miſere deluſum fuiſſe affirmare prudens poſſit: quotieſcumque autem vana illa rerum evidentia, mentiſque, aut ſenſuum fallacia ducimur, perinde vivimus de veritate ſecuri, atque ſi vera cognitionum evidentia duceremur; cum rebus tantummodo moveamur, prout illæ in mente noſtra apparent. Ut igitur citra erroris periculum veritatem a nobis aſſecutam certo ſciamus non modo rerum, idearumque evidentia, ſed evidentiæ ipſius veritas opus eſt; quod in id tandem reſolvitur, ut & certitudinis rerum, idearumque criterium (evidentiam) & evidentiæ ipſius criterium, ultimumque judicem habeamus. Rei caput & difficultas in id reducitur, ut quod tandem ſit inter veram, & apparentem evidentiam diſcrimen dignoſcamus. Quod niſi ratum habeamus, ſatis nunquam ab *Enthuſiaſmo*, aut *Fanatiſmo* nobis cavebimus.

508. Notum ſcilicet eſt, plurimos interdum homines vividiſſimis mentis illuſionibus duci, milleque errores, & chymæras pro certiſſimis veritatibus ita ſibi ſuadere, & ſtatuere, ut mortem ipſam earum cauſſa multoties ſubeant, dum nos eos homines, quos Fanaticos nuncupamus, & aliqui etiam *Enthuſiaſtas* falſo dicunt, ſedato animo pro vano veritatis phantaſmate extrema omnia ſubire de-

demiramur, & miſeratione proſequimur, ab iis viciſſim irridemur, & fanatici etiam audimus. En duos aliquando populos, ſectas, nationes præjudicia quamque ſua, veram, aut falſam ſententiam pro certiſſima veritate jactantes, & ſeſe mutuo irridentes: quis litem dirimet? Dum ita de alicujus dogmatis, aut peculiaris ſententiæ pro aris & focis propugnamus, evidentiam uterque prætendimus: aliquem tamen falli, falſamque pro vera evidentia accipere manifeſtum eſt. Rem nitide exponere non poſſumus, quin etiam ad *enthuſiaſmum*, atque *fanatiſmum* obiter ſaltem expendendum deſcendamus; quorum utrumque apud homines hiſce mentis paſſionibus ægrotantes evidentiæ etiam nomine jactatur; perindeque rebus, & ideis moventur enthuſiaſtæ, & fanatici, quaſi rem omnem clariſſimo in lumine viderent: dubitari ſcilicet haud poteſt, quin ii, qui ſub mentito religionis, revelationum, inſpirationumque prætextu extrema omnia adeunt pericula, aliquam ſaltem in iis, quæ vident, ex quibus ad difficillima quæque patrandum compelluntur, evidentiæ ſpeciem, atque ſimilitudinem videre ſibi videantur. Utcumque res ſit, quid ſit veræ evidentiæ teſſera, quid *Enthuſiaſmus*, quid tandem *Fanatiſmus* exiſtant, hoc loco ad abſolutam argumenti tractationem exponendum eſt.

Propoſitio.

509. *In cujuſcumque rei examine, & tractatione illa haberi ab omnibus debet vera certitudinis evidentia, quam homines, numero quidem multi, religione, patria, præjudiciis, aut diverſis ſaltem animi ſtudiis, & affectibus varii, non ipſo phantaſmatum, atque imaginationis æſtu, agendarumque rerum tumultu, ſed animo ſedato talem eſſe judicant.*

Equidem legitimus evidentiæ judex eſſet cujuſcumque hominis mens, ſi puro rationis lumine illuſtraretur, nullis paſſionum, affectuum, & ignorantiæ potiſſimum tenebris involveretur: in ea ſiquidem hypotheſi, quam in præſenti vita ſemper

deſiderabimus, nihil eſſet, quod mentem obnubilaret, ut dubiam lucem pro vero ſplendore acciperet. In præſenti rerum ſtatu, cum alia longe ſit humanæ mentis conditio, miraque & ignorantiæ, & affectuum, ſtudiorumque diverſitate agamur; conſequens inde eſt, ut evidentia, de qua homines in præſenti rerum conditione conveniunt, ſit omnino vera; tali veritatis lumine mentem illuſtret, ut purum naturæ ipſius lumen, atque dictamen haberi debeat, quod ne ipſa etiam communis hominum ignorantia, totque animorum paſſiones, oppoſita ſtudia, atque affectus obliterare poſſunt. Facile enimvero mihi perſuadeo, humanas animas, cum primum fuerunt a Deo creatæ, ea percipiendi vi, perſpicacia, atque puro lumine fuiſſe a Deo donatas, quibus & verum facile invenirent, & errores vitarent, & verum a falſo, certum ab incerto diſtinguerent: felicem illum humanarum mentium ſtatum plurimæ illæ animi paſſiones, mentiſque infirmitates deturparunt, atque enervarunt, quæ noſtram modo conditionem efficiunt miſeram, & primi hominis culpæ conſectaria, & pœnæ exſtiterunt. Quæ enimvero certa in mundo ſunt, humanoque captui aptata, de quibus non conveniremus? Ad primum illum ſtatum, quantum in nobis eſt, adducimur, cum paſſionum animi tumultum ſedamus, varios cordis affectus ad tempus ſaltem deponimus, mentemque parumper ab humanis ſtudiis abſtrahimus, ut verum ſereno cælo inſpicere poſſimus: contra vero a primitivo illo percipiendi, atque verum diſcernendi ſtatu eo magis recedimus, quo pluribus animi paſſionibus agitamur. Singuli animorum affectus, diverſæque paſſiones inter ſe contrariæ eo tendunt, ut mentem a veritate agnoſcenda impediant: ex quibus omnibus hæc duo eliciuntur, 1°. illa omnia, de quibus omnes homines in præſenti hac conditione convenimus, & pro certis accipimus, vera adeo, certa, atque manifeſta exiſtere, ut ne ab ipſo quidem paſſionum tumultu, & humanæ ignorantiæ conditione infringi, & obſcurari poſſint: 2°. humanam mentem tum ſolummodo eſſe veræ evidentiæ judi-

judicem, cum ſedato paſſionum tumultu, depoſitiſque partium ſtudiis, præjudiciis, atque affectibus, talem eſſe judicamus.

510. Non pauca hinc inferuntur, quæ quotidianis obſervationibus vera eſſe comperimus: 1°. non ſatis idoneus reputabitur evidentiæ judex unus, aut alter, ſeu exiguus hominum numerus, immo & unus, aut alter populus, cætus, ordo, aut natio: niſi ea aliunde ſit evidentiæ ratio, aut aliis quibuſcumque hominibus ingenii non expertibus, atque præjudicii liberis, ſimul ac nitide proponantur, talia appareant, atque probentur. Quid enim poſſint hominum, & nationum præjudicia, quid animus, partium ſtudia, affectus, conſuetudo, educatio in mentem, & hominum ſententias influant, nullus ignorat: id tamen in rebus ad religionem ſpectantibus, & aliis ejuſdem naturæ maxime viſitur, in quibus præcipue enthuſiaſmus, atque fanatiſmus locum habent. Quæ apud Sinas, & Japones, gentem alioquin ſagaciſſimis ingeniis præditam, eorum judicio evidentia non offendimus, quæ ab aliis populis in dubium vocantur, & viciſſim? Contra vero quamplurima ſunt, de quibus ut dubitemus, nulla partium ſtudia, paſſiones, aut cetera hujuſmodi adducere poſſunt, cujuſmodi ſunt, unumquemque cogitantem exiſtere, corpora, & materialem mundum eſſe, axiomata ſcientiarum, theoremata Geometriæ &c.

511. 2°. Illa igitur ſolummodo pro evidentibus habenda, atque accipienda ſunt, quæ hominum cuilibet mentis ingeniique acie prædito, & a relatis modo præjudiciis libero propoſita, aſſenſum extorquent; & evidentia eſſe judicantur. Sola enim hæc a legitimo evidentiæ judice talia eſſe pronuntiantur: cetera vero omnia, ad quamcumque tandem ſcientiam, artem, ſeu facultatem ſpectent, quæ aut hinc inde diſputantur, aut pro certis aliqua ex parte non accipiuntur, dici non poſſunt evidentia. Et hinc quanta humanorum judiciorum farrago, quæ in aliquibus tantum locis, nationibus, ſectis, aut peculiaribus hominum ordinibus pro evidentibus adeo ſtatuuntur, ut de iis

ne

ne dubitare quidem liceat, a veræ evidentiæ nomine, atque merito aliena exiſtunt; dum in aliis locis, apud alios populos, cultos etiam ipſos, & ingenii acumine præditos, aut irrideantur, aut pro indubiis nequaquam accipiantur?

512. 3°. Veræ evidentiæ nota illis potiſſimum veritatibus convenit, quæ ad puram veluti naturam, aut rationem ſpectant, & a peculiaribus nationum, aut diverſorum hominum præjudiciis, & paſſionibus ſunt remota. Rem videre eſt in veritatibus abſtractis, Geometriæ, Arithmeticæ propoſitionibus, aut in rebus phyſicis, quæ communi etiam ſenſuum obſervatione, aut humanæ naturæ neceſſitate percipiuntur. Contrarium in iis accidit, quæ ab hominum ingenio, aut libidine magis pendent, & animorum affectus, paſſiones, utilitatem, & incommoda ſpectant, qualia ſunt religio, mores, leges, commercium, plurimaque ejusdem generis alia, de quibus omnibus ob varia hominum ſtudia mirum eſt inter homines diſſidium, nullaque ut plurimum vera evidentia ab omnibus nota, atque admiſſa deprehenditur.

Hæc omnia ad Enthuſiaſmi, atque Fanatiſmi explicationem nos deducunt. Quamdiu enim quid hiſce nominibus ſignificemus, quid veræ, aut mentitæ evidentiæ, certitudinis, aut erroris Enthuſiaſmus, aut Fanatiſmus menti referat, palam non fecerimus; ſtatutæ ſuperius veritatis regulæ, atque evidentiæ judici ab Enthuſiaſmo ſemper, atque Fanatiſmo opponetur argumentum. Enthuſiaſtæ, inquiunt, atque fanatici, non exigua ſcilicet hominum multitudo, aſſertarum a ſe opinionum evidentiam prætendunt, legitimoſque ſe ejusdem evidentiæ judices jactant; cum igitur eos homines a veritate longiſſime aberrare, certiſſimum nobis ſit, aliaque ex parte ad intimam idearum evidentiam ipſi ſemper appellent; aut a ſententia diſcedendum nobis eſt, aut potius demonſtrandum, qui tandem fiat, ut dum homines vana veritatis ſimulacra ſibi fingunt, maxima tamen evidentia ſeſe veritatem agnoſcere exiſtiment.

513. I° *Enthuſiaſmi* nomine vulgo intelligitur qui-

quidam mentis furor, quo imaginatio inflammatur, vividaque phantaſmatum excitatione elevatur, atque fœcunda efficitur; ex quo quidem furore, atque vivida imaginationum excitatione in omnibus artibus, rebuſque materialibus mirabiles conſequuntur effectus, miræ ſcilicet humanæ mentis productiones, & opera numeris omnibus abſoluta. *Enthuſiaſmus* ita vulgo acceptus, atque definitus, iis ut plurimum hominibus communiter etiam tribuitur, qui peculiarem aliquam artem ita genio amant, & colunt, in eaque excellunt, ut opera præclara, atque numeris omnibus abſoluta proprio ingenio efficiant. Id vero in primis poetis, atque oratoribus proprium eſſe exiſtimatur, quorum imaginationem, atque phantaſiam, ut boni aliquid iis in artibus producant, vivida argumenti propoſitione, & conceptione inflammari oportet. Juxta eumdem ſenſum Enthuſiaſtæ etiam nomine donantur non modo excellentes aliarum artium cultores, ſed ii generatim omnes, quorum mens ita aliquando in argumenti alicujus contemplatione abſorbetur, & inflammatur, ut quaſi eſſet in extaſim raptus, totus in illo ſit, vivide ab hujuſmodi phantaſia agitetur, & ad nihil aliud ab argumento illo alienum advertat.

514. In communi hac Enthuſiaſmi notione ſua ineſt veritatis ſpecies, quæ accuratius eſt explicanda. Omnia humanæ mentis objecta vel ſunt pure intellectualia, & abſtracta, ſolaque ratione percipiuntur, ut Geometria, Arithametica, metaphyſica, vel ſenſibilia, atque ad imaginationem ſpectantia, ut Phyſica, & artes: omnia quidem hæc ratione percipiuntur; diverſo tamen modo: prima enim pura intellectione attinguntur; ſecunda vero ratione, & imaginatione, ſeu potius ratione imaginante, hoc eſt, objecta ſub ſenſibilibus imaginibus apparentia percipiente, & ſibi ipſi repræſentante. Singulis hiſce cognoſcendi modis habetur evidentia, & certitudo vera; at haberi etiam poteſt apparens tantum, atque falſa evidentia, & certitudo. Enthuſiaſmus, & Fanatiſmus ad ſecundum cognitionum, atque objectorum genus ſpectat,

ſtat. Cum rem aliquam ſenſibilem ratio noſtra imaginando concipit, vel clare, atque vivide objectum nobis in imaginatione depingimus, & rem prout in natura exiſtit, aut exiſtere debet, quaſi in mentali tabula vividis coloribus, aptaque partium ordinatione, & proportione expreſſum repræſentamus, depingimus, & contemplamur: vel rem potius obſcure intuemur, in mente non ordinamus, propriis coloribus, partiumque diſpoſitione non depingimus, ita ut objectum imaginatione noſtra apprehenſum non ſatis naturæ reſpondeat, non illam referat, neque ullo modo perficiat: utraque hæc objectum concipiendi ratio, ſecunda vero potiſſimum, multiplices ſub ſe habet modos, atque differentias, quod fuſius expendere, hujus loci non eſt.

515. Rurſus dum ſenſibilia objecta aliquo ex his modis ratio noſtra imaginando concipit, vel mentalem illam rerum picturam in imaginatione expreſſam commotio aliqua, atque vivida excitatio phantaſmatum comitatur, & conſequitur, qua nimirum imaginatio ipſa illuſtratur, noſque ipſi imaginum contemplatione commovemur, inflammamur, & ad rem agendam vivide excitamur; vel potius rerum imagines, nulla in imaginationibus, & phantaſmatibus vivida commotione facta, ſedato animo, & otioſe contemplamur, neque rem niſi conſulto aggredimur. Primum illud numero ſuperiori expoſitum dico *verum Enthuſiaſmum*; ſecundum vero *falſum*, aut etiam, ſi objecta, quorum conſideratione inflammamur, ad religionem ſpectent, fanatiſmum. Eſt igitur Enthuſiaſmus *vivida quædam animi commotio ad exactam, naturalem, & perfectam rerum ſenſibilium repræſentationem, quæ & a ratione ipſa in imaginatione clariſſime percipitur, & animum noſtrum percellit.*

516. Ex hac definitione, quam hucuſque præmiſſa, & ulterius ſubjungenda luculenter explicant, atque evincunt, plura conſequuntur ad rem, de qua agimus, multum facientia. 1°. Igitur patet a vero hoc, quem tantum agnoſcimus, Enthuſiaſmo omnem abeſſe furorem, atque inſaniam,

quæ

quæ Enthuſiaſtis vulgo tribuuntur : neque enim cohærere inter ſe poſſunt, aut ullo modo conjungi pura, claraque ratio cum furore, & inſania : hoc autem ita dictum velim, ut circa illud tantum objectum, aut artem intelligatur, quæ eſt Enthuſiaſmi objectum. Fieri enim poteſt, immo & ſæpiſſime accidit, ut qui in artium aliqua v. g. poeſi, architectura ad prodigium valet, ejuſque objecta mirabili idearum claritate, & imaginationis vi contemplatur, intuetur, & comprehendit, circa alia tamen objecta, artes, ſcientias, aut hebes omnino ſit, aut non niſi mediocriter valeat, aut etiam inſaniat. Rei veritatem experientia probat, phyſicam cauſſam in Phyſica Viventium conjiciendo expoſuimus.

517. 2°. Hujuſmodi Enthuſiaſmus in idearum claritate, aut imaginationis vi, inflammatione, & vivacitate conſiſtens, ille ſane eſt, cui perfectiſſima in ſingulis artibus prototypa, & abſolutiſſima opera, & humanæ mentis veluti prodigia debemus, cujuſmodi ſunt in re Poetica Homeri, & Virgilii Epica carmina, Horatii lyrica, & plura alia ad ceteras artes ſpectantia. Quis enim perfectiſſima hæc humanarum artium prodigia, & clariſſimam naturæ ipſius expreſſionem, picturam, & imaginem ad vivum omnino expreſſas, naturam ubique feliciſſime referentes, cæco mentis, aut imaginationis furori tribuat? furori, inquam, qui animum quidem, atque imaginationem vehementer excitat, inflammat, &, ut magno cum impetu ſeſe producat, vivaciſſime impellit, imaginationem tamen ipſam, atque mentem excæcat, obtenebrat; eaque propter neque objectum, rerumque agendarum ideam recte, clare, & diſtincte concipere poteſt, ut naturam ipſam referat, neque verum a falſo diſtinguere: qui autem fieri poteſt, ut ab eo homine perfectum aliquid, atque abſolutum artis cujuſcumque opus efficiatur, naturam ſcilicet exacte referens, qui neque rem ipſam clare intuetur, neque ejus imaginem vividis, diſtinctis, veriſque coloribus, atque lineamentis in phantaſia depingit; neque ni-

ſi ima-

ſi imaginationis inflammatione, confuſaque ideâ, atque animi impetu agitur?

518. Quod ſi hujuſmodi Enthuſiaſtis furor quidam mentis univerſim tribuitur, in eoque furore Enthuſiaſmus potiſſimum conſiſtere vulgo exiſtimatur; id ex duplici capite provenit; primo, quod Enthuſiaſmus hucuſque expoſitus cum pſeudo-enthuſiaſmo, & fanatiſmo promiſcue confundatur, unumque pro alio communiter uſurpetur: ſecundo, quod in veris alioquin Enthuſiaſtis vivaciſſima imaginationis apprehenſio, & impetus ſeſe potiſſimum prodat, & præ aliis eluceſcat, dum interim claræ hominis ideæ, & mentalis rerum pictura in mente latens non facile animadvertitur; deinde quod, ſi peculiare enthuſiaſmi objectum excipias, circa alias artes, & civilia etiam hominum munia, & officia aut non ſatis prudentes ut plurimum exiſtant, aut delirare aliquando animadvertantur Enthuſiaſtæ: ut nihil de fanaticis, & pſeudo-enthuſiaſtis dicam, qui in ſuiſmet enthuſiaſmis ſemper inſaniunt, & circa omnia alia ſæpiſſime etiam delirant. Rei quidem utriuſque veritas paſſim ab omnibus deprehenditur; cauſſa vero phyſica breviter eſt indicanda. Quod in enthuſiaſta imaginationis opus, picturam, vivacitatem, & impetum fere tantum animadvertamus, rei ipſius ſenſibilis natura facit: nos enim maxime percellunt rerum ſenſibilium imagines ad vivum expreſſæ, atque nativis, propriiſque naturæ coloribus depictæ; & hinc hominis imaginationem demiramur, cujus pictura rapimur, ad mentis claritatem non animadvertimus.

519. Secundi cauſſa ex ipſiuſmet rei natura facile deducitur: Enthuſiaſta in ſuomet objecto totus fere ſemper eſt; ejus mentem, animum, imaginationem objecta clariſſime repræſentata vivaciſſime percellunt, & ob naturalem quamdam rerum conformitatem, indolem, genium, atque penitiſſimum mechaniſmum mirifice alliciunt: cum igitur ex una parte mens clariſſimis ideis ſenſibiles illas rerum imagines percipiat, videat, atque contempletur; ex alia vero ipſamet objecta, illorumque ima-

imagines, & contemplatio animum alliciant, & quadam ſuavitate perfundant, neque in pura rerum ſpeculatione ſiſtatur, ſed ad praxim etiam deveniatur; conſequens inde eſt, enthuſiaſtæ mentem, animum, imaginationem in illo uno objecto fere verſari, illud medullitus, & penitiſſime tractare, atque evolvere, neque niſi leviter ad alia diſtrahi, atque perfunctorie animadvertere. Sunt v. g. qui ſono, & inſtrumentorum harmonia ita delectantur, ut nihil fere aliud eos tangere, atque allicere videatur, id quod in quamplurimis aliis objectis, artibus, animique paſſionibus ſæpiſſime obſervamus. Ab eodem phyſico principio hæc omnia pendent, a peculiari ſcilicet illo organorum ſenſuum mechaniſmo, fibrarumque textura, ſubtilitate, indole, atque corporis, & cerebri temperamento proveniunt. Unus enim idemque homo, hoc eſt, una eademque anima pro vario organorum corporis, membrorumque ſtatu, temperamento, & fibrarum indole eodemmet objecto modo ſuaviter, modo magis, modo minus allicitur, quandoque faſtidit, aliquando offendimur, interdum etiam nullo ſenſu nos afficit. Quod in uno eodemque homine ætatis, temperamenti diverſitas, variaque earumdem fibrarum indoles, ſubtilitas, tenſio, textura efficiunt, potiori jure in diverſis hominibus locum habet. Jam vero in rebus omnibus phyſicis, atque mechanicis eo ſemper flectimur, unde fortius trahimur magis, & ſuavius allicimur, majorique virium momento adducimur: eoque pertingere poteſt virium ex diverſis partibus trahentium, hoc eſt, actionum allicientium diſcrimen, atque unius ſupra aliam exceſſus, ut ad eamdem ſemper partem trahamur, illac fere ſemper mente, ac voluntate feramur, alia vero nonniſi oſcitanter, & perfunctorie luſtremus. Id vero eſt, quod in aliquibus Enthuſiaſtis multoties obſervamus.

520. 3°. Enthuſiaſmus hoc modo expoſitus plures habet intenſionis, atque diſcriminis gradus: res perinde ſe habet, atque in evidentia, certitudine, & animi paſſionibus; illorum enim claritas, horum vero intenſitas non modo in diverſis, ſed etiam in

uno

uno eodemque homine pro diverſis objectis, temporibus, immo & mentis attentione magnam habet varietatem, qua ab idearum obſcuritate, & animi pace, atque indifferentia ad maximam mentis evidentiam, & paſſionum fervorem paullatim aſcenditur, & viciſſim deſcenditur: quod quidem ab eadem phyſica enthuſiaſmi cauſſa, & diverſis cauſſæ ipſius, mechaniſmique viribus ſponte profluit. Atque hæc obiter hic attigiſſe ſufficiat, quæ fuſe in Phyſica Viventium proſequimur. Satis tamen ex hucuſque dictis patet, nullam ab enthuſiaſmo adverſus veritatis criterium moveri difficultatem poſſe.

521. Poſt Enthuſiaſmum perpendendus nobis eſt *pſeudo-enthuſiaſmus*, atque *Fanatiſmus*, res quidem natura prorſus eædem, & ſola objectorum diſtinctione diverſæ: Fanatiſmus enim circa res ad religionem ſpectantes, pſeudo-enthuſiaſmus vero circa omnia alia verſatur. Communem utriuſque notionem jam ſuperius dedimus, cum vulgatem enthuſiaſmi definitionem receptam, nequaquam vero enthuſiaſmo convenientem, attulimus: *vividus* ſcilicet *mentis furor ex confuſa imaginationis inflammatione, & vivida phantaſmatum excitatione proveniens*, quo mille in animo chymæras fingimus, falſa pro veris uſurpamus, tenaciſſime ſuſtinemus, & ad magna etiam, ardua, periculoſa, & extrema diſcrimina pro hujuſmodi chimæris, falſis futilibuſque rebus ſuſtinendis ſubeunda agimur: hæc enim vero eſt propria fanatiſmi, atque pſeudo-enthuſiaſmi notio: hoc uno tantum interveniente diſcrimine, quod, ſi furor ille mentis, imaginatio, atque perturbata phantaſmata religionem, aut ſacra reſpiciant, hominem eo furore actum *fanaticum* appellamus; *pſeudo-enthuſiaſtam* vero, ſi alia, quæ ſacra non ſint, furor ille mentis, atque imaginationis complectatur. Nullus, credo, inficiabitur allatam modo definitionem illud unum eſſe, quod fanatiſmus a nobis nuncupatur, hominesque efficit fanaticos, & pſeudo-enthuſiaſtas: quare nihil ulterius circa hujuſmodi ideam, nominiſque definitionem probandam immorandum arbitror. Tria ſolummodo circa rem ipſam breviter hic attingenda

ſunt,

ſunt, 1°. *reapſe, necne in rebus exiſtat fanatiſmus modo definitus: 2°. Phyſica rei ipſius cauſſa, multiplexque diſcrimen: 3°. quid a fanaticorum hominum mente, idearum claritate, atque tenaciſſima veritati ſolum apparenti adhæſione adverſus logicam evidentiam, & veritatis criterium derivari argumentum poſſit.*

522. Quod primum attinet, adeo verum eſt fanatiſmum modo deſcriptum (ut de illo tantum loquamur) in hominibus exiſtere, ut nullum ſane elabatur ſæculum, nullaque in toto terrarum orbe natio exiſtat ab hujuſmodi malo penitus immunis. Qui ſingularum nationum annales, hominum mores, & perennes humanarum rerum mutationes philoſophica mente perpenderit, fieri non poteſt, quin fanatiſmum ſemper in humana ſpecie deprehendat, nationeſque integras ab uno ad aliud fanatiſmi genus ſucceſſive deferri demiretur. Satis etiam eſt, omnem noſtri globi continentem ſuperficiem ab hominibus cultam perluſtrare, diverſoſque interim tot nationum mores, religionem, leges, totamque vivendi rationem perpendere, ut vix ullam in mundo gentem, & populum eſſe agnoſcamus, quæ pluribus ſemper fanaticis non ſcateat. Ubicumque terrarum Mahometana religio regnat, hoc eſt, in maxima veteris orbis parte, in Japonia, Sinis, reliquiſque Indiæ Orientalis provinciis, regnis, aut imperiis, in noſtro etiam occidente fanatiſmi plena ſunt omnia.

523. Quod ſi primam mali originem, aut communiora ſaltem ſymptomata quæramus, facile meditando invenimus inſanum illum mentis furorem, qui homines in inſaniam, & crudelitatem adigit, quo futilia, & falſa pro rebus graviſſimis, atque certiſſimis uſurpantur, creduntur, milleque chymeræ, & vana religionis ſimulacra, terriculamenta, atque phantaſmata repræſentantur, & prophetiæ loco venditantur, hæc omnia, inquam, quæ ſunt purus putus fanatiſmus, aut hæc habere principia, aut ſymptomata, craſſam ſcilicet ignorantiam una cum confuſione, atque obſcuritate idearum ad religionem, Numinis cultum, ſpiri-

tus, & venturam vitam ſpectantium, tetræ imaginationis vivacitatem, profundamque melancholiam diuturnis meditationibus nutritam: verbo dicam, omnis fanatiſmus, & univerſa illius ſymptomata in cauſſam partim intrinſecam, partim externam reſolvuntur: prima complectitur peculiare, phyſicum, & internum hominis temperamentum, humorem, & indolem, & cerebri ſtructuram; unde eſt ingenii craſſitudo, melancholia, imaginatio tetra, & profunda: ad externam vero pertinent craſſa rerum ignorantia, hauſta a pueris præjudicia, & errores invaleſcente ætate confirmati, diuturnum cum hominibus eodem morbo laborantibus commercium.

524. Singula hæc vel breviſſime expoſuiſſe, confirmaſſe eſt: adeo clara ſunt, omniumque temporum, locorum, & hominum experimento certa, ut vel leviſſima mentis attentione vera eſſe animadvertantur. A peculiari cujuſcumque noſtrum temperamento phyſico, humorum indole, & doſi, cerebrique ſtructura eſſe omnes illas animi, mentiſque paſſiones, indolem, ingenium, judicium, hebetudinem, levitatem, inſaniam, melancholiam, imaginationis vim, atque tenacitatem, facile ab omnibus conceditur, & luculenter in *Phyſica viventium* probavimus: in uno enim, eodemque homine eadem ſemper eſt anima, in ſingulis vero exiſtunt perfectione, ingenio, & indole pares: cum igitur non modo pro diverſitate hominum mira in iis paſſionum, affectionum, & indolis varietas deprehendatur, verum etiam in ipſomet homine pro diverſo corporis, humorum, cerebrique ſtatu, & mutationibus multiplex illud paſſionum, affectionumque mentis, & animi diſcrimen, & varietas deprehendatur, quæ in diverſis hominibus animadvertuntur; unum eſt corporis, humorum, cerebrique temperamentum, mechaniſmus, & mechaniſmi affectiones, in quæ recenſitæ hominum paſſiones refundi poſſint.

525. Jam vero relatas animi, mentiſque affectiones, aut fanatiſmum per ſeſe conſtituere, aut efficere, ipſamet rei conſideratio, communia experimen-

rimenta, & ratio perſuadent. Da enimvero hominem, aut populum aliquem craſſa, ſupináque rerum ſacrarum ignorantia ſepultum, Divinitatis cultum mira idearum confuſione, & erroribus apprehendentem, cui plurima terrorem incutientia circa futurum animæ ſtatum, præmium, ſupplicia ex apprehenſarum religionis legum, aut præceptorum tranſgreſſione, aut executione conſequentia facile perſuadeas, ut rudiſſimo populo fieri ſolet; fac etiam accedat vivida phantaſiæ excitatio, & fixa confuſæ, tetræ, & ferventis imaginationis vivacitas, & viva rerum, atque imaginum repræſentatio: tetra etiam melancholia ex interno humorum temperamento proveniente animi obruantur, qua fiat, ut earumdem rerum imaginibus intuendis defixa imaginatione, objecta mirum in modum apprehenſione grandeſcant, caleſcentem phantaſiam ad ſumma omnia aggrediendum impellant: qui, inquam, hominem ita conſtitutum ponat, atque parumper contempletur, facile perſpiciet, nihil inſaniæ, crudelitatis, & furoris eſſe, in quod hujuſmodi animi ſponte, genioque ſuo non erumpant, aut ab externa leviſſima cauſſa non determinentur.

526. Ob ſupinam ſcilicet rerum ignorantiam, neque vera a falſis, neque ſacra a prophanis, neque illicita, inhumana, legibuſque omnibus prohibita a licitis, humanis, ſanctiſque actionibus diſtinguunt; rerum, idearumque obſcuritate fit, ut omnia confundant: omnia invertuntur, futilia, inania, & minima imaginando grandeſcunt; maximi momenti eſſe, & ſacram religioſi cultus ſpeciem habere videntur, quæ nullius momenti exiſtunt, aut Numini etiam atque naturali rationi maxime opponuntur. Homines vides in ſiccitate ſua ebrios, inſanos, furioſos, quibus ut extrema omnia aggrediantur, humana, divinaque omnia religionis cauſſa conculcent, id unum ſatis eſt, ut ab aliquo ejuſdem farinæ impoſtore, eadem etiam inſania acto e ſuggeſtu incitentur: quæ enim hominibus eo rerum ſtatu conſtitutis, ea humorum temperie, idearum confuſione, imaginationis vivacitate, & tetra

etiam melancholia preſſis, & abreptis non perſuadeas? ad quæ infanda ſcelera, & facinora prætextu religionis non impellas? quid denique ab iis non timendum?

527. Clariori adhuc lumine res ipſa apparebit, ſi oppoſita omnia perpendamus: Homines, & nationes cultæ, morum ſcientia, religionis præceptis, aliiſque artibus humanæ ſocietatis propriis, quantum varii Reipublicæ ordines patiuntur, inſtructæ inter veram, falſamque pietatem, verum, falſumque numinis cultum, inter virtutem, & vitium facile diſtinguunt: quid lege naturali, aut Divina vetitum, quid permiſſum, aut injunctum, quid etiam conſilii, quid præcepti in ipſamet religione exiſtat, ipſi per ſeſe agnoſcunt, aut ex aliis quotidie ediſcunt; neque pannicum iis terrorem, ridiculum, ſuperſtitioſumque cultum ſuadeas. Eoſdemmet homines ponamus longe melius ratione, communique ſenſu, quam imaginationis viribus, atque vivacitate valere; neque etiam tetro melancholiæ humore ultra modum laborare: nihil ferventi, tumultuoſa, & vivaci imaginatione inconſulto aggredi, & abripi, ſed ratione potius quam imaginatione, & phantaſia duci, omnia ſedato expendere, atque diſcutere, ad nihil tumultuatim, inconſulto, & furioſe determinari: qui fieri poteſt, ut homines hiſce moribus, mentis, animique cultura ornati ad illa mentis deliria deveniant, quæ & rationalem animam fœdant, & purum fanatiſmum conſtituunt? Eos ſane numquam videas in ſe invicem, ad necem ſibi mutuo inferendam furioſe currere, quaſi ſcilicet mutuis cædibus bene de religione mererent, & rem Numini gratiſſimam, præmioque, & laude dignam eſſent facturi. Quiſnam eſſet, qui eo, quod vivimus, ſæculo, ſcientiis, & artibus luminoſiſſimo (quod tamen novi ferrei ſæculi, ignorantiæque ætatis prænuntium eſſe videtur), quiſnam, inquam, infinitam hominum multitudinem, & integras fere nationes ab occidentali Europa in Aſiam tranſduceret, ut Paleſtinæ liberandæ prætextu nihil flagitii, libidinis, rapinarum, ſcelerumque omnium non committerent?

528.

528. Ex dictis præter plura alia, quæ hoc loco proſequi non poſſumus, ſponte deducuntur ſequentia. 1. Fanatiſmus, ſi cetera ſint paria, atque rei ipſius natura attendatur, communior eſt in juniori, quam in adulta, provectaque ætate; in rudioribus, quam in cultis nationibus; ſub calidiori climate, inter homines vivaces, & melancholicis humoribus nimium preſſos, quam ſub temperatiori, frigidiorique Cælo, in nationibus judicio magis, quam vivacitate valentibus, in genialibus populis, placidis, ſuavibuſque moribus. Et quidem præterquam quod horum omnium veritas ex ſuperioribus conſequatur, ipſamet experientia, omnium temporum, nationumqne hiſtoriæ, & attenta nationum omnium, earumque climatis, religionis, ignorantiæ, culturæ conſideratio rem ipſam confirmat. Si totam globi ſuperficiem luſtremus; majorem ſemper imaginationis vivacitatem in calidioribus regionibus, in zona torrida, locisque proximis, quam ad polos, frigidioribuſque locis animadvertimus: humanarum etiam viciſſitudinum ratione factum eſt, ut a pluribus jam ſæculis craſſiſſima illic vigeat omnium fere rerum ignorantia, ut earum regionum limites, & nationes percurrenti a Japonia, & Philipinis per Indos verſus Americam circum luſtranti perſpicuum fiet. Quæ enim in terris natio eſt fanatiſmo proclivior, & furioſe ſemper acta, quam Arabes, reliqui Mahometani, omnes Indiarum populi, & Affricani? illic gentium eſt, ubi omnia naturæ, rationiſque jura religionis cauſſa invertuntur: humano adhuc ſanguine Diis immolatur, defunctorum amicorum, principum, maritorum manibus, & pheretro amici, clientes, uxores ſeſe trucidant, milleque alia furoris effecta eduntur. A calido ſcilicet illo æſtuantium regionum climate, ut & ingenii vivacitas, atque acumen, ita & in imaginationem vis, atque profunditas provenit: quod commune malum, & climatis vitium una legum prudentia, ſcientiarum, & artium cultura, morum ſuavitas, & veræ religionis cultus emendarent, quod tum iis locis contigit, cum chriſtiana in iis religio regnabat. Alia omittimus,

ne longius excurramus, quam logici operis fines paterentur.

529. 2°. Facile etiam deducitur, alios quidem homines naſci fanaticos, alios fieri, & commune malum, quaſi contagio ab aliis haurire, aliorum denique fanatiſmum a natura datum externis cauſſis, aliorumque hominum fanaticorum commercio augeri, aut imminui. Sunt, quorum fanatiſmus nulla ratione medicari, emendarique poſſit: quid enim inconſtantis, leviſſimique ingenii homini facias? quanam arte tetram melancholiam a natura, & temperamento profluentem, una cum imaginationis defixione conjunctam ſublevabis?? Quæcumque innato malo remedia adhibeas, inſtructionem, & præcepta adjungas, in illud *Horatii* devenies *naturam expellas furca, tamen uſque redibit*. Cum tamen præcipuus fanatiſmi fundus in craſſiori ignorantia, idearum confuſione, & fumoſæ imaginationis vivacitate conſiſtat: hæc autem aut rerum expoſitione, idearumque claritate, explicatione, atque rationis illuſtratione minuantur, aut contra novis erroribus, argumentis in ſpeciem tantum veris, vividioribuſque imaginibus confirmentur; inde eſt, quod fanaticus ſæpe concionator ſeditioſa declamatione, falſis, futilibuſque argumentis vaniloqua eloquentia expreſſis ignorantiſſimæ multitudinis imaginationem variis, ſpecioſiſque imaginibus perturbet, excitet, inflammet, animos moveat, ut e concione redeant furioſe fanatici, qui, ſi partes oratoris ageret concionator, domum ſeſe reciperent veritatem edocti, & ad virtutem aliquam colendam, vitiumque fugiendum perſuaſi.

530. Interim tamen, ut eo, unde divertimus, regrediamur, fanatici, pſeudo-enthuſiaſtæ quamtumlibet idearum, atque cognitionum claritatem, certitudinem, atque evidentiam nobis obtrudant, mordicus, & tenaciſſime credant, immo & prophetarum aliquando perſonam, & munus agere præſumant, revelationeſque jactent, quibus rudi populo, & aliis etiam fanaticis imponunt, & fidem faciunt; totum tamen id ignorantiæ, imaginationis vitio, idearum confuſioni, aliiſque cauſſis ſuperius relatis re-

referendum eſt. Tantum abeſt, ut aut veram revelationem, aut naturalem rationis evidentiam in ſeſe habeant, ut nulla in iis intervenire dignoſcatur rationis evidentia, conſilium, idearumque diſtinctio, ſed omnia inconſulto, ſenſuum, phantaſiæ, imaginationis motionibus, atque inflammatione impellantur. Neque igitur fanatici, aut pſeudoenthuſiaſtæ veri, aut falſi, certitudinis aut evidentiæ judices eſſe poſſunt, aut earum rerum in ſeſe criterium habent: neque a tenacitate illa, qua ſuæmet imaginationis chymæris, ſpectris, atque apparentibus ſpeciebus adhærent, argumentum aliquod peti poteſt ad ſupradicta infrigendum idoneum. Ut enim veritatis criterium in vera tantum evidentia ſitum eſſe agnovimus, quæ ratione tantum probatur; ita & eos tantum criterii, evidentiæque judices ſtatuimus, qui una ratione, menteque pura de rebus pronuntiant, neque fucum ſibi fieri permittunt ab impuris illis uberrimiſque errorum fontibus, unde omnis fanatiſmus profluit.

§. IX.

De Scepticiſmo.

531. *Scepticiſmus*, antiquiſſimum æque, atque celeberrimum Philoſophorum argumentum, ob illam, quam cum expoſitis rebus affinitatem habet, hoc etiam in loco exponendus eſt, & quid prudenti Philoſopho in hujuſmodi controverſia tenendum ſit, ſtatuendum. Inter metaphyſicas controverſias hujuſmodi argumentum a quamplurimis tractari videas. Quoniam tamen de veritatis criterio, ut locus, & res exigit, fuſiſſime diſputavimus, illudque in rebus eſſe ſtatuimus; argumenti ratio eo nos deducit, ut ad Scepticiſmum etiam, qui cum veritatis criterio ſtare non poteſt, deſcendamus. Id vero eo accuratius faciendum eſt, quod *Scepticorum* familia, multo quidem noſtris, quam priſcis temporibus numeroſior exiſtimatur.

532. *Sceptici*, ſeu *Scepticiſmus* late acceptus, una cum ipſa Philoſophia, aut humanæ rationis

corruptione natus, duas in primis hominum, atque dogmatum claſſes complectitur, Pyrrhonicos nimirum, ſeu *Pyrrhoniſmum & prudentiorem Scepticiſmum*. Quid Pyrrhoniſmi nomine intelligi debeat, omnes norunt, univerſalem ſcilicet de rebus omnibus dubitationem, nihil certo cognoſci poſſe, nullumque proinde eſſe veritatis criterium, atque teſſeram, qua illa a falſo dignoſci poſſit. Univerſalem hunc Scepticiſmum, ſeu Pyrrhoniſmum, quem olim tenuerunt Pyrrhonici, tenent etiam hodie aliqui, ſeu potius, crediderim, tenere dictitant, atque gloriantur. *Moderatus prudenſque Scepticiſmus* Philoſophorum doctiorumque hominum eſt, & proprius veluti doctrinæ character haberi poteſt, *dubitare*: unde illud etiam emanavit, *Philoſophandi principium eſt, dubitare*. Non ii quidem omnia eſſe dubia, nihil certi, nullum veritatis criterium exiſtere dicunt: ſed primo quidem infinita a nobis ignorari, quæ ſub ſenſus, ideaſque noſtras non cadunt, aut nullam habent cum tenuiſſima humani intellectus acie proportionem. 2°. Pauca a nobis certo ſciri; ampliſſimum vero, & vix non infinitum earum rerum eſſe numerum, circa quas erramus, opinamur, conjicimus, aut confuſiſſimas tantum ideas habemus. 3°. Suum proinde eſſe earum, quas certo ſcimus, veritatum criterium, vel a ſenſu, vel a conſcientia, vel ab evidentia illum tandem repetamus. 4°. Circa hujuſmodi criterium iterum inter ſe diſtinguuntur moderati alius, atque prudentis ſcepticiſmi fautores. Sunt primo, qui omnes cognitiones humanas naturales, incertas eſſe contendunt, nullumque conſequenter eſſe naturale rationis, conſcientiæ, aut ſenſuum criterium: certa iis tantummodo ſunt, quæ divina revelatione innituntur, eaque una eſt veritatis criterium. Scepticiſmum hoc modo intellectum tenet præter alios *Daniel Huetius* erudítiſſimus Avrincenſis Epiſcopus: a qua quidem ſententia quantum ego abſim, ea luculentiſſime declarant, quæ hactenus diſſerui. Secunda prudentiorum Scepticorum claſſis, prætermiſſa hac Huetii ſententia, iiſque animadverſionibus adhibitis, quas modo adnotavimus, aliqua a nobis naturali mentis

fa-

facultate certo ſciri fatetur, ſuaque iis competere naturalia veritatis criteria. Scepticiſmum hoc poſtremo ſenſu expoſitum tenent hodie Carteſiani omnes, *Joannes Lockius*, & Doctiores fere omnes Philoſophi; quo enim penitus in cauſſarum, atque effectuum indagatione progredimur, eo magis humanæ mentis imbecillitatem, errorum noſtrorum fontes detegimus, omniaque fere opinionibus, conjecturis, obſcuriſque ideis judicari, aut attingi animadvertimus. Eadem etiam fuit veterum clarioris nominis Philoſophorum, *Platonis*, *Ciceronis*, *Varronis*, *Ariſtotelis*, *Socratis*, *Democriti*, *Pythagoræ*, aliorumque ſententia (*a*), quam maxime probamus, & amplectimur, ut ſatis ex hucuſque dictis, atque ex toto hoc Philoſophico opere apparet. Duo igitur omnino rejicimus, 1°. Scepticiſmum ſtricte talem, ſeu Pyrrhoniſmum: 2°. relatam modo *Petri Daniel Huetii* ſententiam, quod certum nobis tantum ſit, quod eſt a Deo revelatum.

Propoſitio.

533. *Scepticiſmum rigoroſum, ſeu Pyrrhoniſmum neque verum eſſe Dogma, neque ſerio atque ſincere ab aliquo teneri propugnarique exiſtimo: eſt dicere, neque dubitari poteſt de omnibus; neque eos, qui de omnibus dubitandum eſſe palam dicunt, ſerio, atque ſincere loqui, & dubitare, exiſtimo.*

Propoſitio duas habet partes, quarum ſecunda a priori deduci poſſet, quoniam tamen probari illa ſeorſim poteſt, & lucem alteri affundit, quæ totius rei cardo exiſtit; ordinem hic invertamus, & poſterius ſuimet expoſitione priori loco in hunc modum conficiamus. Quantumvis Scepticum de omnibus dubitantem, & de illa etiam, quæ inter nos eſt, diſputatione incertum, ad interloquendum, & diſſerendum admittere non oporteret; hominem tamen audiamus. Itane? omnia tibi ſunt incerta? ma-

(*a*) vide Huet. la foibleſſe de l' antendement humain l. 1. c. 14.

maxime inquit, corpora hæc omnia, quæ ſenſibus percipimus, terræ globum, planetas, mundum univerſum, corpora etiam noſtra, me, teque exiſtere incertum mihi eſt: dubium igitur tibi eſt, repono, loquamur, nec ne una ſimul, an cogitantes ſpiritus exiſtamus? ita prorſus, ſubjungis: quid tamen de ſuamet exiſtentia? exiſtis ne in rebus aliquid, an nihil prorſus te eſſe dubitas? Nihil ſcio, incerta hæc mihi ſunt, reſpondes: hæres ne igitur te cogitare, dum cogitas, mecum agis; loqueris, diſputas? ſis nec ne inanimis machina, an irrationale Animal omni prorſus ratione deſtitutum? certo affirmare nihil auſim: falli poſſum: de omnibus etiam a te modo relatis dubito. Fieri igitur poteſt, ut uterque noſtrum, modo etiam dum mutuo loqui, cogitare, & diſputare pergimus de hiſce omnibus conſcii, ſimus tamen nihil, & perſonata aliqua chymæra? Fieri igitur per te poterit ut *nihil* ipſum, duæ negationes, perſonatæ chymæræ philoſophentur? Impoſſibile id eſſe, reponis, certo affirmare non auſim. Hæc quidem omnia monſtra ex univerſali dubio, totius pirrhoniſmi fundamento conſequentia a te incerto admitti, atque ſtatui opus eſt. Quid tamen ſi ulterius ex te quæram, ſerione mecum agis, ſincere loqueris, ſanus es? an potius jocaris, aut inſania aliqua laboras? De hiſce omnibus dubito, dicis, Pirrhonicus ſum, nihil mihi certum exiſtit, aut apparet. Bene eſt; quandoquidem igitur hæc opinionum portenta audacter, incertus tamen affirmas; jocari te potius, aut inſanum eſſe, quam ſerio, aut mentis compotem nobiſcum agere per te nobis credere liceat; purumque, qualem jactas, Scepticiſmum aut otioſæ mentis jocum, aut inſanæ fanatiſmum habebimus. Neque, dum ita loquimur, & agimus, injurioſos tibi eſſe certo affirmare audebis. Equidem hujuſce ratiocinationis conſequentia eſſet, hominem ad diſputandum non admittere; cum enim de omnibus dubitet, nihil certo affirmari poſſe contendat, ſe etiam mecum diſputare dubitabit, aut dubitari opus eſſe affirmabit. Præterea certus minime eſt, ſanus ne ſit, an mentis inſania laboret; ne igitur idem

de

de adverſario etiam dubium moveat, vale illi dici oporteret: inſani ſcilicet hominis conſilium eſſet, cum illo agere, qui de ſuamet inſania merito dubitandum eſſe affirmat.

534. Scepticiſmi, ſeu pyrrhoniſmi falſitatem, quæ eſt prima propoſitionis pars, & præcipuus totius controverſiæ cardo, illa omnia evincunt, quæ pro veritatis criterio aſſerendo luculenter attulimus. Nullus hominum eſt, quidquid in contrarium dicant Pyrrhonici, qui ab intimo conſcientiæ lumine, atque evidentia ductus ad ſuoſmet exiſtentiæ veritatem, atque certitudinem agnoſcendam, & aperte fatendam non adigatur, & ſemetipſum, qui cogitat, loquitur, diſputat, dubitat, dum hæc omnia agere conſcius ſibi eſt, aliquid eſſe, aut reapſe exiſtere dubitet. Inſuperabili ſcilicet vi, aut, ſi mavis, violentia mens humana, atque animus ad ſuæmet exiſtentiæ aſſentiendum adeo trahitur, ut nulla ab homine cogitante, & argumentorum vim enucleante opponi poſſit reſiſtentia. In hoc tandem manifeſtum, atque intimum conſcientiæ teſtimonium omnia pyrrhonicorum dubia, ſcrupuli, anxietates, ſeu potius vana dubitationum ſimulacra, quaſi ad immotam rupem fluctus, illiduntur, & diffracti reflectunt. Ad hanc uſque metam, majori, quo fieri potuit, mentis, animique conatu hypotheticam dubitationem deduxit, atque promovit *Des Cartes* (*a*) ad quem tandem cum ratiocinando perveniret, omnis illico dubitandi apparentia evanuit: hærere ulterius non licuit: quantumvis omnia ad dubitandum vel leviſſima argumenta undique corraderet, & dubitationis umbras inſectaretur. Indubio ſane argumento, quod ad intimum, atque manifeſtum Conſcientiæ teſtimonium dubia omnia evaneſcant, nihilque ulterius ſanæ mentis homini oppenere liceat, quo pyrrhoniſmnm adhuc ſuum circa propriam exiſtentiam tueatur. Is ſcilicet Philoſophiæ inſtaurator, atque Philoſophorum ſecta, quæ ſeſe a præjudciis, errorum cauſſis,

(*a*) Medit. 1. & 2.

ſis, & præjudicatis ſententiis liberare maxime ſtuduit, eaque propter omnia illa, tanquam falſa, aut dubia rejecit, in quibus aliquod incertitudinis veſtigium apparere videbatur; cum ad ſuimet cogitantis conſcientiam pervenit, omni dubio depulſo, primum hoc ſtatuit indubium philoſophandi principium, *ego cogito: ergo exiſto*.

535. 2°. Pari etiam vi, & neceſſitate mentem noſtram ad aſſenſum rapiunt, quæcumque rationis evidentia conſtant, puta Geometrica axiomata, aut theoremata, *quæ eidem ſunt æqualia, ſunt æqualia inter ſe: duo unius trianguli latera tertio ſunt majora*, & quamplurimæ aliæ paris evidentiæ veritates, quæ ea claritate mentem perfundunt, ut aſſenſum omnino extorqueant. Argumenti hujuſce vim ſatis demonſtrabo, ſi duo hæc conficiam: *primum*, ab hujuſmodi propoſitionum evidentia noſtræ hominum mentis aſſenſum extorqueri: *Secundum*, neque uni tantum, aut alteri homini, hominumve ordini id accidere, ſed omnibus, quotquot earum veritatum vim, atque energiam percipiunt, quocumque tandem loco, tempore, ætate, climate nati ſint, quamlibet profiteantur religionem, & cultum, quibuſlibet infantiæ, gentis, religionis, patriæ præjudiciis imbibiti exiſtant, iis omnibus, inquam, ea omnia indubia eſſe, quæ manifeſtum rationis lumen, aut apertiſſimum conſcientiæ teſtimonium demonſtrat: e quorum numero ſunt, quæ modo exempli cauſſa adduximus. Hæc ſane duo ſi vicerimus, cauſſam noſtram apud æquum quemcumque judicem obtinebimus.

536. Primum quod attinet, experientiæ res eſt a proprio uniuſcujuſque conſcientiæ teſtimonio decidenda: quocirca ſi pauca totius humani generis capita excipiamus, qui Pyrrhonici, aut Sceptici audiunt, & ab antiquiſſimis temporibus per ſingula ſæcula parvam componunt familiam, ſi totius humanæ ſpeciei teſtimonio ſtabimus, acta res eſt; uno omnes profitentur ore, ne minimam quidem ſibi ſupereſſe, aut de propria exiſtentia, aut de iis, quæ conſcientia, aut rationis evidentia conſtant, dubitationem: quin immo ullam de hujuſ-
modi

modi rebus litem ſerio moveri niſi ab inſano homine poſſe, vix credunt. Si axiomata geometriæ, uniuſcujuſque, (quocum diſputas) exiſtentiam in dubium vocari poſſe, in circulis proferas; ab unis quidem riſu, & cachinnis, commiſeratione ab aliis excipieris; ab alio quidem inſanus in carcerem mitteris, alter vero jocari te benigne interpretabitur. Hanc quidem humanarum mentium, atque animorum circa illarum veritatum certitudinem diſpoſitionem, & conſenſionem eſſe, experientia demonſtrat, quam ſi neges, aut in dubium revoces, per temetipſum rem edocebere, ſi hominum converſationibus, faciendi periculi cauſſa, interſis. Quod ſi de pyrrhonicis ipſis loquamur, ut eorum etiam teſtimonio aſſertionem noſtram probemus; eorumdem ego omnium fidem appello: ſerio ne de ſuamet ipſorum exiſtentia dubitent, quæro; utrum ſeſe cogitare, de omnibus dubitare, pyrrhonicos eſſe philoſophos, uno verbo, exiſtere, & aliquid eſſe credant: quidquid ipſi in contrarium blaterent, bona tamen eorum pace, ab interna ipſorum fide, animi, & conſcientiæ ſenſu externa hæc teſtimonia, & pyrrhonicum loquendi ſtilum multum abludere tenebo. Peculiarem, neſcio quam, ingenii gloriolam prædicto de rebus omnibus dubitandi genio, atque perfecto Scepticiſmo addictam eſſe facile concipiunt; illiuſque aſſequendi gratia, & ut *Spiritus fortes*, quinta nimirum humanorum ingeniorum eſſentia, apud hominum vulgus audiant, quaſi ad eam rerum profunditatem, & medullam pervenerint, quo reliquis penetrare non licet, pyrrhonicos ſeſe in triviis jactitant, & contra internum ſenſum, atque conſcientiæ dictamen loquuntur. Eſſet ſecundum communem hominum opinionem pyrrhoniſmus pinguis ingenii nota: uno hoc hominum ſenſu, contagioſa illa pyrrhonicarum animarum ægritudo, & inſania medicaretur.

538. Quod ſecundo loco probandum aſſumpſimus, manifeſtam ſcilicet rationis evidentiam, aut intimum conſcientiæ teſtimonium non ab unius tantum, aut alterius ordinis, ſectæ, religionis, climatis, aut nationis hominibus aſſenſum extorquere,

re, ſed eam univerſim eſſe humanarum mentium, & animorum indolem, ex naturalis hiſtoriæ monumentis conſtat. Incultiſſimas aliquot eſſe in America nationes, quas inter nullam Numinis ideam primi earum detectores deprehenderint, paſſim leges; unde argumentum deducunt, qui Dei ideam humanis mentibus innatam eſſe inficiciantur, & invincibilem in hominibus aliquot reperiri ſupremi Numinis ignorantiam contendunt: eſſe tamen nationem aliquam ſupra omnem, qua late patet, terraqueam ſuperficiem, culta illa, aut penitus barbara, atque agreſtis ponatur, quæ Pyrrhoniſmum profiteatur, monumenta omnia contradicunt. Nulla ſectarum, aut religionum eſt, cujus dogmata pyrrhoniſmum, aut inducant, aut non evertant, ſi antiquam illam pyrrhonicorum ſcholam excipiamus, quæ fanaticorum potius quam prudentium Philoſophorum veritatem amantium familia ſpectari debet. Næ id præterea climatis, cultæ aut incultæ inſtitutionis, rudium aut civilium populorum dogma unquam fuiſſe, neque ratione neque ullo hiſtoriæ monumento probari poteſt.

539. 3°. Tertia & validiſima contra pyrrhoniſmum probatio ex modo dictis profluit: Si nullæ hominum, nationumque inſtitutiones, quæ diverſiſſimæ ſunt, nulla climatum, religionum, ſectarum diverſitas, neque ulla cogitandi, videndique ratio, humanam mentem, animumque ad Pyrrhoniſmum inducunt; omneſque nationes, quibuſcumque tandem præjudiciis, affectibus, milleque aliis capitibus inter ſe diſſideant, in hoc tandem mira animorum conſenſione conveniunt, quod pyrrhoniſmum rejiciant, quidquid conſcientia, & rationis evidentia demonſtrat, firmiſſimum teneant: hæc, inquam, cum ita ſint, evidens ſane argumentum eſt, communem hunc humani generis conſenſum ab ipſamet humana natura, a mentis, animique noſtri indole, & veritatum evidentia provenire, & taliter nos eſſe a natura, ſeu potius ab naturæ univerſarumque rerum auctore comparatos, ut quidquid nobis conſcientiæ teſtimonio, aut rationis evidentia innoteſcit, id neceſſario ample-

plectamur, & ut indubium firmiſſime teneamus. In id omnes innato mentis conatu ferimur; & ſi aliquando innatæ huic animorum indoli conquiſitis undique conjecturis obſtare velimus, atque de rerum evidentia dubitare adnitamur; nihilominus ab ipſamet evidentia quaſi a ſole clariſſimo, depulſis conjecturarum nebulis, irradiamur, trahimur, atque invictiſſime rapimur.

540. 4°. Pyrrhoniſmus, ſeu univerſale de rebus omnibus dubium, quantumvis conſcientia, aut rationis evidentia conſtent, rationis lumini, atque innato naturæ, & rationis dictamini, ſiquid aliud maxime repugnat, & penitus opponitur. Id ego mihi datum ſuppono, lumini rationis opponi, manifeſtum eſſe falſitatis indicium, & characterem; unus id negare, aut in dubium vertere audebit pyrrhonicus, cui tamen, ut par pari referamus, dum in diſputatione verſamur, viciſſim repono: me de ſincera illius dubitatione, aut negatione dubitare. At mea fides, inquiet, de tuo illo principio dubito, nequid adjungam, acrius, atque vehementius; bona tamen tua gratia, repono, exemplo, doctrinaque tua ductus, non modo te poſitum a me principium non inficiari, ſed ne illud quidem in dubium vertere affirmabo, aut ſaltem dubito: atque in hac tandem dubitatione perſiſtam, quoad me a dubitatione invitum removeas: cum id tamen tum ſolummodo aſſequi poſſis, cum de principii alicujus certitudine conveniamus, a quo diſputationem exordiamur: aut certi aliquid in rebus eſſe dabis, aut te & diſputando imparem fatearis, & me in allato dubio immotum permanere non gravaberis. Uno verbo, quandoquidem de omnibus dubitandum eſſe contendis; des etiam oportet, me de omnibus propoſitionibus, quaſcumque in medium afferas, dubitare: ſed de hoc ſtatim, modo inceptum argumentum proſequamur. Nihil autem eſſe contendo, quod naturali rationis lumini magis opponatur, quam de *omnibus dubitare*: neget id quidem Pyrrhonicus, & principium aliud, aut propoſitionem in medium adducat, quæ æque, aut magis, ac univerſalis dubitatio rationi appo-
na-

natur: erunt ne prima illa morum principia; *quod eſt per ſe malum, eſt fugiendum, per ſe autem bonum eſt amandum: quod tibi non vis alteri non facias: primam rerum omnium cauſſam, ſeu Deum agnoſcito, atque colito*; aut etiam univerſalem hanc alteram propoſitionem, primum principium vulgo nuncupatum, *impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe & non eſſe*? verum non modo hæc, ſed omnia alia principia, aut propoſitiones conſcientia, aut evidentia rationis notæ in univerſali illo dubio comprehenduntur: univerſale igitur de rebus omnibus dubium magis adhuc rationi opponitur, quam peculiaris quæcumque de quacumque propoſitione dubitatio. Quod ſi aliquid aliud in medium adducat pyrrhonicus, quod rationis lumini magis adhuc, quam Pyrrhoniſmus ipſe, opponi contendat; de illo etiam, quodcumque tandem id ſit, redit ſemper argumentum. Aerem tamen verberamus, dicet fortaſſe Pyrrhonicus, nihil horum rationi opponitur, ad principium iterum redimus; nihil certi ſtatui poteſt: nulla inter rationem, atque propoſitionem aliquam, aut veritatem certa oppoſitio. Bene eſt: contra rationem igitur non eſſe, conſequenter dices; pergo, ſi amicorum aliquis multis tibi nominibus devinctus contumeliam, & injuriam pro accepta gratia rependat, quæ tua ſunt eripiat, tuammet nominis famam proſcindat, te ex inſidiis inſiliat, vulnera infligat, & per ſummam ingratitudinem, atque injuriam tibi etiam imparato, immerito innocenti mortem intentet? vereor equidem longe aliam tibi fore in campo, inſtante hoſte, ac modo eſt in pacifica diſputatione ſententiam.... Sed ad ſeria iterum veniamus.

541. 5°. Pyrrhoniſmus, ſeu de omnibus, etiam conſcientiæ aut rationis evidentia certis, dubitari merito poſſe ita a ratione naturali abludit, atque naturæ opponitur, ut niſi valida aliqua ratione probetur, admitti nequaquam poſſit: age igitur, me oppoſitum Dogma aſſerentem, & propugnantem a ſententia depelle; & invicta, ut ad rem hujuſmodi opus eſt, argumenta in medium profer, quibus reluctantem mentem, atque animum vincas.

Por-

Porro peculiaria, quibus inniteris, momenta ſtatim diſcutiemus; generatim tamen ita ad hominem argumentum efformo: a quocumque tandem principio argumentum deducas, vel hujuſmodi principio firmiter adhæres, illudque tamquam certum ſtatuis, aut de ipſo dubitas, atque ejus veritatem non niſi inter probabilia, incerta, atque apparentias veritatis reponis: ſi primum, cauſſa cecidiſti; aliquid jam habemus tuamet ſententia, & confeſſione certum; quo ſemel admiſſo, omnia alia principia, in quibus idem veritatis criterium animadvertamus, pro indubiis ſimiliter habenda ſunt. Si ſecundum, paradoxam tuam ſententiam, quod nihil in rebus certum ſit, rationi adeo repugnantem, probare nullo modo potes: ea ſiquidem ex iis argumentis deducis, de quorum veritate ipſemet dubitas, & quæ certa eſſe non poſſe, audacter affirmas: Rem igitur maximi momenti ex principiis tuamet confeſſione ruinoſis, & dubiis deducis. Ita ſane eſt, reponis, pyrrhoniſmum inter dubia repono, cum nihil in rebus certum, atque indubium agnoſcam: ex dubiis principiis dubiam concluſionem incertus deduco: circa omnia hæreo, probabilibus tantum ducor, unde major affulget veriſimilitudo, aut veritatis apparentia: bene eſt, veſtram hanc ſcimus pyrrhonicam cantilenam: Demus parumper ſincerum hoc eſſe pyrrhonicæ mentis atque animi ratiocinium; æquis tamen lancibus oppoſita rationum momenta examinemus: ex una parte prætenſum id habemus paucorum hominum dubium, quod multiplici de capite evaneſcit; ex alia vero intimum, atque manifeſtum totius humanæ ſpeciei teſtimonium a propria cujuſque conſcientia editum, validiſſima argumenta demonſtrationibus parum concedentia, & inſuperabilem pyrrhoniſmi cum humana mente, atque rationis lumine repugnantiam ab univerſo hominum genere, ab ipſiſque etiam pyrrhonicis, ſi vera fateri velint, confirmatam. Etiamſi ex pyrrhonicorum grege judicem ſtatuamus, fieri non poteſt, quin in ſe ipſos ſententiam ferat.

542. 6°. Pyrrhoniſmum falſum omnino eſſe De-

Dogma, nullus inficiabitur, ſi nulla demonſtratione, aut argumento ſatis valido innitatur: ſtatuendum enim aſſumitur, iterum dico, poſitivum dogma a ratione penitus abhorrens, religionem evertens, Numinis cultum, exiſtentiam, bonitatem, providentiam tollens, humanis omnibus, Diviniſque legibus contrarium, virtutem & vitium confundens, ſcelera, omnia permittens humanam omnem ſocietatem, regimina, regna, imperia peſſumdans: uno verbo, de ſumma rerum agitur, humana, divinaque, omnia præſens, atque futura hominum vita, atque ſors in diſcrimen, & diſceptationem vocantur: omnia autem hæc contra univerſam hominum ſocietatem, & ipſius rationis dictamen dubia omnino eſſe adſtruere, quin aliqua ad affirmandum poſitiva demonſtratio, aut maximi ponderis argumentum ſuppetat, cui humana ipſa ratio ſuccumbat, extremæ temeritatis, ne dicam impudentiæ, argumentum haberi debet.

543. Argumenta, quæ a pyrrhonicis ad generale eorum dubium ſtatuendum afferuntur, in duplici ſunt differentia: aut enim univerſalia ſunt, atque ex humanæ mentis tenuitate, ſenſuum fallaciis, imaginationis indole, objectorum obſcuritate, humanorum animorum affectibus, paſſionibus, præjudiciis, atque corruptione petuntur: aut potius peculiaria tantum objecta, phænomena, cauſſas, atque effectus ſpectant, quæ, cum ab humana ratione eo, quo vivimus, ſtatu intelligi, atque explicari ſatis non poſſint, eaque propter in multiplices ſententias philoſophos agant; ipſamet opinionum varietas, & recondita explicandarum rerum difficultas argumenta Pyrrhonicis Philoſophis ſuppeditant, ut nihil in rebus indubium eſſe admittant. Quæ a peculiaribus naturæ phænomenis pyrrhonici philoſophi deducunt argumenta, hoc loco proponenda, atque ſolvenda non exiſtimo; cum ſuis quæque locis in ſingulis philoſophiæ noſtræ partibus, prout argumenti ratio exigebat, expoſuerimus, & pro modulo noſtro explicemus: iis igitur impræſentiarum omiſſis, ea tantum Pyrrhoniſmi fundamenta diluemus, quæ & generalia, &

præ-

præcipua ſunt, atque hujuſce loci propria. Si quis tamen eſſet, qui patientiſſime vellet Pyrrhoniſmum fuſiori, quo fieri poteſt, calamo pertractatum legere, præter alios de eodem argumento diligenter, & accurate diſputantes, adeat Dominum *De Crouzas*, qui vaſtiſſimæ molis volumine contra Pyrrhonicos in lucem edito nihil omiſit, quo lectorem poſſet ab hiſce ſtudiis deterrere.

Pyrrhonicorum argumenta ſolvuntur.

544. Si de corporum, & materialis Mundi exiſtentia dubitari poteſt, nihil in rebus eſt certum, atque proinde univerſalem Pyrrhoniſmum ſtatuere oportet: quæ enim ſunt, de quibus nullum ſuperſit dubium, ſi univerſum hunc Mundum, corpora, quæ tangimus, videmus, audimus, ſi homines, quibuſcum loquimur, agimus, ratiocinamur, reapſe exiſtere, & non eſſe mera ſenſuum ludibria, certo pronuntiari non poteſt? quæ alia ſunt, quæ aut majori evidentia conſtent, de quibus nullum, niſi per jocum, moveri dubium homines patiantur? Atqui corporum, mundique exiſtentia incerta eſt, nullo argumento demonſtratur, ſuntque non pauci, qui de corporum exiſtentia non modo dubitare poſſe affirment, verum etiam ſerio dubitent, nullamque eorum demonſtrationem a nobis dari poſſe, nemo inficiatur. Si igitur peculiaris hic circa corporum, mundique exiſtentiam pyrrhoniſmus admitti poteſt, univerſale etiam de rebus omnibus dubium reprobari omnino non debet.

545. Hanc difficultatem a peculiari phyſicæ, aut metaphiſicæ capite deſumptam, contra ac primo mihi ſtatueram, hoc loco adducere, atque ſolvere libuit, ut uno ictu, eademque, aut ſimili reſponſione infinita alia præcidamus, & præcaveamus argumenta, quæ a quamplurimis difficillimis phyſicæ aut metaphiſicæ locis, & quæſtionibus a pyrrhonicis peti poſſunt: quaſi ſcilicet, ex quo omnia, & ſingula hujuſce univerſi, omnipotentis Dei operis, comprehendere, ac explicare nequeamus phænomena, & cauſſas, omnia illico dubia eſſe pronuntiare li-

liceat. Reſpondeo igitur primo, male a Pyrrhoniſmo ſeu potius prudenti Scepticiſmo circa peculiarem aliquam difficultatem, cui ſolvendæ pares non exiſtimus, univerſalem de rebus omnibus Pyrrhoniſmum deduci: quænam v. g. ſit univerſalis, phyſica, & mechanica aſtrorum motus cauſſa a Philoſophis dubitatur, in medio relinquitur: circa ſingulas, quæ a diverſis proponuntur, ſceptici exiſtimus; interim tamen nullus noſtrum in dubium vocat ab aliqua phyſica cauſſa relatum modo phænomenon provenire. Atque hac ratione ſimilia pyrrhonicorum argumenta expedies: quam plurima enimvero ſunt in naturalibus ſcientiis incerta, obſcura, difficillima: id vero liberaliter damus: omnia igitur ſunt incerta? id tamen eſt, quod ſecundum nullas logicæ regulas deduci poteſt.

546. Reſp. ſecundo negando argumentum. Corporum, & materialis mundi exiſtentia, neque intima conſcientia, neque geometrica, aut metaphiſica demonſtratione, ſeu rationis evidentia, ſed ſolo ſenſu demonſtratur, ut obiter in Phyſica attingimus, & latius in metaphiſica adſtruimus; quamtumvis alia ita ſit apud omnes indubia, ut imprudentiæ nota inureretur, qui illam in dubium ſerio vocaret: alia tamen ex parte innumera ſunt, quæ & conſcientia ipſa, & ratio evidens demonſtrat, qualia ſunt propria cujuſcumque noſtrum exiſtentia, axiomata omnia, milleque aliæ propoſitiones, tum ad Geometriam, reliquaſque matheſeos partes, tum ad moralem etiam ſpectantes: Cum igitur evidentia longe minori mundi, & corporum exiſtentia, quam innumeræ aliæ propoſitiones, conſtet; etſi circa primum dubitare Philoſophis parumper liceat, dum in palæſtra ingenii potius ſpecimen, quam rei veritatem quærunt, Pyrrhoniſmum ad cetera omnia etiam per jocum extendere feriantis prudentiæ, atque ingenii argumentum eſſet. Tertio dico, corporum, & materialis mundi exiſtentiam ex iis veritatibus eſſe, circa quas nullus Pyrrhoniſmo locus eſſe poteſt: eſto enim, neque conſcientia, neque demonſtratione proſus geometrica conſtet; noſtra tamen uniuſcu-

cujuſque conſcientia nos eſſe, & ab alio eſſe demonſtrat: hinc vero aut immediate in cauſſam primam, aut per medias creaturas in ejuſdem cauſſæ primæ cognitionem argumentando devenimus, a cujus notione, & bonitate ad corporum, mundique exiſtentiam deducendam facili, & evidenti conſequentiarum ſerie devenimus.

In Pyrrhoniſmo atheiſmum aliquem comprehendi, omneſque Pyrrhonicos eſſe mites ſaltem atheiſtas, quod primam cauſſam ſi penitus non inficientur, dubiam tamen eſſe contendant, facile omnibus patet: atheiſmus tamen ad pyrrhoniſmum non neceſſario ducit: utcumque res ſit, ab atheiſtarum etiam ſententia ad pyrrhoniſmum ſtabiliendum argumentantur etiam pyrrhonici: ſed præterquam quod data modo reſponſione illi etiam difficultati occurreretur, ſuus erit hujuſmodi argumentum latiſſime proſequendi locus.

547. Opponunt 2°. Ea nos noctu ſomniare, quæ vigiles aliquando ſenſibus percepimus, vulgare omnium experimentum eſt: ea claritate, atque evidentia res ipſas videre, audire, facere, agere, atque tractare nobis videmur, ut vigiliam ſomnia ipſa referant: ex qua obſervatione poſita, ita efformari argumentum poteſt: Quæ a ſomniantibus hominibus affirmantur, & clariſſime videri, atque intelligi dicuntur, pro indubiis haberi non poſſunt: quacumque enim idearum, atque rerum claritate objecta videre exiſtimemus, quiſnam noſtrum eſt qui mille ſæpe chymæras dormiens non viderit, magnaque claritate non perceperit? Si ergo noſtræ omnis vigilantium perceptiones ſomniantium viſiones, atque cognitiones referant, aut parum ab iis diſtinguantur, nulla humanis cognitionibus certa adhiberi debet, aut poteſt fides: atqui verum eſt, parum a ſomniantium viſionibus humanas diſtare cognitiones: primo enim mens ab obſcuriſſimo ſomnio ad clarius ſenſim & clarius, a clariori ad primum, & obſcuriorem vigilantis gradum, & primum veluti lucis crepuſculum tranſit, a quo paullatim, & gradatim ad majorem rationis evidentiam, quaſi ad meridianam lucem pervenimus, &

expergiſcimur : aliquot igitur tantum gradibus ſomnii , & vigiliæ evidentia , & claritas diſtinguuntur. Sed nimium forſitan a vigilantis hominis cognitionum claritate habitarum in ſomnis viſionum evidentiam removemus; minus hæc duo inter ſe diſtare non negabimus , ſi ad noſtraſmet rerum in ſomniis viſiones animadvertamus . Deinde ſi dicam , omnes noſtras cogitationes aliud non eſſe , quam clariora ſomnia, vigiliæque , & ſomni communia eſſe confinia? Si noſtrarum cognitionum evidentia cum illa, quæ in Angelorum eſt perceptionis claritate conferatur, parum utique a ſomniantium viſionibus evidentiam noſtram diſtare patebit. Sed quid in his proſequendis immoramur? Proba, notabile intercedere inter ſomnia, & vigiliam diſcrimen: id tamdiu negabo , unumque pro alio uſurpabo, quamdiu mihi oppoſitum non demonſtretur .

548. Quocumque verborum apparatu argumentum proponatur , Reſpondeo difficultatem eſſe mera verba : phyſicam ego hic ſomniorum cauſſam, atque modum exponere non aggredior : rem in Phyſica viventium expoſuimus ; atque ex ibi dictis certum eſt, ſomnia aliud non eſſe quam breviſſimas, debiles, & obſcuras feriantis Animæ excitationes : eam cum perceptione evidenti rationem, atque ſimilitudinem habent , quæ inter clariſſimam, & meridianam lucem, & malignum noctis lumen nonnullis fulgurationibus interruptum intercedit. Denſiſſimas noctis tenebras maligna interdum atque intermortua lunæ aut crepuſculorum lux debiliſſime dirimit , & erraticæ nonnunquam exhalationes nullo ordine evibratæ interrumpunt ; hujuſmodi ſane eſt mentis humanæ ſtatus , quamdiu ſomno premimur : in ea ſcilicet ſenſuum, atque intellectus requie ſeu tenebris ob erraticam, & inordinatam phantaſmatum excitationem lux quædam menti affulget , & ſcintillæ evibrant, quibus objecta aliquot nullo ordine , citra ullam applicationem per malignam lucem , & maximam oſcitantiam mens percipit . Nego igitur perceptiones in ſomniis habitas cum noſtris vigilantium cognitio-

tio-

tionibus comparari ullo modo poſſe. Latum illud inter humanam, atque angelicam cognitionem diſcrimen admitto: aliquam tamen inde inferri inter ſomniantis, atque vigilis animæ cognitiones affinitatem, aut ſimilitudinem non video. Quamdiu oppoſitum, & ea inſuper, quæ in argumento libere adducuntur, non probentur, nullam ex hoc capite mihi a pyrrhonicis Philoſophis difficultatem fieri poſſe exiſtimo.

549. At fieri poteſt, reponent, ut noſtræ omnes hominum actiones, perceptiones, vita ſint pura ſomnia: ſomniando ſæpe cogitamus, ratiocinamur, loquimur, agimus: ita forſitan natura comparati ſumus, eoſque nos finxit Deus, ut noſtra agendi ratio perfectiora, & clariora exiſtant ſomnia: perinde ut fieri poteſt, corpora omnia, & materialem mundum reapſe non exiſtere, mundanaque omnia eſſe tantum idealem rerum ſtatum, quo perinde afficiamur, de rerum veritate ſecuri, atque ſi mundus reapſe exiſteret: quis enim id Deo neget? Eo ſane ratiocinando devenit veſter *Malebranche*, & hypotheſis ſaltem loco admiſit *De Cartes*: Si ergo demonſtrari nequit, mundum, in quo vivimus, non eſſe pure idealem, & reapſe exiſtere; quonam pacto demonſtrabitur, humana omnia non eſſe etiam pura ſomnia? Reſpondeo, ſuas omnes Pyrrhonici cogitationes, ideas, ſententias pura vocent ſomnia, aut deliria, per nos licet; ceteri tamen mortales, dum cogitamus, judicamus, ratiocinamur, tria hæc intimo, atque evidenti conſcientiæ teſtimonio certi agnoſcimus, nos eſſe, cogitare, non ſomniare: latiſſimum ſcilicet illud diſcrimen, quod inter ſomnia, atque cogitationes intercedit, propria conſcientia unuſquiſque noſtrum edocemur. Quam de corporum, materialiſque mundi exiſtentia certitudinem habeamus, quouſque de iis dubitare poſſimus, paullo ſuperius expoſuimus: ex iiſque patet, quam de noſtramet exiſtentia, cogitationibus, atque cogitationum realitate, & differentia a ſomniis certitudinem habemus, altioris ordinis eſſe, & exiſtentiæ corporum demonſtrationem ſuperare: uno verbo, primum conſcientia

agnoſcimus, ſecundum longiori conſequentiarum ſerie a noſtramet, & ſupremi Numinis exiſtentia deducimus: quod quidem probandi genus multiplici de capite certitudini a conſcientia habitæ cedit, ut late explicamus cum de veritatis criterio diſputamus.

550. Oppon. 3°. Summam humanæ mentis brevitatem, tenuitatem, perfunctoriam objectorum perceptionem, & maximam rerum agnoſcendarum difficultatem. Mentis humanæ vires, atque perſpicacia ſunt tenuiſſimæ: omnes rerum eſſentiæ nos latent, circa rerum fere omnium cauſſas hæremus, omnia fere ignoramus, de innumeris vero ne ideam quidem habemus: unde eſt, quod in omnibus artibus, atque ſcientiis (ſi Matheſim, quæ idealis tantum eſt, excipiamus) omnia fere ſint æternis Doctorum diſſidiis in utramque partem agitata: ex quibus omnibus, quæ indubia ſunt, ita efformatur argumentum. Intellectus tenuiſſima intelligendi vi præditus facillime in omnibus labi poteſt, neque erit de ulla veritate ſecurus: hujuſmodi ſane eſt noſtra hominum mens: nullam igitur de rebus certitudinem habemus: ſed omnia univerſali pyrrhoniſmo involvuntur. Magis idipſum ex oppoſita infinitæ mentis perſpicacia evincitur: mens ſcilicet infinitæ perſpicaciæ, atque perfectionis ab omni erroris, atque dubii periculo eſt infinite remota: mentem igitur ab infinita illa perſpicacia, atque perfectione infinite diſtantem, ab infinita etiam errandi, atque dubitandi difficultate ac periculo infinite remotam eſſe oportet: Cum hic igitur humanæ mentis caſus ſit, atque imperfectio; de nulla etiam erit veritate certa.

551. Reſpondeo. Nullius rei eſſentiam a nobis cognoſci, conſcii fatemur; nihil tamen certi ab ea mente cognoſci poſſe, quæ rerum eſſentias non attingit, neque video, neque a pyrrhonicis probari unquam poterit. Sunt ſcilicet rerum exiſtentiæ, ſunt proprietates, ſunt & innumeræ veritates, quæ ignoratis rerum eſſentiis cognoſci, atque comprehendi certo poſſint: latiſſimum inter hæc intercedit diſcrimen quod ne ipſi quidem Pyrrhonici inficiari poterunt: noſmet exiſtere, & cogitare, dum cogita-

ta-

tamus, nullo modo dubitamus: de noſtra tamen hominum, de ſpiritus, de corporis eſſentia obſcuriſſimas tantum habere ideas. Quomodocumque Pyrrhonici ipſi de rebus dubitent aut dubitare affirment; longe clariores tamen ideas, atque veroſimiliores cogitationes de rerum exiſtentia, & proprietatibus, quam de earum eſſentiis habere non negabunt. Imperfectiſſima ſane mentis humanæ perſpicacia, atque intelligendi facultas eſt; præcipue ſi cum ſublimioribus ſpiritibus conferamur: quomodo tamen ex ea diſtantia, atque imperfectione nihil a nobis certo poſſe cognoſci, contra nos argumentetur Pyrrhonicus, ſatis non intelligo. Stant enimvero hæc duo, magna mentis imperfectio, cum certa nonnullarum veritatum cognitione. Quid tamen ſi noſtram cum divinæ mentis perſpicacia conferamus? Reſpondeo: Mentis perfectio ex duplici hoc capite augetur, atque dignoſcitur, ex claritate nimirum, atque modo objecta cognoſcendi, & ex rerum numero, quæ ab intellectu percipiuntur: Quoad utrumque caput infinita inter nos, atque Deum intercedit diſtantia: infinita ſcilicet, immo & univerſa poſſibilia cognoſcit, atque infinita claritate comprehendit Deus: pauciſſima ex adverſo a nobis, & nonniſi obſcure, aut claritate lumini illi æterno infinite concedenti percipiuntur. Ad hæc duo diſcriminis capita tertium etiam ex univerſali dubio deſumptum ſtatuere, & liberum omnino eſſet; & omni penitus rationi, ac experimentis contrarium.

552. Oppon. 4°. Si aliqua ſunt nobis indubia, aliquod etiam erit veritatis criterium, quo certa ab incertis diſtinguere poſſimus. Ita ſane eſt, reſpondeo, atque id criterium ſuperius expoſuimus. Hujuſmodi criterium, pergit, certum, atque metaphyſicum eſt conſcientia, atque evidentia rationis: admittimus: atqui earum nulla dici, aut eſſe poteſt veritatis, aut certitudinis criterium, id vero in hunc modum probatur: conſcientia, ratiocinatio, rationis evidentia, earumque certitudo, in ideas tandem, idearumque certitudinem, atque conformitatem cum earum prototypis, ſeu objectis reſolvuntur: primæ illæ ſunt, quæ mentem, ani-

mam-

mamque noſtram ſubeunt, de objectorum veritate informant, atque informando certam efficiunt; neque enim de re, cujus ideam non habeamus, ſententiam aliquam ferre poſſumus, aut illam aliquo modo cognoſcere: neque niſi per ideas in objectorum cognitionem pervenimus. Jam vero ideæ omnes per ſenſus acquiruntur, ut non modo Pyrrhonici omnes tenemus, inquiunt, verum etiam quamplurimi alii Pyrrhoniſmo maxime oppoſiti adſtruunt: omnis igitur, quam habemus, rerum certitudo, conſcientia, aut rationis evidentia, in ſenſuum tandem teſtimonium, atque actionem, tamquam in primum fundamentum atque originem refunditur: quænam a ſenſibus timendæ ſint fallaciæ, quanti ab iis errores in mentem deriventur, quotidiana omnium experientia docet, & late jam ſupra expoſuimus. Ideis igitur omnibus, conſcientiæ, rationis evidentiæ inniti, atque confidere firmius non poſſumus, quam communi earum omnium fundamento, fallacibus nempe ſenſibus, a quibus phyſicam tantummodo certitudinem haberi poſſe, ſuperius etiam ſtabilivimus.

553. Reſpondeo. Falſiſſimum eſt, quod omnis perceptionum certitudo ſenſibus innitatur, in eoſque tandem refundatur: quidquid ſenſu percipitur, ad rerum materialium exiſtentiam, & qualitates pertinet, eaque propter phyſicam tantum certitudinem habere poteſt, quæ eſt noſtrorum ſenſuum propria: conſcientia, aut rationis evidentia ſenſibus non innituntur, ſed ſunt claræ Animæ perceptiones, atque lumen, quibus vel ſuimet exiſtentiam, vel clariſſimas aliquas veritates evidenter percipit, atque ad firmiſſimum aſſenſum rapitur: idque proinde in peculiarem humanæ mentis indolem atque naturam referendum oportet, quam cum a Deo acceptam habeamus, fieri non poteſt, quin Deus ipſe nos falleret, ſi ita animam noſtram comparaverit, illudque ei lumen, atque percipiendi vim tribueret, qua & ad firmiſſimum aſſenſum neceſſario induceretur; & in errorem inſimul aut erroris periculum incideret. At hujuſmodi lumen, reponent, atque perceptiones claras vel animæ innatas

natas eſſe ſtatuimus cum antiquis Platonicis & Carteſianis, aut in Deo ab anima videri cum *Nicolao Malebranche* contendimus, aut tandem in ſenſuum miniſterium referimus: nulla alia ratio idearum originem explicandi a philoſophis fuit hactenus excogitata: priores duas irridemus, neque id a pyrrhonicis rejici vitio nobis verti poteſt, quod alii philoſophi impune, atque probabilibus rationibus efficiunt: omnia igitur a ſenſibus in mentem derivari, nihilque eſſe in mente, quod prius in ſenſu non fuerit, merito ſupponimus: quo ſemel ſtatuto, tenet ſemper argumentum: ſenſus ſunt fallaces: quidquid igitur a ſenſu habemus eſt etiam fallaciæ obnoxium, meritoque de iis dubitari poterit.

554. Reſpondeo. Quænam ſit idearum origo, a me impræſentiarum non diſputari; erit hujuſmodi controverſiæ in metaphyſica locus: undecumque tamen illæ proveniant, nihil adverſus nos probat argumentum: Quamcumque hypotheſim, ſeu ſententiam teneas, ſtant ſemper noſtræ propoſitionis fundamenta. Demus interim omnia a ſenſibus provenire, hoc eſt, per ſenſus animam excitari, ut objectorum, aut veritatum perceptionem eliciat; perperam inde inferes, omnes noſtras cogitationes eſſe dubias: Duos ſemper diſtinguimus perceptionum, idearum, atque cognitionum ordines, claras ſcilicet, & obſcuras: quidquid nos clariſſime conſcientia, aut ratione percipimus, undecumque tandem ſint prima illa perceptionum ſemina, ſeu excitamenta, id eſt omnino verum, atque certum: Contra vero de quibuſcumque objectis claram ideam, conſcientiam aut rationis evidentiam non habemus, certam habere non poſſumus cognitionem, neque iis firmiter adhærere: De revelatis a Deo hoc loco non loquimur. Non omnia igitur, ad quæ ſenſibus excitamur, ſunt incerta, aut falſitati obnoxia: noſmetipſos ſentimus, atque ab intimo hujuſmodi ſenſu ad noſtrimet conſcientiam excitamur: qualemcumque ſtatuas hujus conſcientiæ, ſeu perceptionis originem, fieri nunquam poterit, ut ejuſmodi conſcientiæ dictamen fallat aut in dubium a

te revocari poſſit. Latum etiam diſcrimen eſt inter puram ſenſationem, ac perceptionem illam mentis, quæ ſenſatione poſita in anima excitatur, & irradiat: primum illud eſt, quod ſenſuum fallaciis ſubeſt; poſterius vero ſi in errorem nos induceret, tum vero ipſiuſmet mentis indole, atque natura, in errores neceſſario induceremur, quod ne ipſi quidem Pyrrhonici affirmare audebunt.

555. Attamen, repones, ideo nos exiſtere conſcientiam habemus, quia id etiam ſenſu percipimus. Si ergo fieri poſſit, ut hic etiam noſtrimet ſenſus aliqua ratione fallantur, conſcientia etiam fallat opus eſt. Reſpondeo. Alius longe eſt intimus ille conſcientiæ ſenſus, quo noſtrammet exiſtentiam, & cogitationem percipimus, dum cogitamus; aliud ſenſatio illa, qua objecta externa percipimus: duo hi ſunt ſentiendi, ac percipiendi modi toto cælo diverſi, undecumque tandem eam diverſitatem derives. A temetipſo tacitus quære, eodemne modo, ac certitudine de tua, ac de externi alterius corporis exiſtentia ſis certus? Ad tuum ego, atque totius humani generis ſenſum appello. Attamen, reponis, conſcientia provenit ex ſenſibus; ſi nullus eſſet ſenſus, nulla eſſet conſcientia: anima omnibus ſenſibus deſtituta ſe ipſam non perciperet, conſcientiam ſui non haberet: ergo in ſenſum tandem iterum recidimus, tamquam in primum noſtrarum omnium cognitionum fundamentum: nulla ergo certitudo major eſt, quam illa ſenſuum exiſtat: omnia ergo ſunt fallacia, & dubia. Dum hæc ita propono, nullus, credo, pyrrhonicus dicere audebit, aliquid a me de eorum dubitandi rationibus detractum.

556. Antequam reſpondeam, noto, propoſito argumento eos tantum urgeri, qui omnes noſtras ideas a ſenſibus, & per ſenſus acquiri ſtatuunt. Reſpondeo. Unde hæc probas? nego enim hæc omnia, & quamdiu a te non probentur, verba tantummodo proferuntur. Maximam ergo idearum partem a ſenſibus derivo; aliquas tamen eſſe innatas, aliquas conſcientia acquiri in metaphyſica adſtruam: ruit ergo tota difficultas. Sed ut aliorum

etiam philoſophorum partes agam, reſpondeo ulterius: ſenſuum fallacia circa peculiaria omnia corpora, eorum modos, & qualitates verſatur: hoc, vel illud corpus hac, vel illa qualitate præditum videre ſæpe nobis videmur, tangere, audire exiſtimamus; dum interim nil tale in rebus accidit, fallimur, corpus, qualitas, aut modus corporis non exiſtit: hucuſque ſenſuum fallacia pervenit: Circa ſenſationis tamen ipſius ſenſum, & cauſſam aliquam generalem, qualiſcumque illa ſit, non decipitur ſenſus: eſt dicere: cum me ſentire ſentio, & aliquid inde eſſe affirmo, quod meæ illius ſenſationis cauſſa exiſtat; tum vero, inquam, neque fallit, neque fallere poteſt ſenſus. Enimvero cum unuſquiſque noſtrum ſeſe aliquid ſentire exiſtimat, reapſe ſentit: falli ſolum poteſt dum ſenſionis ſuæ cauſſam, modum, ſtatum, qualitates, vires determinat: quamdiu generali ſenſionis, & cauſſæ exiſtentia inſiſtit; eſt ab omni prorſus errore immunis. Parem hæc omnia certitudinem habent, me cogitare, dum cogito, ſentire, dum ſentio, aliquam, dum ſentio, aut ſentire exiſtimo, ſenſationis, aut exiſtimationis meæ cauſſam exiſtere. Eſto igitur, demus parumper, omnia tandem in ſenſum refundi: erit tamen in rebus, & mente noſtra certitudo. Impoſſibile ſcilicet eſt, ſenſum ſemper falli: quandocumque afficitur, atque inde objectum aliquod exiſtere deducimus, a quo ſenſus organum afficiatur, nihil eſt, unde error, aut erroris periculum timeatur: quamdiu in generali hujuſmodi judicio ſiſtimus, fallere non poteſt ſenſus: cum vero a ſenſatione peculiares objectorum circumſtantias, naturam, proprietates deducimus: tum vero, niſi prudenter ſingulorum ſenſuum indolem, actiones, & objectum, atque ſenſationis naturam perpendamus, decipi facile poſſumus. Porro ad primam illam ſenſationum ſpeciem, quæ certitudinem ſecum afferunt, noſtræmet exiſtentiæ ſenſus ſpectat; cum enim aliquid ſentio, non modo objectum eſſe aliquod a me diſtinctum, quod in ſenſus organum agat, verum & ſentientem me ipſum percipio.

556.

556. Oppon. 5°. ut evidentia rationis poſſet Mens eſſe de evidenti veritate certa, aliqua tandem eſſe, atque aſſignari debet evidentiæ menſura, & gradus, qui veritatis, atque certitudinis teſſera & criterium eſſe poſſit: evidentiæ ſcilicet, & rationis plures, atque diverſiſſimi inter ſe gradus exiſtunt: alia humanæ, alia angelicæ mentis evidentia eſt, ut nihil de infinita Numinis perſpicacia dicam: non eadem etiam idearum, ac perceptionum claritate veritates omnes alioquin evidentes cognoſcimus; clarius enimvero axiomata, propriam exiſtentiam, atque alia ſimilia, quam theoremata longis demonſtrationibus demonſtrata videmus: quinam igitur harum evidentiarum gradus certa veritatis teſſera erit? Deinde plurima a philoſophis tamquam evidentia affirmantur, quæ ab aliis aperte negantur, aut in medio relinquuntur, & falſa eſſe multoties deprehenditur: plurima hujuſmodi videas apud ſyſtematum fabricatores, aut ſectatores, quæ ab oppoſitorum ſyſtematum patronis tamquam ſophiſmata exploduntur. Principium rationis ſufficientis Leibnitianis Philoſophis evidens, ab aliis omnino negatur, quæ Nevvtonianis manifeſta apparent, a Carteſianis rejicitur, & viciſſim. Singuli interim ad rationis evidentiam provocant: plurimas igitur eſſe evidentias tantummodo apparentes, nullus inficiabitur. Dum igitur rationis evidentiam, ut certitudinis teſſeram producis, quem tandem evidentiæ gradum ad hujuſmodi munus requiris? qua tandem regula veram illam eſſe, & non apparentem ſolum evidentiam dignoſcemus? quæ forſitan hic apud nos pro evidentibus, atque certiſſimis jactantur, inter Mahometanos, aut a Sinenſibus Mandarinis non probantur: plurimum in hæc omnia faciunt, in diverſas hominum opiniones, atque ſenſus influunt varia hominum, & nationum ſtudia, affectus, religio, educatio, mores, conſuetudo, atque alia hujuſmodi, quibus fit, ut eadem omnino objecta ſub multiplici aſpectu videantur, & diverſis ſpectatoribus appareant.

557. Iis omnibus evidentiæ gradibus admiſſis, quæ

quæ in argumento adducuntur, reſp. Ad certitudinem veram in mente pariendam illa rationis evidentia requiritur, & ſufficit, quæ a quibuſcumque hominibus ratione præditis aſſenſum omnino extorquet. Argumento faciemus ſatis, ſi tria hic, aut ab ipſis etiam adverſariis admittantur, aut a nobis adſtruantur; 1°. In rebus eſſe, quem modo indicavimus, evidentiæ gradum, eumque ab omni alio dignoſci facile poſſe. 2°. Sublimiorem, atque clariorem, ſeu, ut ita dicam, intenſiorem evidentiam, quæ Angelorum eſt, ad id, de quo agimus, munus omnino ſuperfluere, neque proinde requiri. 3°. Inferioris evidentiæ gradus eſſe, neque eos ad veram certitudinem ab apparentibus, falſis, aut dubiis diſcernendam ſatis eſſe. Quod ſecundo loco poſuimus, ne a Pyrrhonicis quidem negatur, niſi materialiſtæ inſimul exiſtant, & ſpiritus omnes a rebus tollant; quibuſcum alio in loco agemus: iis enim admiſſis, cum altioris ordinis, ac homines, ſint, ab omni materia, ſeu corpore immunes; longe etiam clarius, atque evidentius notarum a ſe rerum veritatem, & certitudinem videre, revocari in dubium non poteſt: hujuſmodi igitur altioris ordinis evidentiam, quæ in ſpiritibus tantum exiſtit, illam non eſſe, qua de rerum veritate certi efficimur, facile per Pyrrhonicos ipſos dabitur. Primum vero demonſtrant uniuſcujuſque noſtrum exiſtentiæ conſcientia, omnium ſcientiarum axiomata, propoſitiones geometricæ quamplurimæ, & alia hujuſmodi: ea enim ſunt, quæ a nullo mentis compote, & ingenii acie non deſtituto in dubium vocantur: nullaque ſyſtematum, morum, affectuum, ſtudiorum diverſitate fit, aut factum aliquando legimus, ut circa hujuſmodi veritatum fidem, circa propriam hominis cogitantis exiſtentiam alii in alios ſenſus abeant: neque Sinnicus Mandarinus, neque Mahometanus Baixa, neque occidentalis Europeus, niger Africanus, agreſtis incola Americanus ſeſe cogitantes exiſtere umquam dubitarunt. In tanta locorum, temporum, climatum, morum, legum, conſuetudinis, religionum, ſtudiorum varietate mens omnibus eadem eſt, atque communis ſenſus. Porro

ro

ro ex hoc etiam univerſali hominum ſenſu, conſcientiæ dictamine, aut naturalis rationis lumine facile dignoſcimus, quæ veritates vera, atque naturali evidentia conſtent, quæ apud aliquos tantum peculiari aliqua cauſſa pro certiſſimis vindicentur. Atque hinc facile etiam demonſtratur tertium: plurima ſunt dogmata, quibus credendis non ſola ratione, ſed mille aliis animi affectibus, paſſionibus, ſtudiis ducimur: hujuſmodi fere ſunt, quæ peculiaria doctrinæ ſyſtemata, mores, patriam, & ſimilia alia ſpectant: quæ animo & partium ſtudio, evidentiam ſupplentibus, ab iis, quorum intereſt, certiſſima habentur, dum ab aliis aut rejiciuntur, aut incerta eſſe pronuntiantur. Apparentem hanc evidentiam a vera ex ipſiuſmet rei natura dignoſcimus: ea ſcilicet eſt vera certitudinis indoles, ut ejuſdem propoſitio, atque perceptio aſſenſum omnino extorqueat, quibuſcumque tandem principiis, præjudiciis, aut oppoſitis ſenſibus imbutam habeas mentem, atque animum: quod ſi rei propoſitio aſſenſum ab audiente quocumque non extorqueat, utcumque ab aliquibus prædicetur certa; eam eſſe apparenti ſolummodo evidentia certam dicemus.

558. Oppon. 6°. Si res ita eſt, ut modo diximus, neque ſenſus, neque conſcientia, neque rationis evidentia ad certitudinem menti ingerendam ſufficiunt; nulla enim earum rerum, aut regularum certitudinis eſt, cui aliqui ex primo etiam litteratorum hominum ordine non contradicant, nominatim vero, ut alios omnes taceam, *Petrus Daniel Huetius* certitudinem aliqua ex iis rationibus gigni poſſe inficiatur, eamque ſolummodo ex revelatione divina haberi admittit. Reſp. Quod unus, vel alter clari ingenii, atque profundæ eruditionis ſcriptor ſententiam aliquam per ſe abſurdam contra clariſſimum totius humani generis ſenſum, & rationis naturalis dictamen teneant, & tamquam veriſimile paradoxon exiſtiment, id rei veritati, aut communi ſenſui non obeſt. Ingenii aliquando oſtentandi, atque nominis gloriæ comparandæ cauſſa hujuſmodi paradoxa ſuſtinentur: multoties etiam fit, ut circa peculiare aliquod

quod argumentum ſana alioquin litterati, atque prudentis hominis mens deliret, ut quotidiana nos experientia docet: & qui in aliis perſcrutandis, diſcernendis, & amplectendis ſani, prudentes, & acuti eſſe ſolent, cæcutiunt aliquando, imprudenti, præcipitique judicio de re aliqua ſententiam ferunt, quam poſtea honoris cauſſa ſuſtinent. Iis præterea accedunt peculiaria hominis præjudicia: quis enim hominum eſt ab hujuſmodi malo omnino immunis? Illud enim Poetæ, *Quiſque ſuos patimur manes*, hunc etiam humanæ mentis defectum complectitur, quandoquidem *vitiis nemo ſine naſcitur, optimus ille eſt, qui minimis urgetur*. Porro id in præclaro homine animadvertebatur, ad paradoxa non raro deduci, gloriam, nominiſque commendationem amare, & in proprias aliquando laudes deſcendere, quod ſi huic hominis charačteri, illud etiam litteratis ut plurimum viris ſollemne addas, quod peculiare quoddam ſibi dogma ſtatuant, in quo probando toti fere ſint, & maxime delectentur: facile apparebit, parum negotii nobis faceſſere adductum *Huetii* pyrrhoniſmum, & opinamentum.

Hæc tamen dicta intellige, ſi citatus de humanæ mentis imbecillitate libellus auctorem habeat Dominum *Huetium*: etſi enim id ſit communiter receptum, non unus tamen eſt, qui illum *Huetio* abjudicat (*a*): in libro enim poſt Auctoris mortem tantum ab anonimo typographo edito nonnulla contineri videntur probatis ejusdem auctoris ſententiis oppoſita.

559. Hactenus pyrrhoniſmum conſcientiæ, rationis, ſenſuum confutavimus, & a ſingulis hiſce fontibus rerum, atque idearum veritatem, & certitudinem haberi poſſe, quod philoſophorum muneris eſt, confecimus. Supereſſet modo aliam pyrrhoniſmi partem rejicere, quæ *fidei pyrrhoniſmus* nuncupari poteſt, propterea quod in dubium etiam revocet, quæcumque humana, aut divina auctoritate credimus, nullamque etiam ex hoc capite cer-

(*a*) (*Muratori il Pirroniſmo confutato.*)

certitudinem aliquam haberi poſſe contendit; hæc tamen hoc loco proſequi plurimis de cauſſis prætermittimus: 1°. ſcilicet Rationis, conſcientiæ, ſenſuum certitudo, aut pyrrhoniſmus totius rei, atque præſentis controverſiæ cardo exiſtit: qui certitudinem ab hiſce capitibus haberi demonſtrat, rem confecit, pyrrhonicos philoſophos ſatis profligavit, qui in certitudine ab hiſce naturalibus fontibus neganda toti ſunt. 2°. Qui in prædictis veritatis criteriis certitudinem ſemel admiſerit, pyrrhoniſmo vale dixit; nihil ulterius negotii cum illo nobis erit. 3°. Etenim revelationem, divinam fidem, ſcripturam ſacram, traditionem in dubium vocare, aut contra illa omnia demonſtrare, non jam philoſophici, ſed Theologici juris eſt; logicæ proinde fines tranſcurreremus, ſi hæc etiam impræſentiarum proſequeremur. Enim vero ſi religionem revelatam contra puræ religionis naturalis fautores, aut fidem Romanam adverſus heterodoxos demonſtrare nobis aſſumeremus; tum vero primis quidem Revelationem, & ſacram ſcripturam, ſecundis vero traditionis certitudinem, & alia iis argumentis ſimilia demonſtraremus: neutros tamen pyrrhoniſmi inſimulare poſſemus. Raros ſcilicet inter Diiſtas, Atheiſtas, & ceteros ab catholica Religione diſſidentes offendas pyrrhonicos: licet igitur Revelationem, ſcripturam ſacram, traditionem inficientur; naturalis tamen rationis, conſcientiæ, & ſenſuum certitudinem, atque criterium tenent; neque philoſophiæ ſed Theologiæ litem intendunt. 4°. Inſimul tamen verum eſt, quod a naturali illo rationis criterio, fidei etiam criterium adverſus hujuſmodi ſectarios deducatur. 5°. Sed Revelationem, Fidemque divinam, ſcripturam, atque traditionem, hoc eſt, fidei criterium ex naturali criterio demonſtrare, præterquam quod philoſophici muneris non eſt, fuſiſſimum opus requireret, niſi rem perfunctorie potius delibare, quam pro dignitate tractare vellemus. 6°. Unum tamen eſt, quod præter plura alia animadverti oportet, & ſatis in Domino *Huetio* mirari non poteſt: ſtare ſcilicet non poſſe Fidei, ſeu Revelationis certitudinem, ſi ratio-

tionis naturalis revelationem certam eſſe inficiemur; neque enim revelationem, fidemque ſupernaturalem niſi per rationem ipſam aut intelligere, aut demonſtrare poſſumus: Si igitur nullam in ratione certitudinem eſſe contendamus, unde tandem religionem probabimus?

560. Auctoritate etiam in nos agit *Huetius*, ita ex ſacra ſcriptura argumentum deſſumens. Hæc ſcilicet in ſcriptura: (*a*) *Et intellexi, quod omnium operum Dei poſſit homo invenire rationem eorum, quæ fiunt ſub ſole: & quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minus inveniat: etiamſi dixerit ſapiens, ſe noſſe, non poterit reperire.* (*b*) *Cogitationes enim mortalium timidæ & incertæ providentiæ noſtræ.* (*c*) *Et mundum tradidit Deus diſputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus eſt Deus ab initio uſque ad finem.* Reſpond. Perperam hæc nobis ad Pyrrhoniſmum probandum objiciuntur. Primo enim, quæſtiones Philoſophicas ex ſacræ paginæ teſtimoniis decidere, maximæ imprudentiæ eſt: Religio etenim, atque mores a ſcriptura edocemur: Philoſophia humanæ rationis, ſenſuum, & experientiæ opus eſſe debet, ut toties in Phyſica adnotavi: quod ſi tamen, quem modo agitamus pyrrhoniſmum, propterea quod non modo rationi, verum etiam religioni opponitur, ex ſacra ſcriptura decidere velimus; is potius hujuſmodi teſtimoniis ad evidentiam confutabitur, quam probabili ratione ſuadeatur. Primo enim ex Apoſtolo habemus (*d*) *Inviſibilia enim ipſius per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas, ita ut ſint inexcuſabiles.* Et idcirco inexcuſabiles eſſe homines, ſi Deum, quem ex rebus mundi viſibilibus cognoſcunt, tamquam Deum non laudant, atque adorant. Ex Eccleſiaſtico etiam habemus, quod Deus *creavit homini-*

(*a*) Eccleſiaſtes cap. 8. v. 7.
(*b*) Sapientiæ cap. 9. v. 15.
(*c*) Eccl. cap. 3. v. 10.
(*d*) Romanos 1. 20.

minibus ſcientiam ſpiritus, ſenſu implevit cor illorum, & mala, & bona oſtendit eis (*a*). Adductis igitur in argumento teſtimoniis illa ſolummodo philoſophorum, atque humanæ mentis vanitas, & inanis jactatio oſtenditur, atque perſtringitur, qui cum omnium rerum eſſentias, ſeu naturas ignorenr, & in rerum cortice hæreant, nihilominus cauſſarum, effectuumque omnium naturam, vires, energiam, terrenarum cæleſtiumque rerum, atque totius univerſi conſtructionem, ordinem, ſymetriam a ſeſe comprehendi, atque explicari poſſe gloriantur. Infinito, ſcilicet fere intervallo breviſſima humanæ mentis comprehenſio, vis, atque perſpicacia a mirabili hoc ſupremi Numinis opere intelligendo diſtat, quantumvis tantarum rerum intelligentiæ impares omnino exiſtamus, quamplurimas alias veritates, quibus noſtra par eſt intelligentia, certo agnoſcimus, atque comprehendimus.

561. Oppon. 7°. Cum nos ope ſenſuum potiſſimum rerum ideas comparemus, aut excitemus, toti ſunt Pyrrhonici in ſenſuum infidelitate probanda; idearum enim fontis, atque canalium impuritate, atque infidelitate ſemel probatis, quæ ab iis derivantur, atque per eos tranſmittuntur, ideas eodem maculari vitio, opus eſſe videtur. Ita igitur argumentantur, & expoſitam jam difficultatem inſtaurant: objectorum externorum imagines, ſpecies, aut umbræ ab iis ad nos tranſmiſſæ, iisdem objectis ſimiles non ſunt: ea igitur non repræſentant, neque referunt. 2°. Etſi etiam hujuſmodi imagines objectis ponerentur ſimiles; fieri tamen non poteſt, quin ab interpoſito medio, per quod ab objectis ad ſenſuum organa tranſmittuntur, non afficiantur, atque alterentur, & nativam illam ſimilitudinem non amittant. 3°. Ipſamet ſenſuum, nervorum, atque animalium ſpirituum fidelitas dubia pariter eſt, & gratis ſupponeretur. 4°. Denique infidelis pariter eſt humanus ipſe intellectus, ejuſ-

(*a*) Eccleſiaſtici 19. 6.

ejuſque natura nobis profus ignota. Hiſce autem ſtantibus, inquit *Huetius*, qui fieri poterit, ut rerum veritatem aſſecutos eſſe, certi exiſtamus?

Reſp. Omnia hæc parum difficultatis habent: ab ultimo incipiamus: quod noſtræmet mentis, ſeu animæ, hoc eſt, noſtrimet naturam non agnoſcamus, aut perfectam habeamus ſcientiam, nihil ad rem facit: ſeipſum oculus non repræſentat, aut videt, maxime tamen externa objecta: peſſimeque audiret, qui ita argumentaretur: ſe ipſum oculus non repræſentat, ergo neque externa objecta: idem in luce coloribus, milleque id genus aliis, videre eſt. Quod de humani intellectus infidelitate additur, precario dicitur: unde enim, niſi principium petas, mentem noſtram in rerum repræſentatione infidelem eſſe probabis? quia, inquis, multoties fallimur: quid autem eſt circa objecta falli, niſi eorum veritatem infideliter repræſentari? Reſp. Perſæpe nos falli, & veritatis apparentiam pro veritate ipſa aſſumere atque probare; id tamen non intellectus, ſed voluntatis munus, atque peccatum eſt, quod ſcilicet objectis obſcurius, quam par eſſet, in mente repræſentatis aſſenſum præbeat, ea teneat, & amplectetur. Si igitur eum tantummodo aſſenſum, aſſenſuſque gradus rebus in mente repræſentatis præberemus, quem repræſentationis lumen, aut veriſimilitudines requirerent; tum vero neque mentis, quam habere non poſſet, neque voluntatis, quam non haberet, infidelitatem, ſeu potius imprudentiam incuſaremus.

562. Quod primo loco de objectorum imaginibus, ſpeciebus, aut umbellis dicitur, peripateticos tantum harumce regularum patronos premere poteſt; iis nos non immoramur, neque hujuſmodi ſpecies agnoſcimus; mens noſtra ſeu Anima ex propriamet indole, vi, & energia ad quaſdam externorum objectorum in ſenſuum organis modificationes eorumdem objectorum ideas cognitionem, ſeu repræſentationem elicit, quibus ipſa ſibi externa objecta repræſentat. Pendent hæc ab iis, quæ in Metaphyſica, & Phyſica viventium dicimus: modus quidem, quo rerum ideas anima no-

noſtra comparat aut elicit, in objectorum repræſentationem pervenit, atque determinatur, obſcuriſſimus nobis eſt. Nihil tamen inde negotii, plurima enim quorum modum, conſtructionem, mechaniſmum, aut naturam ignoramus, certo in rebus exiſtere ſcimus; niſi velis hominem ruſticum de horologio, quod videt, audit, tangit, dubitare, propterea quod de interiori illius mechaniſmo, atque conſtructione ignarus penitus exiſtit. Ex his vero patet, quid ad ſecundum difficultatis caput reſpondere oporteat, in quo nihil novi continetur. Qui ſpecies non agnoſcimus, in earum per medium tranſmiſſione non immoramur. Ad tertium. Nomine ſenſuum, ſi ſtricte loquamur, aliud non intelligimus, quam animæ noſtræ perceptiones ope affectionum ab externis objectis in corporis noſtri organa impreſſarum elicitas, qua poſita notione aliud non eſt ſenſum, quam animam infidelem eſſe dicere; qua in re duo diſtinguenda ſunt, apperceptio, & apperceptionis judicium, hoc eſt, ab anima, cum ſentit, ſenſum percipi, ſeu animadverti, quod *apperceptionem* nuncupamus, deinde quod idemmet, quod ſentit, in objecta externa referat, & talia nonnunquam objecta extra animam eſſe judicet, qualia ab ipſa utcumque percipiuntur. Circa primum infidelis nunquam eſſe, aut falli poteſt anima, ut ſuperius demonſtravimus: quod ſi circa ſecundum non raro fallimur; id præjudiciorum, præcipitantiæ, hoc eſt, voluntatis vitium eſt, neque ſenſus, hoc eſt, mentis infidelitatem probat. Quod de nervorum, aut ſpirituum animalium infidelitate additur, ejusdem farinæ eſt: hæc una eſt nervorum, ac ſpirituum animalium, (ſi exiſtant) quod rem præſentem attinet, provincia, ut objectorum actionem recipiant, receptam vero ob partium continuitatem ad cerebrum uſque tranſmittant: in quo duo pariter diſtinguenda ſunt, tranſmiſſio & tranſmiſſionis modus, atque varietas: in primo infidelitas nulla eſſe poteſt: ſi quod enim tranſmittitur, id acceptum prius eſſe, neceſſarium prorſus exiſtit: atque hoc modo in rerum exiſtentiæ cognitionem ope ſenſuum certo pervenimus: accepta

ta-

tamen ab externis objectis in extimis ſenſuum nervorumque partibus actio, ſeu modificatio, poteſt multiplici de cauſſa in tranſmiſſione ipſa alterari, & alterata ad cerebrum pervenire; quod cum acciderit, objectum diverſo modo, atque ſi hujuſmodi tranſmiſſæ impreſſionis alteratio non fieret, repræſentabitur: id vero ad modum exiſtentiæ rei ſpectat: voluntatis autem munus eſſe debet, mentis ſententiam atque judicium eatenus cohibere, donec re melius examinata, prædicta omnia ſenſuum organa recte muneri ſuo inſervire conſtet.

563. Quamplurima alia argumenta, ſeu potius fallacias, & quiſquilias pro Pyrrhoniſmo probando, omnique certitudine, atque veritatis criterio rejiciendo ex *Sexto Empyrico*, *Petro Bayle*, Domino *Huetio* in medium afferre poſſem; ſed præterquam quod in infinitum res iret, quæ hucuſque propoſuimus præcipua illa ſunt, in quibus aliqua difficultatis apparentia ſit: reliqua quæ infinita fere ſunt, digna non exiſtimo, quæ ſerio proponantur, aut ſolvantur, niſi ex peculiari aliquo, atque difficili Phyſicæ, & reliquarum diſciplinarum capite petantur, quæ ad propria ſpectant loca: uno verbo, ſi ſuperius dicta recte calles, & quæ de criterio veritatis jam diſſeruimus, mente, & memoria tenes; quidquid præterea a prædictis auctoribus in nos opponitur, & a *Crouzas* fuſiſſime integro vaſtiſſimæ molis volumine tractatur, nullo negotio ſolves, quin ad ampliſſimum illud opus legendum damneris.

§. X.

Senſuum Criterium, ſeu regulæ Criticæ ſenſuum.

564. De evidentia ſenſibili, atque demonſtrationibus a ſenſu, & obſervatione deductis jam ſuperius diſſeruimus: quoniam tamen ſenſus, uberrimi alioqui humanarum idearum fontes, in plures errores mentem inducere poſſunt, niſi quænam ſit eorum provincia, qui uſus, certitudo, & fines,

perſpectum habeamus; quæ circa rectum ſenſuum uſum tenendæ ſunt regulæ, præſcribere oportet. Equidem quidquid homines circa res ſenſibiles agnoſcimus, omnes artes, ſcientias, cognitiones, quarum objectum eſt corpus, aut corporis affectiones, & quidquid eſt in rebus ſenſibile, & materiale per ſolos ſenſus haurimus; eorumque teſtimonio, fidei, obſervationibus innituntur quæcumque de rebus hujuſmodi aut certa, aut probabilia tenemus; quænam tamen errorum ſeges, fallaciæ, parallogiſmi, falſæque demonſtrationes ex præpoſtero ſenſuum uſu derivantur, & quæ ab humana ratione deinceps adoptantur? Veritatem triplici modo habemus, *ratione*, *ſenſu*, *auctoritate*, triplexque eſt omnium veritatum criterium, *evidentia rationis*, *evidentia ſenſuum*, *evidentia moralis*. Satis in ſuperioribus ſingula hæc criteria, & humanarum veritatum fontes expoſuimus, quantum ſcilicet ad eorum naturam, comparationis modum, atque certitudinem ſpectat. Regulas inſuper tradidimus, ſecundum quas relatæ evidentiæ inter ſe comparari, aliaque aliis præferri debeat: ſatis etiam, quæ explicatu opus erant, diſputavimus, ut veram a falſa ratione, veram ab apparenti evidentia diſtingueremus. Duo igitur, quæ ſuperſunt, ſenſum, & auctoritatem, propriaſque utriuſque regulas ſecundum Criticæ leges proſequamur.

565. Prius tamen animadvertendum eſt, quod jam alibi probavimus, ſenſuum nomine nihil aliud a nobis intelligi, quam animam ipſam externa objecta mediis eorum actionibus per quædam humani corporis organa percipientem, ſeu animæ noſtræ perceptionem in anima ipſa habitam occaſione actionum ab externis corporibus provenientium, & per corporis humani organa ad cerebrum, ſeu animam ipſam tranſmiſſarum. Anima enim humana, ſpiritualis, indiviſibilis illud unum eſt omnium noſtrarum perceptionum principium, quo percipimus, intelligimus, imaginamur, ſentimus, vivimus. Ridiculumque eſſet potentias, neſcio quas, inter ſe & ab ipſamet anima diſtinctas agnoſcere, quarum be-

beneficio objecta externa imaginatione, viſione, aut alia perceptione agnoſceremus.

Regula I.

566. *Animæ per ſenſus externos (de interno enim animi ſenſu, & conſcientia impræſentiarum non loquimur) neque ſeipſam, neque res quaſcumque alias ſpirituales, aut abſtractas, per veram materialem actionem in corpus non agentes, percipit.*

Hujuſmodi enim objecta, ſpiritus, veritates abſtractæ, v. g. theoremata puræ matheſeos, metaphyſica, & alia ejuſdem naturæ ſolo intellectu, ſeu pura ratione ab anima percipiuntur: illa igitur objecta ſub experientiam non cadunt, neque obſervationibus, hoc eſt, ſenſuum teſtimonio conſtare poſſunt. Cum dico omnes veritates abſtractas non ſenſu, ſed pura ratione percipi, non perinde accipias velim, quaſi dicerem, puræ rationis cognitiones haberi in anima poſſe, quin cognitio per ſenſus habita præcedat; quod quidem eſſet, implicatiſſimam quæſtionem de idearum origine reſolvere, & innatas eſſe ſtatuere. Undecumque in animam noſtram proveniant ideæ, vera ſemper erit tradita a nobis regula.

Regula II.

567. *Senſus objecta ſolum materialia, & externa percipit.*

Duo affirmamus, res ſcilicet tantum corporeas, & externas ſenſu percipi: primum ex priori regula deducitur, & ex ipſiuſmet cognitionis ſenſibilis modo, geneſi, & analyſi conſtat. Neque enim ſentimus, niſi illa, quæ in corpus noſtrum agunt, illudque ita afficiunt, ut modificatio vel in ultimis, extimiſque corporis partibus recepta ad cerebrum uſque, & animam ope continuitatis nervorum tranſmitti poſſit, nihil autem niſi corporeum, & materiale in corpus agere hoc modo poteſt. Rem fuſe explicavimus in Phyſica Viventium, ubi totum ſen-

ſenſationum, ſenſuumque mechaniſmum expoſuimus. Ad una vero objecta externa ſenſus noſtros extendi, eademmet ratione confirmatur. Tum enim aliquid ſenſus percipit, cum aliqua in corpus noſtrum actio, & mutatio in illo fit: jam vero neque in corpus noſtrum agi, neneque ulla in illud mutatio induci poteſt, niſi a Corpore externo: cum corpus nullum a ſe ipſo mutetur, ſe ipſum impellat, aut in ſe ipſum incurat. Senſu quidem corpus etiam noſtrum ſentimus, ut viſu, tactu &c. Sed præterquam quod corpuſmet noſtrum eſt ſentienti animæ externum, id unum efficitur, quod corporis partes aliæ in alias agant, aliæ alias afficiant, impellant, modificent, quod prædictæ regulæ non opponitur, immo illi omnino conformatur; Cum organo cuicumque actionem ad animam tranſmittenti externa ſemper ſint, ut eſſe debent, alia quæcumque vel ejuſdem corporis membra, quæ per datum organum animæ ſentit. Sæpiſſime etiam affectionem, v. g. dolorem organo olim quidem inflictum ſentimus, cum nullum jam externum corpus organum ipſum afficiat: ſemper tamen verum eſt affectionem organo impreſſam, & inibi permanentem ab externo corpore fuiſſe inflictam.

In corporibus multa diſtinguuntur, præcipue vero eſſentia, exiſtentia, qualitates abſolutæ, aut relativæ: omniane hæc ſenſu attingimus?

Regula III.

568. *Rerum quarumcumque naturalium eſſentias ſenſu non attingimus.*

In hujuſmodi regula confirmanda nihil immorandum arbitror, cum in confeſſo ſit apud omnes, omniumque experientia, intimoque conſcientiæ teſtimonio pateat, omnem humanam cognitionem, atque ſcientiam non modo per ſenſus, ſed per puram rationem acquiſitam in rerum cortice hærere, earumque medullam, naturam, ſeu eſſentiam non attingere, humanamque mentem miſera ſuæmet naturæ ignorantia laborare. Ita cum de Spiritu,

aut

aut Corpore cogitamus, claras quidem earum rerum ideas in mente noſtra animadvertimus; quas tamen ab illarum eſſentia longiſſimo intervallo diſtare facile competimus. Cum rerum naturas dico, non illud tantummodo ſimplicium, atque elementarium particularum *eſſe*, & energiam intelligo; verum etiam primitivarum, immo & ſecundi, tertii, pluriumque aliorum ordinum particularum figuras, magnitudinem, mechaniſmum: uno verbo, intimum quorumcumque corporum mechaniſmum ſenſu non percipimus. Certam a Deo corporum, membrorum, & organorum magnitudinem adepti, quæ ſenſibilem cum noſtra hominum magnitudine proportionem habent, & ſub ſenſus noſtros cadunt utcumque percipimus: ab eo tamen magnitudinis termino infinitæ pene ſunt animalculorum, vegetantium, corpuſculorum ſeries, mole ſemper decreſcentes, quæ omnem noſtrum ſenſuum habitudinem fugiunt, noſque æternum latent; minimam inviſibilis ejuſmodi mundi partem mycroſcopio detegimus; quænam enim animalculorum, & punctorum fere viventium ſpecies, mole ſemper minores, & minores hujuſmodi inſtrumento non obſervamus, in quorum corporibus, & membris, & magnitudine contemplandis omnis humana imaginatio deperditur?

564. Porro a minutiſſimarum, & inſenſibilium corporis particularum magnitudine, figura, motu phyſica omnia corporum phænomena, vires, effectus naſcuntur, ut per totam phyſicam demonſtravimus; quam late igitur hinc diffunditur humanæ mentis de phyſicarum rerum natura, viribus, proprietatibus ignorantia; cum eos fontes, & primitiva elementa, & quibus illa omnia derivantur, penitus ignoremus? Quot inſolita, atque ignota rerum phænomena multoties e naturæ ſinu prodire adſpicimus, quæ niſi videremus, aut a ſpectatæ fidei hominibus, aut ſcriptoribus traderentur, aut inter fabulas referrentur, aut miraculorum numero ponerentur? Inter innumera mendacia, quibus maxima viatorum pars patriæ redita auditorum aures demulcet, & coronam ad ſe ampliſſimam adducunt,

vix

plurima etiam interſeruntur plane mirabilia, & vix poſſibilia, de quibus ne ullam quidem ideam antea habuimus, neque dubium aliquod movere ſine graviſſimorum ſcriptorum, atque humanæ fidei offenſione non poſſumus. Hinc ſatis liquet, quanam prudentia, atque ſagacitate opus ſit, non modo ut ab infinitis mendaciis, quibus hiſtoricorum, & viatorum libri ſcatent, nobis caveamus, verum etiam ne, ob id unum, quod rem non comprehendimus, miramque exiſtimamus, vel falſi omnino condemnemus, vel inter miracula recenſeamus. Mirari ſatis non poteſt ſtupidam hominum, & piam, ut dicitur, atque devotam ignorantiam, qui philoſophica mente Chriſtianas provincias, & nationes perluſtrans appenſa ubique vota, tanquam patratorum miraculorum teſtimonia intuetur, innumeraque a populo prædicari miracula audit, quæ vel fabuloſa ſunt, vel naturalium vitium, atque cauſſarum effectus exiſtunt.

Regula IV.

570. *Proprium ſenſuum objectum eſt exiſtentia rerum materialium, ſeu corporum exiſtentia illud eſt, cujus judices apud nos ſunt ſenſus, & cujus cognitionem, atque teſtimonium per ſenſus acquirimus.*

Hæc ſcilicet eſt propria ſenſuum, ſeu animæ per ſenſuum organa percipientis provincia. Si quæ in Phyſica viventium diximus attente legas, de regulæ veritate facile convenies: quam alioquin omnium hominum experientia, atque intimus ſenſus demonſtrant. Corpora exterius ſolummodo ſeſe nobis produnt, atque ſui in nobis ideam, & perceptionem, ſeu ſenſationem ingenerant, quatenus phyſica actione, aut per ſeſe, immediate, aut mediis aliquot particulis, aut vibrationibus in noſtri corporis organa agunt, appellunt, illa afficiunt, modificant, harumque modificationum, & affectionum ope cerebrum, & animam excitant, illique ſeſe exhibent. Hæc una ratio, atque mechaniſmus eſt, quo Corpora quæcumque nobis innoteſcunt; nullo

nullo alio modo per oculos, aures, perque alios ſenſus anima noſtra externarum rerum cognitionem acquirit, ut late probavimus, cum de ſingulis ſenſibus, atque humani Corporis anatomia diſputavimus. Quandoquidem igitur hac una ratione externorum Corporum ideas comparamus; cum ideæ hoc modo comparatæ per ſenſuum organa ſemper acquirantur; cum denique nihil poſſit in nos phyſice agere, quin phyſice in rebus exiſtat; ejuſmodique veritas naturali lumine innoteſcat; a primo ad ultimum patet, rerum materialium exiſtentiam per ſenſus innoteſcere, eoſque unos eſſe, per quos corporum exiſtentiam agnoſcere poſſimus.

571. Plurima tamen hic animadvertere oporteret ad ſenſuum fallacias ſpectantia, quæ commodius infra exponentur, cum de methodo dubitandi agemus: interim unum aut alterum breviſſime adnotare ſufficiat. 1°. Quantumvis Corporum, & rerum materialium exiſtentia per ſolos ſenſus innoteſcat; longiſſime a vero abluderet, qui corpora omnia exiſtentia per ſenſus a nobis percipi poſſe exiſtimaret: Senſus homini donavit Deus, non ut corporum naturas, propriumque, & intimum rerum *eſſe*, proprietates, & vires cognoſceret, neque etiam ut in omnium corporum exiſtentiæ cognitionem devenire poſſet, ſed ad ſuimet conſervationem, illaque potiſſimum percipiendum, a quibus mali aliquid, aut boni ad vitam, & conſervationem noſtram ſpectans provenire poſſet. Præter hæc autem illa ſolum ſenſu attingimus, quorum moles, vires, actio ſenſibilem, atque notabilem cum humano Corpore, ejuſque organis proportionem habent: Animæ enim ſenſio objectorum actionem, & vires organis impreſſas ſupponit, quæ per totam nervorum longitudinem a ſuperficie ad cerebrum tranſmittatur, quin penitus langueſcat, hebetetur, atque extinguatur, priuſquam ad animæ uſque ſedem transfundatur: ad hæc autem ſenſibilis quædam proportio requiritur. Ex iis duobus capitibus infinita pene ſunt rerum corporearum genera, in hac rerum univerſitate exiſtentia, & nos undequaque circumdantia, quæ a nobis nullo modo percipiuntur.

tur. Primo enim ob magnam ſenſuum habetudinem, & indicatum modo proportionis defectum, minutiſſima quæque objecta non ſentimus: & minutarum hujuſmodi rerum nomine, & finibus inviſibilem, nobiſque inſenſibilem comprehendi mundum, nullus jam dubitat. Deinde quanta, & qualia rerum arcana, proprietates, phænomena perciperemus, ſi aliis inſtrueremur ſenſibus? Quanta in materiali hoc Corporum ſyſtemate, vident, ſeu percipiunt Spiritus, Angeli nimirum, Dæmones, & animæ a Corporibus ſeparatæ.

572. 2°. Quas habemus de Corporum exiſtentia ideas, atque perceptiones, eas omnes ſenſu comparamus, non tamen omnia, quæ ſenſuum ope in corporibus deprehendimus, atque ad ea referimus, & extra nos eſſe exiſtimamus, reapſe in corporibus exiſtunt: eſt dicere: quidquid corporeum in rebus exiſtit, & a nobis cognoſcitur, per ſenſus quidem percipitur: non tamen viciſſim, quidquid anima noſtra per ſenſuum organa in objectis ſentit, & ad ea refert, extra animam in ipſiſmet objectis exiſtit. Hæc animadverſio illas omnes corporum qualitates ſpectat, quæ ſecundæ nuncupantur, & ex primis naſcuntur, atque ideas ſimplices in nobis non ingenerant, quales ſunt colores, lux, ſonus, dolor, color, frigus, & quamplurima alia ejuſdem rationis: eas enim omnes ad objecta referimus, atque extra animam noſtram exiſtere arbitramur; cum tamen quidquid hiſce in rebus apparet, atque ſenſibus deprehenditur, ſit pura putaque animæ ſenſatio, & totum intra animam comprehendatur: dum interim in externis objectis nihil eſt mentalibus, ſeu potius ſenſibilibus illis ſoni, colorum, luminis apparentiis ſimile, ſed mechanicis tantum particularum Corporis affectionibus, magnitudine, figura, motu prædita illa ſint Corpora, quæ prædictis qualitatibus inſtructa apparent, ut fuſe in loco probamus, neque ab ullo jam phyſico in dubium vertitur. Quæ autem inter aeris tremorem, atque ſonum, ſeu ſuaviſſimam harmoniam, inter undulantis, repercuſſæque a Corporum ſuperficie materiæ ictus in retina, atque colorum ſenſus, & apparen-

rentiam ſimilitudo, aut analogia intercedit? Id unum ex hujuſmodi qualitatum perceptione circa veram objecti exiſtentiam inferre poteſt anima, aliquid ſcilicet in corporibus eſſe, cujus actione ad corporis noſtri organa appellente, & ad animam uſque tranſmiſſa, illæ in nobis excitentur, atque naſcantur ſenſationes, quas in objecta externa relatas, eorum qualitates nuncupamus. Corporum igitur exiſtentia, figura, motus, extenſio, ſoliditas, & ſimiles aliæ qualitates ſenſu percipiuntur, & in rebus eſſe vere exiſtimantur; circa aliarum qualitatum exiſtentiam extra animam ſolo ſenſu non recte judicamus.

573. Atque hinc patet phyſicam omnem ſcientiam, quantulumcumque illud ſit hominibus notum, omneſque etiam artes, cum liberales, tum mechanicas propriam eſſe ſenſuum provinciam: Quidquid in Aſtronomia, reliquiſque mixtæ Matheſeos partibus, in Muſica, Sculptura, Agricultura, ceteriſque artibus agnovimus, ſenſibus, atque obſervationibus debemus. Earum enim omnium facultatum fundamenta, quibus reliqua innituntur, ſunt phyſica experimenta, atque obſervationes, quæ ſenſuum tantummodo miniſterio inſtituuntur, innoteſcunt, & demonſtrantur: iis deficientibus, reliquæ etiam earumdem artium, & ſcientiarum veritates corruerent: Tentando ſemper, experiendo, obſervando phyſicam ediſcimus, docemus, promovemus: neque tamen hæc omnia ita ſenſibus tribuimus, ut rationem excludamus: nullam enim inter ſe oppoſitionem habent ſenſus, & ratio: omnia phyſica fundamenta ad ſenſum ſpectant: veritates a fundamentis deducit ratio, confirmat iterum ſenſus.

574. Ex eadem etiam regula, & ex aliis, quæ hactenus diximus, illud præterea conſequitur, inter ipſas etiam ſenſuum perceptiones, & claras ſenſationes magnopere diſtinguendum eſſe, neque rem illico in rebus exiſtere aſſerendum, ex eo quod claram rei ipſius ſenſationem, & apparentiam ſenſibus percipiamus: inter ideas & ideas, ſenſationes & ſenſationes latum intercedit diſcrimen, quod

Hujus regulæ veritas & ex hactenus dictis deſcendit, & fit per ſe ipſum manifeſta, atque triſti experimento quotidie probatur. Qui partium ſtudiis, & præjudiciis experimenta aggreditur, obſervationeſque inſtituit, præjudicatam ſententiam, quam fuit jam amplexus, & veram eſſe amat, ante oculos fere ſemper habet, ubique videt, eoque collineant inſtituta a ſe experimenta: quidquid in iis apparet præjudicatum ſyſtema ſpecie confirmans, aut cum illo utcumque connexum, id magna aviditate animadvertitur, notatur, ut argumentum novum producitur, quin ulterius in rei ejuſdem indagatione progrediatur, & vera obſervati phænomeni cauſſa accuratius inveſtigetur. Cum præjudicatam ſcilicet opinionem amas, & præter rationum momenta, atque argumentorum meritum veram eſſe deſideras; eo jam inflexus eſt animus, ſublatum eſt a mente, & animo æquilibrium, & purus, ſinceruſque veritatis amor: altas in cerebro radices egit præjudicata ejuſmodi ſententia, quæ menti ſæpiſſime occurrens ſuimet ſpeciem imaginationi reddit familiarem; unde fit, ut ſecundum ejus formam, quæ obſervando, & experiendo deprehendimus, fere ſemper aptentur. Ad eum modum, quo menti ſemper obverſatur, & in medium paſſim a nobis producitur, quod nos aut vehementer angit, aut ſuaviter allicit, atque delectat.

577. Communis etiam experientia rem plane demonſtrat. Qui Electricitatem naturalem, argumentum huic noſtro ſæculo proprium, atque celebre, per duplicem materiæ torrentem contraria directione ſibi mutuo occurrentem explicabant, eique ſententiæ mordicus adhærebant, in ipſiſmet *Franklini* experimentis, quibus oppoſitum evincitur, præjudicatæ opinionis veſtigia, effectus, & probationes videre exiſtimabant: quantumvis ex citati auctoris experimentis Electricitatis theoria ab omnibus jam probata, luculentiſſime confirmetur, oppoſitumque duplicis materiæ torrentis ſyſtema penitus evertatur. Dum purus Carteſianiſmus in Scho-

lis vigebat, Carteſiani ipſi experimentis operam navantes, homines aliunde & ingenioſi, & eruditi, ubique fere *materiam ſubtilem*, *ſecundum Elementum*, *plenum*, & alia ſimilia Carteſianiſmi fundamenta ab iis magnopere probata, deprehendebant. Contra vero Nevvtonianis poſt Carteſium in ſcænam productis, Carteſianiſmo penitus infenſis, & oppoſita omnia principia probantibus, nihil magis ſollemne eſt, quam in notiſſimis experimentis, obſervationibus, atque naturæ effectibus, quos illi diligentiſſime examinant, *attractionem*, *vacuum ſenſibile*, & alia plurima doctrinæ capita Carteſio contraria animadvertere, atque intueri. Similia inter Chymicos, potiſſimum vero in Alchymiſtis philoſophici lapidis, aurique arte efficiendi amore, & ſpe infatuatis, & apud omnes alios quarumcumque ſcientiarum, & artium cultores offendimus. Quæ interim fides eorum hominum ſenſibus, ſenſuumque teſtimonio ab aliis eſt adhibenda, qui id unum quærunt, veritatem, undecumque illa tandem fulgeat, & cujuſcumque auctoris nomine producatur? Omnia ſtudioſe examinanda, quæ illi præjudicii probandi cauſſa protulerunt. Felici hujus ætatis, atque generationis ſorte factum eſt, ut ſyſtematica philoſophia ſenſim langueſcat, omneſque tandem jugo excuſſo, & in nativam cogitandi libertatem aſſerti, veritatem unice ament, Eclecticam phyſicam colant, uniuſque inveniendæ veritatis amore experimenta inſtituant. Faxit Deus, ut ſaniſſima hæc conſilii ratio, atque cogitandi modus ſemper teneat; neque ſyſtematica phyſica homines iterum ad partium ſtudia, inutiles contentiones, & ignorantiam reducat.

Regula VII.

578. *Præter ſincerum veritatis amorem, atque animum a præjudiciis partiumque ſtudiis liberum, ut prudens ſit ſenſuum uſus, & eorum tandem teſtimonio acquieſcamus, requiritur etiam in obſervatore doctrina, hoc eſt, ut rem experimento, ſenſuumque obſervationibus probandam calleat, ſitque in hujuſmodi argumento verſatus.*

Plurima ſcilicet in experimentis occurrunt ſpeciatim notanda, quorum pars ad rem ipſam ſpectat, pars in experimentum incidit, & illius occaſione accidit; quæ niſi recte diſtinguantur, incerta pro incertis, extrinſeca pro intrinſecis uſurpabuntur: ut autem diſtinguantur, ab homine iis in rebus parum verſato tractari non debent: exempla rem illuſtrabunt. Veteres, cum aquam per evacuatum cylindrum aſcendere animadvertiſſent, *vacui horrorem* hujuſmodi aſcenſus cauſſam exiſtere concludebant, quin prius ad rerum circumſtantias, ad experimenti ipſius adjuncta, & ad mille alia hiſce in rebus notanda animum adverterent, neque phyſicam practicam, aut inſtrumenta tractare noſſent. Si enim experimentalem phyſicam callerent, atque experimentum diverſis tubis, locis, temporibus, altitudinibus inſtituerent; facile invenirent, non vacui horrorem a natura ſtudioſe evitari, ſed aquam in vaſe ſtagnantem a ſuperincumbentis aeris pondere intra tubum detrudi, donec ad eam altitudinem aſcenderet, in qua ſecundum Mechanicæ Hydroſtaticæ leges cum gravitante aere æquilibrium haberet. Da hominem rerum aſtronomicarum penitus rudem Eclipſes, ſtellarum aberrationes, & alia ſimilia obſervare; quæ ejus hominis obſervationibus adhibenda eſt fides?

579. Familiaria in omni fere natione exempla habemus: ſi vulgus audiamus; ſtrigibus, malis ſpiritibus, nocturnis lemuribus, atque phantaſma-

tibus domus paſſim infeſtantur, ſæpe ab illis cavendum, multaque illi nobis inferunt mala: quiſnam etiam ubicumque terrarum ruſticanus, ovium paſtor, hortulanus, aut alius quicumque vel infimæ plebis homo eſt, a quo ſæpe non audias, multa ſe, animantia reliqua, plantas a Lunæ influxibus pati incommoda? Eorum interim obſervatorum experimentis, atque teſtimonio ſtandum eſſe arbitrabimur? Anatomicum theatrum adeat aliquis Anatomiæ, & rerum medicarum ignarus, ibique plurimas obſervet corporis humani ſectiones, quas poſtea aut in medium confabulando producat, aut ſcripto etiam tradat: qui in hiſce ſtudiis vel leviter fuerit initiatus, nullo negotio perſpiciet hominis ignorantiæ facillime hac in re imponi potuiſſe, cujus ſenſus parum in re delicatiſſima verſati venas, arterias, nervos, muſculos, humores, aliaſque humani corporis partes ſubtiliſſimas non ſatis inter ſe diſtinguere valeant: cum homines eo in argumento bene docti ſæpe hallucinentur.

580. Luculentius adhuc regulæ veritas viſitur, cum ab experimentis effectus alicujus cauſſam ſtabilire contendimus: plurima enim in experimentis interveniunt circumſtantiæ, corpora, cauſſæ, quas omnes notare, & multipliciter inter ſe combinare, modoque unam, ſtatim aliam tollere, & immutare oportet, ut comperire poſſimus, quænam tandem ſint, quibus ſublatis, perinde nihilominus experimentum procedat, aut male potius verſat: quænam in rem influere, quænam caſu ſolummodo adjungi dignoſcantur: qui autem hæc omnia notari, atque peragi ab illo poſſunt, qui eam, quam tractat, ſcientiam, corpora, & inſtrumenta non penitus agnoſcit, ut eorum viribus, atque proprietatibus rite perſpectis, cui tandem effectum referre oporteat, innoteſcat? In experimentis chymicis, ut corpus aliquod diſſolvatur, præcipitetur, ſublimetur, ſpiritus extrahatur, aliæque operationes peragantur, quæ ad rem neceſſariæ exiſtunt, non modo plura inſtrumenta adhibenda ſunt, ſed ignis potiſſimum, & menſtrua: quanta autem in igne, men-

menſtruis, circumſtante aere ſunt corpora, diverſæque materiæ, & particularum combinationes, quibus effectus experimento obtentus tribui poſſit? Solvit ex Ulyſſipone in Braſiliam navis, acum nauticam quotidie, omnibuſque meridianis a directione polari variantem vectores paſſim, una & periti nautæ obſervent, atque ex obſervationibus quiſque ſuis declinationis variationes in tabulis notent, & cauſſas etiam rimentur. Vectores quibus omnia harum rerum, obſervationum, & rei magneticæ elementa, directio nimirum ad polos, declinatio, anguli, meridiani, declinationum inconſtantia, & alia hujuſmodi ſunt penitus ignota, nihil lectu, atque fide dignum ex ſuo notabunt, dum interim prudens nauclerus, nauticis hiſce cognitionibus inſtructus nihil aut ad rem pertinens omittet, aut a re alienum notabit. Qui varium gravitatis ejuſdem ſpecifici corporis diſcrimen in diverſis a polo diſtantiis, & altitudinibus rite obſervare velit, & obſervando, non modo rei ipſius veritatem, ſed cauſſam etiam invenire ſtudeat, niſi ſit in rebus phyſicis, geographicis, immo & geometricis inſtructus, nihil exactum proferet. Neque enim ſcire ſatis eſt, in quibus latitudinis gradibus, quanam a maris ſuperficie elevatione experimentum fiat, quo majori calore magis rareſcant, levioraque fiant corpora; ſed præter alia id in primis exploratum habere oportet, quænam proportio inter frigoris, caloriſque gradus in zona torrida, temperata, frigida tempore obſervationis exiſtat, quanam proportione dato caloris gradu corpus experimento adhibitum rareſcat, leviuſque fiat, quænam etiam proportio exiſtat inter raritatis gradus in aere, & pendulo ad datum caloris gradum: hæc ſcilicet omnia, & plurima alia rite ab eo intelligi opus eſt, qui experimentum merito probandum inſtituere velit.

581. Hæc tamen non ita accipi velim, quaſi ad omnes phyſicas obſervationes, & ſenſuum fidem par ſemper in obſervatore diligentia, ingenium, & rerum cognitio requirantur: Sunt res a-

deo ſimplices obſervatu, & captu faciles, ut ad ea ſenſibus rite percipiendum, ſatis ſit, ſenſus habere: hujuſmodi fere ſunt illæ phyſicarum rerum ſenſationes quæ & ſimplices ſunt, & obviæ, & ſimplices etiam ideas in mente ingenerant. Ut corpora exiſtere, tactu, & aliis ſenſibus percipiamus, ſpatium, extenſionem, tempus eſſe ſentiamus, pluri-maque alia ejuſdem rationis inter ſe diſtinguamus; aliud opus non eſt, quam animam, & ſenſus ad propria eorum munera obeundum expeditos habere: ejuſdem rationis ſunt omnia illa facta, quæ per ſeſe in ſenſus incurrunt, eoſque ſuomet lumine ita afficiunt, ut & a quovis homine facillime, nulloque ſtudio percipiantur, & ſuimet ideam alte in animo, aut cerebro imprimere poſſint: amicum me hodie vidiſſe, ſalutaſſe, cum eo confabulaſſe, & infinita alia ejuſdem farinæ ſenſum tantummodo, atque memoriam requirunt. Regula igitur de iis ſenſuum perceptionibus, experimentis, & obſervationibus intelligitur, quæ ad artium, & ſcientiarum fundamenta, progreſſum, perfectionem, ad rerum cauſſas indagandum inſtituuntur.

582. Hinc igitur ſatis liquet, quantum in obſervatore non modo ingenii, dexteritatis, doctrinæ, ſinceritatis, atque erga veritatem amoris requiratur, verum accurata etiam inſtrumenta opus eſſe ad delicatiora experimenta peragendum: quibus ſcilicet rite perficiendis pares eſſe non poſſunt inermes hominum ſenſus, niſi congruis inſtrumentis eorum hebetudo juvetur. Aſtronomicis teleſcopiis totam Aſtronomiam debemus: citra mycroſcopia vaſtiſſimus minutiſſimorum animalculorum, & rerum aliarum mundus antea inviſibilis nos æternum lateret. Idem etiam de omnibus aliis artibus circa corpus phyſicum verſantibus dicendum eſſe non dubitabit, qui ipſarum artium elementa, atque officinas aliquando ſalutavit. Atque maximum hæc caput exiſtunt, ex quo omnia veterum experimenta phyſica aut penitus rejicimus, aut niſi ad incudem revocata non probamus; illa, inquam, experimenta, ad quæ peragendum inermis noſtrorum

ſen-

ſenſuum hebetudo ſatis non eſſe deprehenditur. Quantam enim inſtrumentorum ſupellectilem ad rem opus eſſe, uſu & periculo noſtro comperimus: quæ quidem antiquis temporibus ante novam ſcientiarum, & artium inſtaurationem deſiderabantur; ut duo etiam illa omittamus, veteres ſcilicet in diverſas ſcholas diviſos, partium ſtudiis majorem partem duci; naturamque ipſam non ita habuiſſe perſpectam, ut ab ſenſuum fallaciis cavere facile poſſent.

583. Obſervatoris partium etiam eſt, atque ad ejus ſinceritatem commendandam, & fidem apud lectores faciendam neceſſarium, non modo experimentum exactiſſime referre, experimenti circumſtantias, & effectus ſcrupuloſe adnotare, verum etiam inſtrumenta ipſa, quibus res fuit peracta, deſcribere, qua ſint materia conſtructa, quonam loco, tempore, quo loci, & temporis ſtatu, atque circumſtantiis, mutationibus, & alia omnia hujuſmodi exponere, quæ aut experimentum turbare, aut juvare, in ejuſque effectus influere poſſunt. Hæc ſcilicet omnia non ignoret opus eſt, qui certi aliquid ab experimento deducere velit. Id tamen ſecundum experimenti, aut obſervatoris naturam, & ſcopum præſtari debet: Sunt enim res & omnibus obviæ, & obſervatu faciles, quæ delicata inſtrumenta, aut ſcrupuloſam circumſtantiarum relationem nequaquam requirunt: ſunt quæ omni tempore, loco, corporibus accidunt; nullaque multoties inſtrumenta ad rei explorationem requiruntur: in his igitur referendis ſcrupuloſa illa obſervatoris attentio alias neceſſaria, citra veritatis periculum prætermitti poteſt.

Regula VIII.

584. *Experimenta, & obſervationes peculiares in aliqua Corporum ſpecie, in uno loco, tempore, circumſtantiis factæ argumentum eſſe non poſſunt, ut idemmet effectus, aut phœnomenon peculiaribus hiſce experimentis obſervata ad alia corpora, loca, tempora, circumſtantias extendantur: regulæ igitur eſſe non poſſunt ad generalem aliquam phænomeni cauſſam generatim ſtabiliendum.*

Quod hic ſtatuimus, philoſophandi regulis in prima Phyſicæ generalis lectione traditis conforme eſt, & ratione, atque exemplis quotidianis confirmatur. Singulæ corporum ſpecies ſuas habent proprietates, atque peculiares vires, neque niſi in generalibus corporum attributis, communibuſque legibus conveniunt. Præterea in una eademque corporum ſpecie effectus, atque phænomena phyſica multis de capitibus variantur, mutatiſque loco, tempore, aliiſque circumſtantiis non modo ſæpiſſime variantur, ſed in contraria etiam multoties vertuntur: qui humanam ſpeciem in mediterraneis Africæ regionibus degentem tantum cognoſceret, cachinnis exciperet, ſi quid de humanis animantibus in Europa albis, in America ſubrubeis, multiplicique alibi alio colore præditis audiret: Id etiam in omnibus aliis animantibus, immo & in reliquis corporibus intra unam eamdemque ſpeciem accidit: diverſa climata, tempeſtates, & temperies regionum notabilem in corpora diverſitatem inducunt; ut ii norunt, qui geographiam, aut naturalem hiſtoriam non ignorant. Leones & Serpentes, qui per totam fere Africam & magnitudine & ferocitate incutiunt terrorem, ſunt in Ægypto, dulciſſimo ſcilicet climate, & regione, ſiqua alia in telluris globo eſt, amœniſſima, manſuetiori indole præditi ſunt. Fructus, qui in aliqua globi parte, & climate ſunt venenum, ad aliud clima translati innoxie manducantur, manſueſcunt, &

ſua-

ſuaviſſimi fiunt, qui alibi præ acrimonia, & injucunditate uſui eſſe non poterant.

585. Diſtinguendum igitur eſt inter illa corporum attributa, effectus, & phænomena, quæ neque contrarium habere, neque peculiari tantum ſpeciei propria eſſe deprehenduntur, ac proinde ex communi corporis ratione, aut lege deſcendere videntur, & illa alia in quibus oppoſita omnia exiſtunt: prima poſt longum maturumque examen ad omnia corpora extendantur: alia vero omnia ſuperiori regula comprehenduntur: cui quidem in ſpeciem opponi videtur illa philoſophandi regula: *Effectus naturales ejuſdem generis eaſdem habent cauſſas*. Utraque tamen regula eſt vera, neque eumdem habet ſenſum. Prior quidem regula de cauſſa, ſeu vi generica intelligitur. Secunda de cauſſa ſpecifica, & immediata: exemplo res viſitur; duo homines eodemmet loco, & tempore calore nimium æſtuant, & cruciantur, unus a ſole meridiano æſtivo, alius ab igne noſtro terreſtri torretur: uterque effectus ejuſdem eſt generis, & eamdem habet cauſſam, nempe calorem, aut ignem externum, in quo & ſol, & flamma tamquam in genere conveniunt: ſtrictius tamen, & proprie loquendo unam, eamdemque utriuſque effectus cauſſam immediatam non habet; niſi quis contenderet, ignem apud nos accenſum, hoc eſt, lignum inflammatum ejuſdem eſſe naturæ cum ſole: uno verbo, motus inteſtinus ſubtilium particularum principium illud eſt, atque generica cauſſa, unde aut ad ignem vulgarem adſtans, aut meridianis æſtivi ſolis radiis percuſſus æſtuaris: qui quidem motus, & in utroque corpore pariter exiſtit, & eumdem effectum utrobique producit: interim tamen neque ignis vulgaris cum ſolari materia confundi poteſt, neque una cauſſa loco alterius uſurpari.

Re-

Regula IX.

586. *Ab experimentis, & obſervationibus illæ tantum ſtatuendæ ſunt cauſſæ, quæ immediate ab illis conſequuntur, eoque modo, quod certitudinem, probabilitatem, conjecturas, cauſſæque determinationem ſpectat agendum eſt, quem experimenta ipſa demonſtrant.*

Cum experimenta inſtituimus, rerum cauſſas, & effectus potiſſimum quærimus; paſſim vero accidit, ut effectum quidem videamus certum, atque determinatum, de cauſſa tamen plurimum dubitemus, quænam ſcilicet illa ſit, una eademque ſemper, an potius multiplex, atque diverſa: effectuum etiam cauſſam multoties aſſignamus, aut inventam exiſtimamus, aliquando tamen certitudine, probabilitatibus, atque conjecturis ſæpiſſime ducimur: omnia hæc caute, & ſedulo diſtinguenda ſunt, ut ab experimento id tantum inferamus, quod ab ipſo deduci merito poteſt. Mille experimenta quotidie facimus; effectus ſunt exploratiſſimi: de cauſſa tamen nihil ſtatuere niſi conjectando poſſumus; propterea quod aliud experimenta non permittant. Effectus gravitatis aeris conſtantes ſemper fuerunt, atque ab omnibus paſſim obſervati, & probati: circa veram tamen eorum cauſſam errarunt omnes veteres, in noſtram hanc legem peccando: neque enim obſervationes horrorem aliquem vacui in natura indicabant: neque pro hujuſmodi horrore in cauſſarum numerum referendo erat aliquid pronuntiandum, quo ad reliqua omnia, unde res derivari poterat, attente perpenderentur: nihil hujuſmodi fuit ab illis peractum: præjudicio potius contra omnes criticæ regulas horrori vacui res fuit adſcripta. Serio tandem de veterum ſententia dubitarunt recentiores, depoſitiſque præjudiciis rem omnem retractarunt, exploratiſque omnibus horror vacui eliminatus, in cujus locum vera cauſſa, aeris gravitas admiſſa fuit.

587. Con-

587. Contra hanc regulam maxime peccant, 1. qui ſyſtemati addicti non tam veritatem, quam ſyſtema in experimentis invenire, atque confirmare ſtudent, & præjudicatas opiniones ubique fere imaginando deprehendunt. Qui attractionem univerſalem omnium corporum tenent, eamque cæleſtium motuum cauſſam ſtatuunt, nihil fere aliud per totam phyſicam crepant, quam attractionem, cui omnia fere naturæ phænomena referunt. Si eos homines audiamus, motus quicumque circularis, aut in alia quacumque curva eſt virium attrahentium indubius effectus: motum curvilineum in duos ſimplices geometrice reſolvunt; quorum unus vim attrahentem, alius repellentem exprimit: ubicumque igitur experimenta eos effectus demonſtrent, determinatam illico rei cauſſam indicant: Alii tamen philoſophi, curvilinei motus reſolutione admiſſa, nullum illic virium attrahentium veſtigium deſpiciunt. 2°. Peccant etiam, qui phyſicam ignorant, neque ſatis animadvertunt, quam implexum, arduum, atque reconditum ſit naturalium cauſſarum vires, indolem, & actiones diſtinguere, evolvere, & inter mille circumſtantias rem totam implicantes enodare. In quot olim opiniones, & errores circa Nili originem illiuſque inundationum periodicarum cauſſam non abierunt antiqui, ob Æthiopici Cæli, & climatis, & geographicarum rerum ignorantiam? Tentatur ſæpe experimentum, ad quod plura interveniunt corpora, & circumſtantiæ; v. g. experimento tuborum capillarium in aperto aere, unoque, vel altero liquore, & tubo adhibitis, notum obſervatur phænomenon: ea in re diſtinguere eſt circumſtantem aerem, tuborum materiam, diverſorum liquorum naturam, ut alias eorumdem corporum, locique circumſtantias prætermittam. Inter naturalium rerum, & experimentalis phyſicæ ignaros erunt, qui obſervatum effectum ambienti aeri tribuent, tuborum materiæ alii, eff ctumque fore ſemper eumdem afferere non dubitabunt, quicumque tandem adhibeantur tubi, & liquores: dum interim philo-

ſo-

ſophus harum rerum prudens, & diffidens pedetentim ſemper procedit, omneſque experimenti circumſtantias, tuborum formam, & materiam mutando, alios, & alios liquores adhibendo, rem in aperto aere, & intra vacuum deinceps peragendo, hujuſmodi rerum analyſi facile invenit, 1°. ambientem aerem obſervati phænomeni cauſſam non eſſe, cum res pariter in vacuo procedat: 2°. eadem experimenta in diverſis liquoribus, & tubis inſtituit, aliaſque ſimiliter totius rei circumſtantias mutando expendit: atque ea ſolummodo agendi ratione, ſi veram, & unicam effectus cauſſam non invenit, quod ſæpe humanæ conditionis non eſt, falſas ſaltem rejicit.

§. XI.

Regulæ criticæ Fidei, ſeu auctoritatis humanæ.

588. Humana fides, atque auctoritas aliud eſt, atque potiſſimum noſtrarum cognitionum fundamentum, ut jam ſuperius notavimus: ſi ab hominis cujuſcumque mente, quæ ille ſola hominum fide, audiendo, aut legendo comparavit, tolleret Deus, aut caſu aliquo ea omnia obliterarentur; ad nihilum fere redigeretur ſuperſtes in mente eruditio, atque doctrina. Quidquid homines ediſcimus, a natura, a Deo, ab hominibus edocemur: primo quidem modo nos docet ratio, atque ſenſus, quorum doctrinæ naturam, regulas, & criterium jam tradidimus, & utrumque ad ſcientiam reducitur: duplex alia docendi, diſcendique ratio ſola fide peragitur, eamque conſtituit. Fides itaque ſecundum auctorem docentem, rem aſſertam, & aſſertionis modum, atque certitudinem, alia eſt divina, humana vero altera. In priori quidem illa omnia exiſtunt ſumma; in poſteriori humanam imbecillitatem ſapiunt omnia.

589. In fide generatim accepta, prout & Divinam, & humanam comprehendit, diſtingui debent au-

auctor, *certitudo*, *adhæſio*, *materia*. Circa prima tria capita maxime inter ſe diſtant, & diſtinguuntur Divina, atque humana fides: in prima enim auctor eſt Deus, ſumma veritas, certitudo maxima, adhæſio firmiſſima: in humana vero auctores ſunt homines, qui & falli, & fallere facillime poſſunt, & ſæpiſſimæ ſolent; certitudo aut nulla, aut tantum moralis; adhæſio certitudini, auctorumque veracitati reſpondens, hoc eſt, admodum infirma. Circa materiam aſſertam utraque fides convenit, aut convenire poſſunt, dummodo veritas tantummodo dicatur: quæ enim veritates a Deo dicuntur, poſſunt & nobis humano teſtimonio conſtare, & viciſſim: uſus tamen invaluit, ut illud diceremus propriam, atque peculiarem Divinæ fidei materiam, & objectum, quod neque ſenſus, neque humana ratio comprehendere poſſunt, ſolique proinde revelantis Dei auctoritati innititur.

590. In utraque etiam fide mentis adhæſio dicentis auctoritati reſpondet: hæc una eſt totum fundamentum, in quod tandem illa reſolvitur: Auctoritas eſt in ratione ſcientiæ, & probitatis, quibus auctor præditus eſſe debet, & eſſe exiſtimatur: in hoc enim diſtinguitur firmitas adhæſionis a certitudine actus; quod hæc poſtrema probitatem, atque ſcientiam aſſerentis veram ſequatur, prior autem exiſtimatam. Utriuſque fidei naturam ſatis jam ſuperius explicavimus, quantum eſt tironi logico neceſſarium. Peculiares Divinæ regulas ulterius proſequi, logici operis non eſt, & Theologis relinquimus: contra vero cum omnis fere humana ſcientia, & doctrina humanæ fidei innitatur, logici ſcriptoris eſt, præcipuum hoc humanæ ſapientiæ caput in totius vitæ decurſu neceſſarium fuſius exponere.

591. Porro ut recte mentem noſtram in veritate quærenda dirigamus, neque ab hominum auctoritate nobis imponi patiamur, canones aliquot ſtatuere oportet, quibus probe dignoſcamus, quantum humanæ auctoritati dandum ſit. In humana fide tria diſtingui poſſunt capita, ſecundum quæ

cri-

criticæ regulas tradere debeamus, *auctorem*, *materiam*, *aſſerendi modum*, & circumſtantias, quorum ſingula ſeorſim expendamus.

592. Quod materiam ſpectat, humanæ fidei objectum, quod ſolo hominum teſtimonio, atque relatione innixum, ſuaderi nihilominus poſſit, atque credi debeat, naturale ſit oportet; aut ſaltem ab humano intellectu comprehendi poſſit: quæ enim ſupra rationem exiſtunt, neque a nobis poſſunt comprehendi, divina tantum fide credenda ſunt. Quod quidem facile perſuadebimur, ſi duo hæc animadvertamus, quæ ſupra rationem ſunt, & a nobis comprehenſibilia non exiſtunt, v. g. myſteria religionis chriſtianæ, omnem humanam intelligentiam ita ſuperare, ut mentis noſtræ acies ad reconditiſſimas illas veritates intelligendas impar omnino ſit, cæca, atque talpa haberi debeat: iis itaque intelligendis, nobiſque, aut aliis tradendis parvuli ſumus, & mentis inopes, & hoc primum: De iis vero, quæ neſcimus, teſtimonium ferre non poſſumus, itaque referre, ut ſola noſtra aſſertio fidem apud alios faciat: jam vero quæ ſupra rationem ſunt, a nobis plane neſciuntur, quamdiu ſola naturali ratione utimur: Et hinc generalis hæc regula deducitur, quæ auctoritatem omnem comprehendit, caſuſque innumeros in humanæ vitæ decurſu paſſim occurrentes reſolvit.

Regula I.

593. *Suppoſita etiam aſſerentis probitate, ut auctoritas dicentis ad faciendam fidem apta haberi debeat, eo major debet eſſe in aſſerente intelligentia, quo res aſſerta magis fuerit aut ob difficultatem, aut ob ſublimitatem ad credendum difficilis.*

Etenim ſuppoſita aſſertoris probitate, qua omnem fallaciæ voluntatem excludit, erit aſſerentis teſtimonii pondus in ratione ſcientiæ, atque capacitatis, qua auctor rei poſſibilitatem, difficultatem,
cauſ-

cauſſam, & exiſtendi modum agnoſcit, & comprehendit: qui enim rei difficultatis plane conſcius, ejuſque naturam non ignorans, neque ſe ipſum, neque alios fallere amat, & tamen rem aperte aſſerit, is proculdubio dignior longe eſt, cui fidem præſtemus, quam ii eſſent, qui probitate aliunde præditi, rem a ſe ipſis aſſertam non plane intelligunt, & quam ardua, obſcura, ſupraque rationem ſit, non agnoſcunt. Regulæ veritatem communis omnium hominum uſus quotidie confirmat. Inter illa, quæ humanæ fidei penitus innituntur, hominesque alii alios docent, infinita fere dicuntur vulgaribus, notiſſimiſque naturæ legibus, & naturali rerum ordini, & viciſſitudini conformia: qualia ſunt communia phyſicorum corporum phænomena ubique locorum conſtanter obſervata, peculiares aliquorum corporum proprietates, & reliqua naturalium rerum viciſſitudo: alia item ſunt magis quidem peculiaria, & rara, atque paucorum tantummodo corporum, aut locorum propria, quæ tamen aut ſecundum notas naturæ leges fieri, aut naturalium cauſſarum vires excedere non appareat. Alia eſt rerum effectuumque claſſis, quam, cum ſtatutis naturæ legibus contrariam eſſe conſtet, ſupernaturalis cauſſæ effectus dicimus, & miracula appellamus: quæ extra naturæ quidem leges ſunt, ſed inter humanæ intelligentiæ limites exiſtunt, comprehendi a nobis poſſunt: tertius tandem eſt adeo ſublimium, reconditarum, & ſupernaturalium rerum, ac veritatum ordo, ut non modo extra præſentem omnem rerum naturam ſint, ſed a nulla etiam humana, createque mente comprehendi ullo modo poſſint. Prima quidem ut & obvia paſſim ſunt, atque naturæ conformia, ita omnium facillime creduntur: ſecunda autem ob majorem rei difficultatem, atque naturæ leges in contrarium reclamantes, neque facile relata admittuntur, neque ab homine non indocto facile in medium producuntur, ſi & doctus, & judicioſus, & ſapiens audiri amet: poſtrema tandem ſuo nomine, atque auctoritate ſuadere nullus mortalium præ-

præſumere debet, aut merito ſperare poteſt: propterea quod ejuſmodi illa ſint, quæ neque ab docente, neque ab audientibus poſſint intelligi, nullamque habeant cum noſtris ideis, humana intelligentia, atque phyſico hoc rerum ſtatu proportionem.

594. Priora quidem ut credas, cum ab homine referuntur, ſuadet potiſſimum natura, aut ſaltem, neque naturæ legibus, neque inſolita rerum novitate, neque ideis noſtris, humanaque ratione refragantibus, nihil eſt, quo probi, prudentiſque hominis fides ex rei ipſius natura infirmetur. Ut ſecunda narrando fidem ab auditoribus extorqueas, ea primo ſuperanda eſt credendi difficultas, quam naturalium legum, totiuſque naturæ oppoſitio ingenerat, neque alio infringi, tollique poteſt; quam ex ſuperioris cauſſæ cognitione. Tertia demum ab homine affirmari, idem fere eſſet, atque ſi ab authomata machina referrentur: cum nihil de iis intelligamus, neque ullam de ejuſmodi rebus ideam habeamus, rei ſuadendæ impares exiſtimus. Jam vero indubium eſt, eo magis ab aſſerendis rebus homines retrahi, quo majorem in iis inſpiciendis, atque hominibus ſuadendis difficultatem inſpexerint.

595. Qui hæc omnia attente meditando perſcrutetur, facile animadvertet, eo majorem requiri in rem tradente auctoritatem ex ſcientia, atque prudentia provenientem, quo major fuerit aſſertæ etiam rei difficultas, aut ex re ipſa, naturæque legibus, aut ex infinita, quæ ſit inter humanam intelligentiam, atque aſſertam veritatem, proportione: gradatim igitur creſcunt, quantum ad fidei, atque ſuaſionis difficultatem ſpectat, vulgaria naturæ phænomena, peculiaria aliquorum corporum effecta, a communibus legibus aliena, mira quædam ſupra naturæ leges poſita, ſpiritus, Divina myſteria, res impoſſibiles: ad hæc igitur aliis ſola docentis auctoritate ſuadendum, majus ſemper, & majus eſſe debet in referente judicium, atque rerum prudentia: unde eſt, quod ad res quidem natura-

turales, naturæque legibus conformes ſuo teſtimonio conficiendas, humana ſufficiat auctoritas, major, vel minor, prout in ſequentibus explicabitur: miracula, ut probentur, illa humana fide, quæ omnem probabilitatem vincat, & moralem certitudinem efficiat, opus habent: Divina myſteria, atque religio ſolo Numinis ipſius teſtimonio ſtatui, atque aſſeri poſſunt: rebus tandem impoſſibilibus ſuadendis, quæ quidem naturali rationi opponuntur, nulla par eſſe poſſet naturalis, aut ſupernaturalis auctoritas; quod enim falſum eſſe, & manifeſtam involvere contradictionem, naturali ratione, hoc eſt, naturali revelatione conſtat, qua Deus, ſumma ipſa veritas, humanam mentem illuminavit, id proculdubio nulli omnino auctoritati innititur.

596. In humana Societate quidquid homines, alii alios docemus, aut id *probando*, aut *narrando* agimus, hoc eſt, aut ejuſmodi eſt, ut rationibus probetur, aut ejuſmodi, ut ſola narrantis veracitate innitatur: primum nuncupatur *dogma*, hominesque dogmatizare dicuntur, cum id aliis proponunt, & ſuadere adnituntur: ſecundum eſt *hiſtoria*, omneſque in familiaribus etiam converſationibus hiſtorici munus agimus, cum id referimus, quod ſola referentium veracitate admittitur. Primum igitur omnes ſcientias comprehendit, immo & illas artes, artiumque fundamenta, regulas, & problemata, quæ referre ſatis non eſt, ut ab audientibus, aut legentibus pro veris admittantur, niſi inſimul rationum momentis rei veritatem conficias: Secundum vero eſt hiſtoria: neque enim eo nomine illos tantum impræſentiarum donamus, qui libros hiſtoricos componunt: quicumque factum aliquod narrat, vel id ſcribendo, vel familiariter confabulando peragat, hiſtorici partes, & munus agit. Hiſtoriæ materia ſunt omnia *cogitata*, *dicta*, & *facta*, *Dei*, *hominum*, *naturæ*, quæ tempus narrationis præceſſerint. Neque enim futura, neque hiſtorico præſentia hiſtoriæ argumentum eſſe poſſunt: futura enim prophetantur, aut conjiciuntur, & præ-

prævidentur ; præſentia vero ſub oculos cadentia videntur quidem , ſed tamen tum ſolum narrari poſſunt, cum jam ſunt præterita. Ex quo hiſtoriæ objecto triplex ſtatim aſſignabitur hiſtoriæ ſpecies. Interim in uno eodemque facto, in artibus, ſcientiiſque fere omnibus partem hiſtoricam, & partem aliam dogmaticam diſtinguimus. Qui hujus Univerſi extenſionem phyſicò more explicare, atque tradere aggreditur, diverſa Philoſophorum, & Aſtronomorum cogitata circa cæleſtium ſpatiorum vacuitatem, aut plenitudinem, extenſionem, motuum cauſſas, & multa id genus alia in medium affert: & hoc quidem ad hiſtoriam, & philoſophicam eruditionem pertinet ; deinde generale plenum v. g. ſtatuit, quid de fixarum ſtellarum natura teneat ipſe, pronuntiat, & rationibus confirmare adnititur : & hoc alterum dogmatis partem continet.

597. Omnia ſcientiarum, & artium, rerumque aliarum dogmata ratione probanda ſunt, ut mentem perſuadeant, & ſi illa excipias, Divinas, humanaſque leges, ſoli jubenti voluntati innixas, quæ dogmata etiam appellari ab aliquibus video, quantumvis hæc media quædam eſſe videantur inter dogmata, & hiſtoriam, atque utriuſque naturam in ſeſe contrahere. Tria quippe in lege diſtinguimus, exiſtere, eſſe juſtam atque opportunam, vim habere: primum hiſtoriæ, ſecundum rationis, tertium voluntatis opus eſt. Qua parte igitur leges dogmata continent, ſequenti etiam regula comprehenduntur.

Regula II.

598. *In quibuſcumque naturalium ſcientiarum, & artium dogmatibus, hoc eſt, veritatibus quibuſlibet ratione conficiendis non ulla hominum auctoritas, ſed ſola ratio ſpectari debet, & fundamenti loco admitti poteſt.*

Suum ſcilicet eſt humanæ fidei, atque auctoritatis

tis objectum, & propria materia, cogitationes nimirum, dicta, atque facta, extra quæ ſi divagetur, in rationis provinciam excurrit, ubi nulla illius jura cognoſcuntur. Sua rationi, ſua & hiſtoriæ, ſeu humanæ fidei confinia ſunt. Ea tantum humano teſtimonio, proprioque nomine affirmare unuſquiſque hominum poteſt, quod ille vidit, audivit, aliiſque ſenſibus uſurpavit, aut intima conſcientia agnovit: id unum eſt, quod proprio cujuſque nomine dici poteſt: alia, quæ affirmamus, traditione, aliorumque teſtimonio accepta, primo eorum auctori tribuuntur, illudque tantummodo pondus habent, quod ejus etiam ſenſuum, aut conſcientiæ perceptioni, ſuppoſita alias probitate, debetur: hæc omnia ſunt iterum *cogitata*, *dicta*, aut *facta*, quæ olim a te ſenſibus percepta, memoria retines, aliiſque tradis. Totum autem hoc memoriæ, hoc eſt, hiſtoriæ objectum hiſce terminis definitur, ſenſu ſcilicet te aut intima conſcientia hæc olim percepiſſe, a te, aut alio fuiſſe cogitata, dicta, facta: idque dum tradis, aliud tandem nihil affirmas, quam rerum exiſtentiam a te olim ſenſibus perceptam, tua aut aliena hæc olim extitiſſe cogitata, dicta, facta. Proprium igitur cujuſcumque hiſtoriæ ab homine factæ argumentum ad rerum exiſtentiam ſenſibus perceptam, & memoria, ſcripto, aut monumentis ſervatam tandem redigitur. Quamdiu intra hujuſmodi confinia verſaberis, facta ſolummodo tua, aut aliorum ſenſibus a te cognita tradendo, hiſtoricum agis; & ſecundum eam, qua præditus es, animi probitatem, mentiſque prudentiam dicenti fidem adhibeam. Ita narranti tibi, quidquid viator in longinquis terris videris, aliiſque ſenſibus fueris expertus, admittam, aut dubitabo, aut rejiciam: quod ſi factorum narrationi cauſſas etiam, atque alia adjungas, quæ dogmata ſunt, neque ſenſibus percepiſti; tum vero cum tua jam experientia non loquaris, quamdiu rei veritatem rationibus non conficias, aut comis intra me ipſum tacitus dubitabo, aut criticus rejiciam.

599. Quænam vero, & qualia non evitaremus

præjudicia, & errores, ſi datam regulam ſemper ſervaremus? Si accepta a præceptoribus, a parentibus, a majoribus dogmata, & opiniones ea ſemper animorum diſpoſitione reciperemus, ut nihil auctoribus tribuendo, eatenus ſolummodo rem probaremus, quantum rationum momenta rem conficerent? Paſſim tamen omnes fere homines ab hac regula diſcedimus: ad credendum potius, quam ad ſciendum, & veritatem noſtromet ingenio, atque laboris genio impatientes, aliorum potius, quam noſtra opinione de rebus judicare malumus; aliorum potius oculis, diſcuſſionibus, & examine veritatem videre, invenire, atque demonſtrare, quam idipſum noſtris vigiliis, atque laboribus aſſequi: idque in cauſſa eſt, quare fidem ſcientiæ in iis etiam rebus præferamus, in quibus cogitanti homini turpe eſt, pecudum more aliorum ductu inſcium, & cæcum duci. Ejuſmodi malum, quod omnes fere homines, ſcientias, artes, & omnia illa, quæ in humanam ſocietatem, converſationem, & commercium ingrediuntur, omnino comprehendit, dari quidem rudi populo poſſet, omnibuſque iis, qui de arte ſua, per ſeſe judicare ſatis nequeunt: quod tamen in litteraria etiam Republica quamplurimi, immo & maxima eruditorum pars ſit, qui non iis modo, quæ ad ſcientias, arteſque ſpectant, ſed in rebus præterea aliis in humanam vitam incidentibus aliorum potius ſenſui inhærendum cenſeant, quam ſuo duci, vix ferendum videretur, niſi, ut in tota humana ſpecie & nationibus, in litteraria etiam republica plebejus ordo eſſet ampliſſimus. Latius adhuc ſerpit malum, radiceſque altiſſime defigit, ſi id, quod tenemus, ſyſtema, aut ſectam homines aliquot ingenio, atque eruditione illuſtres invenerint, aut probaverint, quorum nomina merito, aut immerito magno apud nos in pretio, atque exiſtimatione exiſtant. Tum enim vix ſibi licere exiſtimant, ut de iis parumper dubitent, quæ a claris iis hominibus probata agnoverunt. Dum interim ſæpiſſime, omnibuſque fere in rebus fit, ut præjudicati noſtri ſyſte-

ſyſtematis auctores, atque fautores, quantum alioquin velis illuſtres, præjudiciis, milleque humanis paſſionibus, & ſtudiis laborarent, atque ducerentur; in aliis quidem eminerent, alia oſcitanter tractaverint; clari ſolummodo, doctique eſſent, ut illa ferebant tempora; libris tandem, inſtrumentis, otio, aliiſque ſcientiarum, & artium adminiculis deſtituerentur, quæ ſubſequentia tempora, atque ingenia compererunt. Qui hæc omnia perpendat, inſimulque animadvertat, quænam ſit humanæ mentis tenuitas, omnia humana tempore, & labore promoveri, & perfici, æque homines ingenio cum veteres, tum modernos ſemper valuiſſe, fieri non poteſt, quin Pythagoricum illud, *Magiſter dixit* in naturalibus ſcientiis, & artibus irrideat, atque rejiciat. Quantum vero ſcientiarum, & artium progreſſui, & perfectioni noceat, fide potius, quam ratione hiſce in rebus duci, & præjudicato ſyſtemati quaſi ſaxo adhæreſcere, exemplo eſſe poteſt Ariſtotelis ſecta; incredibile enim eſt, quot acerrimis ingeniis homines per tot ſæcula Græci illius doctrinam coluerint, neque tamen philoſophiam latum unguem fuiſſe ab iis promotam.

600. Narratio, ſeu hiſtoria, ut ad proprium accedamus humanæ fidei objectum, in tres partes dividitur, *Naturalem*, *Politicam*, *Litterariam*. Hiſtoria naturalis omnia naturæ, hoc eſt, Dei creatoris opera, univerſum ſcilicet hunc mundum, accidentia in illo phænomena objectum habet; præcipue tamen noſtro Telluris globo inſiſtens, qui nos propius ſpectat, miram hanc rerum varietatem, cauſſarum, effectuum, phænomenorum, temporum, & ſtationum viciſſitudinem examinat. Naturalis itaque hiſtoriæ eſt animalium, brutorum, reptilium, injectorum, & piſcium ſpecies recenſere, eorum naturas, proprietates, indolem, virtutes, agendi, vivendique rationem, & mille id genus alia referre: eadem circa plantas, atque vegetantia univerſa, circa lapides, metalla, ceteraque omnia corpora, quæ globi hujuſce ſuperficiem componunt, atque in hominum ſenſus, ac expe-

rientiam cadere poſſunt, ipſa etiam peragit. Uno verbo, ita terreſtrem hanc noſtræ telluris ſuperficiem deſcribere ſatagit, ut & maria, & terras, & peculiaria eorum accidentia, corpora, ſitus, & phænomena tum a Geographica poſitione, tum etiam a propria ſoli temperie provenientia nobis ante oculos ponat. Ex perſunctoria hac hiſtoriæ naturalis objecti recenſione facile apparet, non modo omnem fere Geographiam, & Hydrometriam, atque Nauticam, verum etiam præcipuam totius Phyſicæ partem, & fundamentum puram putam eſſe naturalem hiſtoriam. Quid enim Philoſophiæ naturalis nomine intelligimus, niſi effectuum ex cauſſis, viciſſimque cauſſarum ex effectibus perquiſitionem? hæc autem haberi non poteſt, niſi prius effectuum cognitionem habeas: quo quidem nomine, quidquid phyſicum in natura producitur, intelligendum oportet. Ut corporum præterea naturas, proprietates, vires indagare, atque ſtatuere poſſimus, per mille experimenta, atque obſervationes procedendum eſt; niſi imaginariam phyſicam, purumque humanæ phantaſiæ opus pro vera philoſophia naturali tradere amemus: quæ quidem omnia ad hiſtoriam iterum naturalem ſpectant. Hæc igitur & philoſophis univerſim omnibus eſt plane neceſſaria, & omnium hominum, humanæque mentis digniſſimum, atque utiliſſimum haberi debet ſtudium: cum & nobis mirabilia omnipotentis Dei opera, datum hominibus a Deo patrimonium, patefaciat, & noſmetipſos ad ipſius ſupremi Numinis agnitionem, atque cultum perducat. Regulas, quibus hiſtoriæ naturalis ſcriptorum fides ſtatuenda ſit, noſque in eorum lectione duci oporteat, omnibus aliis communes, ſtatim trademus.

601. Hiſtoria politica, ut ipſum πολιτικος nomen indicat, ſtricte, & proprie accepta eſt, quæ multorum res geſtas enarrat, latius tamen uſurpata facta omnia comprehendit, quæ naturæ opus non ſunt: res igitur omnes cum a privatis hominibus, aut civitatibus, tum ab integris nationibus, tum

ab

ab hominibus, tum etiam a Deo complectitur. In civilem igitur, ſeu prophanam, & ſacram, ſeu religioſam dividitur: prima res geſtas hominum enarrant, quæ cultum Numinis, atque religionem non reſpiciunt, vel illæ ab integris nationibus, imperiis, regnis, vel ab aliqua tantum republica, aut privato etiam homine perpetrentur; civilis itaque hiſtoria ſunt generales mundi, aut alicujus imperii, nationis, aut rerumpublicarum hiſtoriæ, & peculiares etiam hominum vitæ, & illæ deinde, quę aliquam tantummodo hiſtoriæ nationis alicujus partem continent. Generales hiſtoriæ prophanæ, quæ omnium gentium facta complectantur, nullæ exiſtunt; quæ integros alicujus imperii, aut monarchiæ faſtos, & durationem per plura ſæcula productam pro dignitate proſequantur, non admodum multæ recenſenrur: ea in claſſe laudari in primis debent *Livius*, *&* *Mariana*, quorum primus Romanæ Reipublicæ res geſtas mirabili dignitate, elegantia, atque majeſtate compoſuit; ſecundus vero, quem Hiſpaniæ *Livium* dixerim, pari etiam cum dignitate hiſpano idiomate univerſam ſuæ gentis hiſtoriam per plurima ſæcula proſequutus eſt. Peculiares demum hiſtoriæ numero prope infinito exiſtunt.

602. Hiſtoria ſacra, ſeu religioſa; aut eſt Divina, aut humana: prima, quæ in ſacra ſcriptura continetur, quæ Deus humani generis, & veri cultus cauſſa geſſerit, exponit. Secunda, ſi latiſſime accipiatur, omnium, & ſingularum nationum ſacra, ritus, religionem enarrat; communi tamen ſenſu quæ ad Chriſtianam religionem ſpectant, a prima illius conſtitutione, a Chriſto ſcilicet nato, immo & a mundo condito per omnia ſubſequentia ſæcula proſequitur, & *Eccleſiaſtica* nuncupatur; opus quidem & arduum, & rerum ubertate, atque longo ſæculorum decurſu ampliſſimum, quod a pluribus jam tentatum, a nemine hactenus feliciter executum. Nobiliſſimam hanc Politicæ hiſtoriæ partem vix eſt ut verbis commendari debere exiſtimem, cum res per ſeſe loquatur, hominesque,

religionis potiſſimum ſtudio addictos maxime dedeceat maximi momenti hiſtoriam, quæ noſtram hominum felicitatem, aut infelicitatem æternam propius tangit, exploratam non habere.

603. Hiſtoria litteraria, quam & philoſophicam dicere poſſumus, humani intelleſtus hiſtoria nuncupanda eſt, in eoque ab aliis modo recenſitis differt, quod naturalis opera tantum naturæ, politica res geſtas ab hominibus, ſeu facta, litteraria vero eorumdem cogitata, opiniones, ſcientiam, inventa proſequatur: prior itaque rerum naturam, ſecunda quæ homines geſſerint, tertia, quæ hactenus cogitaverint, atque cogitando invenerint, memoriæ tradit. Tertia hæc hiſtoriæ pars nullis fere limitibus continetur, omnium ſcientiarum, & artium prima rudimenta, progreſſum, omnes illos humanarum cognitionum, atque humanæ rationis gradus, quibus ab imperfectiſſimis quibuſque inventionum initiis ad eum paullatim ſtatum devenimus, quo res modo exiſtunt, complectitur. Ut duas alias hiſtoriarum ſpecies humana mente non modo digniſſimas, verum etiam omnibus prope hominibus aliqua ſaltem ex parte neceſſarias diximus, ita litterariam hiſtoriam, uberrimum, atque vix non immenſum eruditionis campum litteratis viris proprium, atque dignum eſſe argumentum aſſerimus, hominemque alias doctum, qui litterariæ hiſtoriæ eruditione non ſit inſtructus, illiberaliter educatum, atque incultum dicere non dubitabo. Ampliſſimum ſcilicet id hnmani intellectus, & cognitionum theatrum, & veluti tabula quædam, atque mentalis charta haberi poteſt, in quæ tot idearum veluti provinciæ diſtingui, atque notari debent, & perinde ut in geographicis tabulis uno veluti conſpectu contemplari, quo antiquorum mentes pervenerint, quid ab iis fuerit exploratum, quid conjecturis ſolummodo notatum, quid penitus ignotum;: quonam etiam recentiores, veterum fines prætergreſſi, novis methodis, noviſque rhumbis devecti pervenerint. Pulcherrimum ſane eſt, magnumque & laboris, & eruditionis compendium

men-

mentalem hanc chronologiam ob oculos habere: cum illa doctos omnes, eodem tendentes, & plurimis ſæculis, annorumque millibus diſſitos inter ſeſe conjungat, eaque ſæpe nobis oſtendat, ab antiquis jam leviter ſaltem delibata, quæ & nunquam forſan mens noſtra cogitaſſet, niſi ab ipſamet hiſtoria excitaremur, & excitati ulterius promovere, atque perficere poſſumus. Utcumque circa ſcientiarum, & artium rudimenta, atque progreſſum apud ſe ſtatuat litterarum ſtudioſus, diverſas ſæpe philoſophorum de rebus omnibus naturalibus, moralibus, & mentalibus opiniones, quæ bonam, immo & præcipuam hiſtoriæ philoſophicæ partem componunt, ignorare nullo modo debet, qui & philoſophiam amet, & impolitus, rudique ſæculo natus, ac educatus videri nolit. Jam vero circa omnes haſce hiſtorias, ſequentes regulæ tenent.

604. Cum ſupra jam generale illud principium poſuerimus, *hyſtorici auctoritatem eſſe in ratione doctrinæ, atque probitatis ejuſdem narrantis*; peculiares, quæ inde conſequuntur, leges modo proſequamur; prius tamen ex eodem principio deſcendit 1°. quod defectu doctrinæ, judicii, atque criterii, quæ vulgo narrantur traditiones, hiſtoriolas, & facta nihili faciamus, ſed anilibus fabulis annumeremus. In iis enim, atque aliis ejuſdem farinæ narrationibus neque certus traditur auctor, neque rei ipſius origo agnoſcitur; unde etiam, aut per quot manus effluxerit, incerta omnia ſunt; fidem itaque ejuſmodi auctori, rebuſque ab illo relatis adhibere ſummæ imprudentiæ eſt. Quanta nihilominus ſunt ab celeberrimis hiſtoricis conſcripta, quæ iis tantum rumoribus vulgaribus innitebantur? Teſtis eſſe poteſt *Herodotus*, hiſtoriæ inter Græcos parens nuncupatus, aliique vulgarium traditionum compilatores, quos ego oblectamenti potius, quam ediſcendæ veritatis cauſſa lego. 2°. quidquid ab hominibus impoſtoribus, improbis, malæ fidei, aut quorum veritas non ſemel jam fuerit probabiliter ſuſpecta, nobis narratur, nullam meretur fidem. Eſto enim, prudentia, immo & ſagacitate, doctri-

na

na, rerumque experientia polleant, illaque plane intelligant, quorum hiſtoriam contexunt; unde tamen vadem habebimus, ſatis accuratum in ediſcendo, & ſcribendo fuiſſe, neque conſulto, atque data opera mihi imponere voluiſſe? Ex eo capite *Mahoma*, *Aretinus*, *Jovius*, pluresque alii cum antiquarum, tum recentium hiſtoriarum ſcriptores a publica irriſione exſibilantur.

Regula III.

605. *Ut hiſtorici, quantum ad doctrinam attinet, fides conſtet, ea debet eſſe illius doctrina, ut non modo conſcribendæ hiſtoriæ leges generatim calleat, ſed circa tractandum inſuper ab illo argumentum, omniaque argumenti occaſione in rem incidentia, atque a Scriptore non prætermittenda, ſit verſatiſſimus.*

Quid enim turpius, atque rationali homine indignius, quam illam ſibi ad ſcribendum ſcientiam, artem, aut argumentum quodcumque aſſumere, quod omni ex parte exploratum non habeat, de illoque non ſit medullitus inſtructus? Qui humani corporis anatomiam v. g. ſcribendam aggreditur, theatro anatomico identidem interfuiſſe, humana cadavera accuratiſſime tractaſſe, ſecuiſſe, examinaſſe opus eſt, ne dum alios anatomiam docere amat, eam potius ignorare, ab aliiſque docendum eſſe demonſtret. Naturalem Braſiliæ hiſtoriam aggredimur: qua incipiendum, quid primo petendum? non modo iis, qui modo vivunt, & Braſiliam nunquam viderunt, ſed poſteritati potiſſimum, & regionis incolis laboramus: loca igitur primum viſere, omniaque locorum accidentia naturalis hiſtoriæ propria noſtriſmet oculis examinare, aut ab aliis examinata tranſcribere oportet, ne ab iis, qui Braſiliam incolunt, aut peragrant, cachinnis excipiamur, & noſtræ apud homines exiſtimationi peſſime conſulamus: dum relatam a nobis rerum, locorumque deſcriptionem cum vero rerum ſtatu conferen-

ferentes, mendacem hiſtoricum animadvertunt. Paria omnia ſunt in reliquis quibuſcumque hiſtoriis, ut & in ſcientiis, & artibus conſcribendis. Doctores earum rerum agimus, quas poſteritati ſcribimus, alioſque de eo argumento inſtruere nobis aſſumimus, noſtroque teſtimonio fidem adhiberi a lectore poſtulamus: quo autem pacto publici doctoris munus, & partes ſuſtineremus, niſi tradendam a nobis hiſtoriam penitius exploratam non habeamus? Res ipſa per ſeſe eſt manifeſta, quam, ſi rationibus confirmare fuſius vellemus, obſcurabimus potius, quam illuſtrabimus.

606. Suas habet hiſtoria leges, ab ipſamet naturali ratione dictas, atque ab hiſtorici munere, & officio deſcendentes, in quas ſiquis hiſtoricus peccet, neque aliquam ſibi nominis commendationem, neque hiſtoriæ ſuæ fidem apud homines conciliabit: ut idem etiam accideret, ſiquis oratoris munus imparatus omnino, omnibuſque eloquentiæ elementis, atque præceptis deſtitutus aſſumeret. Perinde igitur hiſtoricum, atque Oratorem acturus, earum regularum cognitionem ſtudio, meditatione, atque commentationibus acquirat: niſi peculiari naturæ, ſeu Dei Creatoris beneficio ea natus eſſet indole, genio, atque natura, quod rariſſimum eſt, neque ſperari prudenter poteſt, ut citra ullum artis, regularumque adminiculum, evadere poſſit hiſtoricus, orator, aut poeta. Hoc igitur primum ſit oportet, hiſtorici ſtudium, ſcientia, atque eruditio: neque ab ullo melius, aut profundius rem omnem edifcet, quam a *Luciano*, quem cum de hiſtoriographi munere agentem, hiſtoriæque naturam, atque leges ſcribentem aut dicentem audis, ipſammet rationem, atque naturam audire exiſtimabis: rem adeo fuerat meditando aſſecutus nobilis ille, pulcher, atque facetus antiquitatis ſcriptor. Quod ſi græcum Doctorem faſtidias, *Luciano Rapinum* ſubſtitues, a quo bene multa ex antiquis deſumpta in rem noſtram accipies. Qua tamen arte, quibuſve legibus ſcribere hiſtoriam debeas, primum quidem eſt, minimum tamen ſcripto-

ptoris ſtudium; quæ ſcribendi argumentum ſunt, aut ad rem pertinent, aut in argumentum incidunt, iis meditandis, evolvendis, examinandis tempus maxime terat, & accuratiſſimam impendat curam. Quæ ad rem pertinent, aut in argumentum incidunt, dixi: quæcumque enim ſunt a re, de qua agimus, penitus aliena, quorum nulla a nobis facienda mentio eſt, in iis ego hiſtoriæ ſcriptorem verſatum, atque doctum eſſe non requiram; niſi hiſtoriographo omniſcientiam opus eſſe dicamus, quod eſt a veritate penitus alienum: aliter ut Perſarum, aut Romanorum hiſtorias conſcribere poſſent *Herodotus*, & *Livius*, aliarum etiam gentium tum naturales, tum politicas noſſe prius deberent hiſtorias. Sua quidem eſt huic exceptioni veritas, nihilominus tamen re bene perpenſa, & rerum multiplicitate examinata, quas hiſtoriographus aut pro dignitate tractare, aut obiter tantum attingere debeat, mirum eſt quanta ſcientiarum, & artium eruditione, humanarum, naturaliumque rerum cognitione opus habeat hiſtoricus, ne jejunus, imprudens, & inſcius habeatur, dum de innumeris paſſim rebus a ſe ignoratis judicium ſuum interponit: Nemini, qui hiſtorias aliquando legerit, ignotum eſſe poteſt, unum idemque factum hiſtoricum mille paſſim circumſtantiis, atque epiſodiis implicari, quæ neque omitti citra veritatis, atque claritatis periculum poſſunt, neque accurate tractari, quin multiplices diſciplinas toto cælo ab hiſtoria remotas non perfunctorie calleas.

607. Quantumvis hæc omnibus hiſtoriæ ſpeciebus generatim conveniant, potiori tamen jure in hiſtoria litteraria locum habent. Cum eo nomine omnes humani intellectus circa res quaſcumque opiniones, judiciorum, cogitationum, atque idearum recenſionem comprehendamus; niſi de re, quam non intelligit, diſſerere parum decore malit, in nulla fere humanæ eruditionis parte peregrinum eſſe licet litterariæ hiſtoriæ ſcriptorem: ſingularum ſcilicet ſcientiarum, & artium objecta, elementa, ini-

initia, progreſſus adnotare, atque in ordinem redigere, de omnibuſque proprie, atque exacte ſcribere, quod hujus hiſtoriæ partis munus eſt, mentem harum rerum omnium eruditione ornatam ſupponit. Modo enim quæ homines pro locorum, temporum, nationumque varietate de Numine, religione, humanorum animorum natura, & immortalite, & futuro hominum ſtatu cogitarunt, modo quæ circa vaſtiſſimam naturalium rerum provinciam, tot artium, atque ſcientiarum argumentum aggreditur, modo in mille alia excurritur humanæ eruditionis capita, quæ ab homine earum ignorante, neque ſecundum verborum, neque ſecundum idearum proprietatem tradi poterunt. Unum præter alia non modo litterariæ, ſed politicæ hiſtoriæ ſcriptoribus maxime neceſſarium eſt, diverſas nationum, atque populorum leges, mores, religionem in primis explorata habere. Tria hæc ſcilicet ſunt potiſſima illa capita, ex quibus omnia fere hominum facta, populorum, nationumque hiſtoriæ profluunt. Nationis religio longo uſu confirmata, atque a parentibus ad poſteros tranſmiſſa in totam humanam vitam, actiones, commercium, privata, publicaque conſilia ſemper influit: ſecundum religionis ideas plurimæ inſtituuntur leges, informantur mores, & communia etiam nationis conſilia, & regimen diriguntur. Populorum mores, atque leges, & plurima id genus alia a regionis climate, ac temperie pendent: Phyſica, & moralis mutuis vinculis ſe connectunt, & altera alteri ſubſervit: rem non diffitebitur, qui philoſophico more humani corporis, animique indolem, & quam in præſenti rerum ſtatu mutuam habeant dependentiam, contempletur; ſatis etiam eſt univerſam terraquei globi ſuperficiem meditando, atque legendo perluſtrare, omneſque, & ſingulas nationes, earumque mores, leges, indolem explorare: facile enim animadvertimus omnes frigidarum zonarum incolas moribus longe aliis, legibuſque vivere, atque torridæ habitatores, & viciſſim; aliamque eſſe humani generis, ut in Phyſica, ſic & in

in re morali ſpeciem prope æquatorem, atque in temperatis zonis (*a*). Hæc igitur nequaquam ignoret hiſtoriæ ſcriptor, ne primos rerum humanarum fontes, atque elementa, neque aliis aperiat, neque ipſe intelligat. Cauſſam hic obiter attingimus, quare nobis in Europa, mediaque temperata zona degentibus mira, aut ridicula potius videantur, quæ apud Indos, Japponios, vetereſque Aſiæ nationes in uſu fuiſſe, & etiamnum eſſe legimus. Hæc animalium ſpecies, quam *hominem* vocamus, ceterorum animantium, atque vegetantium inſtar, pro varia climatum, zonarum, & ſoli temperie felicius, aut infelicius proveniunt, luxuriant, floreſcunt, procreantur, multaque inde in eorum corpora, cutem, figuram, organa ſenſuum, affectionum, & indolis diſcrimina oriuntur. Quæ ſeptentrionalibus hominibus ob rigidiſſimum frigus, & gelu, indurantur fibræ, & calleſcunt, Ægyptiis v. g. aliorumque climatum ſimilium habitatoribus ex mitiſſimo cælo, atque temperatiſſimo ſolo laxantur, lenteſcunt, molleſque, & delicatæ exiſtunt: a diverſa hac organorum, & fibrarum indole, & diſpoſitione non modo mentis humanæ ideæ, ingenium, judicium, ſed animi etiam, atque cordis indoles pendent, ut in loco demonſtravimus, nullique jam philoſopho eſt ignotum: conſequens inde eſt, ut alia aliis probentur populis, alia ab aliis rejiciantur, plurima apud nos de remotiſſimis nationibus, & climatibus tradantur vera, quæ moribus, indolique noſtræ ridicula, atque fabuloſa eſſe pronuntiamus.

608. Supradictæ regulæ, atque hiſtorici doctrinæ pars altera ea eſt, quod acri judicio, atque criterio polleat: Singulare hoc eſt, atque nobile doctrinæ ornamentum, & appendix, quæ in magna etiam

(*a*) Argumentum fuſe proſequitur Monteſquieu L'eſprit des Loix.

etiam eruditione, atque doctrina non raro deſideratur; cum diverſa omnino ſint animæ ornamenta, atque munia. Iis vero quiſquis careat, hiſtoriæ conſcribendæ animum omnino deponat. Judicium ſcilicet, atque criterium duo illa ſunt, quo non modo prudenter in conſulendis agendiſque rebus, ſed etiam in veris a falſis, probabilibus ab improbabilibus ſecernendis valemus: ea nos ab erroribus amplectendis avertunt; lumenque & regula ſunt, quibus & mentem & animum recta dirigere, & quid credere, quid rejicere, quid in medio relinquere oporteat, agnoſcimus. Atque præcipuum hoc eſt judicii, atque criterii munus, & character: Ea qui habent, a natura potiſſimum dona accipiunt, ſtudio tamen, optimorum librorum lectione, atque meditatione excolunt. Primum judicii, atque criterii munus, ad rem noſtram maxime neceſſarium, eſt, mentem animumque noſtrum a nimia credulitate immunem ſervare. De rebus paſſim hiſtoricorum teſtimonio confirmatis dubitare, omnia expendere, atque diſcutere; errorum, atque fallaciarum fontes explorare, vel ii ad animum mentemque Scriptoris, vel ad ſenſuum noſtrorum imperfectionem, vel ad ipſarum rerum circumſtantias, occultamque naturam ſpectent, res eſt, quæ & credulitati opponitur, & a prudenti judicio, atque criterio longo rerum uſu, lectione, & meditatione confirmatis obtinentur. Prudenter dubitare, maximum humanæ ſcientiæ una cum criterio ſemper conjunctæ argumentum, atque teſtimonium haberi debet: medium hoc eſt inter vitioſa illa, & fugienda maxime extrema, credulitatem, atque Pyrrhoniſmum, hoc eſt, omnia, aut fere omnia in dubium vertere, omnia, aut fere omnia credere: quorum primum magnæ eruditionis citra judicium, ſecundum ignorantiæ ut plurimum fructus exiſtit; neutrum cum mentis criterio, atque judicio componi poteſt. Quod ſi duo hæc in hiſtoriographo univerſim requiruntur; illis in primis neceſſaria ſunt, qui res ad Religionem ſpectantes, miracula, & alia ſimilia referunt. Religione enim, atque fide ducimur potiſ-

tiſſimum homines : magnum illa in nobis exercet imperium : itaque a natura comparati ſumus, ut quæ religionem, Deumque ſpectant, magna animi reverentia ſuſpiciamus : Numinis cognitio, noſtrimet amor, futuræ vitæ ſollicitudo, aliquis etiam pietatis ſenſus, humanis mentibus a natura fere inditus, atque ratione confirmatus, mentem, animumque noſtrum ita afficiunt, ut religioni vertamus, atque in pietatem piaculum committere videamur, ſi quæ res ſacras ſpectant, aut ſcrupuloſius examinemus, aut in dubium revocemus, aut etiam, ut falſa, rejiciamus. Religionis igitur hiſtoria, facta ad religionem, numiniſque cultum ſpectantia, miracula, ſanctorum vitæ, atque res geſtæ, ſiqua alia, hiſtoriographum minime credulum, judicii criterio maxime præditum, de rebuſque prudenter dubitandi doctum requirunt. Magno Catholicæ religionis bono factum eſſet, ſi qui ſacra poſteritati tranſmittunt, ab ea animi credulitate ſibi caverent, ut alia omittam, quibus hiſce in rebus peccatur : tot enim in religionis hiſtoriis, ſanctorum vitis, ejuſmodique aliis non legeremus falſa miracula, quæ dedecori potius eorum auctoribus ſunt, quam veram religionem non credentibus commendent.

Regula IV.

609. *Quod animum ſpectat, ea ſit hiſtoriographi probitas, genius philoſophicus, ſeu veritatis amor, quem nulla humana ſtudia, ex patria, ſecta, ſanguine, aliiſque ſimilibus de fontibus profluentia perturbent, mentem offuſcent, animum flectant.*

Regulæ veritatem, æquitatem, immo & neceſſitatem nemo non videt : de primaria enim hiſtoriæ lege, atque hiſtoriographi munere agitur, quod eſt, puram putamque veritatem ſemper aperire : id vero unum eſt, quod ex una parte ardens veritatis amor firmat, ex alia vero humana ſtudia infringunt.

gunt. Porro quid antiquis præjudiciis, quid ſectæ, patriæque amori, quid etiam ſanguini, aliiſque humanis ſtudiis, & affectibus in rebus referendis homines tribuamus: quantum hæc omnia ſcriptoris animum inflectere valeant, atque a veritate deducere, perenne omnium temporum, & hominum experimentum docet: immoderatus ſcilicet noſtri amor (eo enim omnia tandem evadunt, ac terminantur), earumque rerum ſtudium, quæ nos propius ſpectant, noſtræque dici aliqua ratione poſſunt, mentem animumque hominis ſemper corrumpunt; dumque partium ſtudiis afficiunt, judices agere non permittunt. Nihil eſt, quo hujuſmodi humanorum affectuum vi ac torrenti abſiſti poſſit, niſi amor veritatis purus, ac philoſophicus, qualem in humano animo terrenis hiſce ſpoliato facile concipimus. Eo igitur philoſophico genio, juſti verique tantum ſtudioſo, quo aliena nos minime ſpectantia, aut tangentia intueri, ac dijudicare ſolemus, quo antiquiſſimarum nationum res geſtas legimus, calamum arripiat, & hiſtoriam aggrediatur ſcriptor. Interim tamen problema ego philoſopho non indignum proponerem, *fieri ne humana conditione, diligentia, & arte poſſit, ut præſenti rerum ſtatu humanus animus ſeſe, ſuaque omnia perinde ut aliena habere, atque tractare poſſet*. Problema, quod ſcioli, atque philoſophorum vulgus in triviis ſolvere non dubitabunt, penitiſſimum tangit phyſicæ conditionis, naturæque noſtræ arcanum: in eum enim modum res devolvitur, quo agunt in nos quidem externa objecta, in animam vero corpus: quove etiam animus ex peculiari ipſius indole, atque ex ea, quam cum corpore habet, unione, ſe ſe, & alia corpora reſpicit. Qui noſtram hominum indolem, cordiſque noſtri affectus ſedulo contempletur, datam ille regulam, quantumvis ſpecie obſervatu facilem, veram pariter, æquam, atque difficilem exiſtimabit. Innumera paſſim in rem noſtram adduci poſſent exempla: Hiſtorici omnes, aut de ſe, ſuiſve, patria, parentibus, ſe-

cta, natione, aut de alienis ſcribunt, idque aut noſtra, aut aliorum fide tradimus: ſi primum, affectibus excæcamur: ſi ſecundum, cum res tandem in fontes, hoc eſt, primos factorum teſtes refundatur, tota narrationis fides in Scriptorum ſua narrantium fidem redigitur: adeo ut quacumque tandem hiſtoricæ auctoritatis, atque fidei analyſim ad primos uſque fontes, ac elementa proſequamur; narrationem per infectos ut plurimum canales profluxiſſe animadvertamus. Legem tamen, ut ab omni hiſtoriographo accurate obſervari deberet, impræſentiarum tradimus, parum alioquin ſolliciti, quantum a tradita ſcribendi lege ſcriptores aberrent.

Regula V.

610. *Non ex traditionibus, rumoribuſque popularibus, aut obſcuris aliorum relationibus, ſed ex propriiſmet experientiis, atque ſenſibus vel tandem ex graviſſimorum teſtium, qui rem ipſi præſentes viderint, facta referat hiſtoricus: eſt dicere: ſit narratis a ſe rebus coævus, & præſens, aut ex coævis, atque præſentibus teſtibus facta quæcumque accipiantur, & narrentur.*

Præſens regula in illud jam ſuperius indicatum recidit, quod hiſtoriæ fides in primos tandem factorum teſtes refundatur: rei a ſe neque viſæ, neque ullo alio ſenſu perceptæ nullus hominum eſſe poteſt idoneus teſtis. Singillatim tamen legis hujuſce partes explicemus. Hiſtoricus quicumque ſcriptor, qui factis a ſe narratis neque coævus, neque præſens fuerit, ab ipſiſmet factis & loco, & tempore diſtat: jam vero ob ſingulas haſce temporis, atque loci diſtantias hiſtoricam humanarum rerum veritatem offuſcari, ſenſimque imminui, nemo ibit inficias: quæ enim a nobis utraque illa ratione,

atque

atque diſtantia removehtur, pervenire ad nos non poſſunt, niſi longa locorum peregrinatione, temporiſque ſucceſſione, quibus ab una in aliam generationem, ab una in aliam gentem ſucceſſive pertranſeant: quo quidem in tranſcurſu ob labilem memoriæ noſtræ indolem, atque ex indito illo homini pruritu facta quæcumque ornandi, augendi, minuendi, extenuandi, immutandi plurima aſtruuntur falſa, plurima detrahuntur vera, milleque rei ipſius circumſtantiæ variantur: rem ipſam quotidiana experientia demonſtrat, cauſſam vero noſtræmet hominum conditionis, atque ingenii inſpectio conficit.

611. 2°. Facta quæcumque novimus, aliqua ex his tribus rationibus, populari, obſcuroque rumore, aut aliorum præſentium teſtium fide, aut noſtromet ſenſuum teſtimonio ediſcimus; prima conjecturam tantummodo, magis minuſve levem conſtituit, ſecunda a minima probabilitate ad certitudinem moralem pertingit, tertia denique certitudinem phyſicam efficit, ſi ea ubique obſerventur, quæ pro hujuſmodi comparanda veritate ſuperius tradidimus. Tria itaque hæc ſunt univerſalia fidei documenta, quibus omnis hiſtoriæ veritas innititur: iſque eſt illorum ordo, ut propria ſenſuum experientia maximam, quæ a nobis habere poteſt circa rerum exiſtentiam, efficiat certitudinem, ſitque proinde humanæ cuicumque veritati aſſerendæ ſufficiens: vulgares rumores aliquid forſan veri inter quamplurima falſa, innumeraſque fabellas deliteſcens continent; ſed ad prudentem rei aſſenſum pares eſſe non poſſunt: ſecundum vero illud humanæ fidei documentum ex aliorum teſtimonio ductum, inter duo alia medium aliquid de utroque participat, atque ut populares rumores longe ſuperat, ita & phyſico ſenſuum teſtimonio, atque evidentiæ plurimum cedit, niſi moralem etiam ipſum certitudinem, atque evidentiam efficiat. Ad ſenſuum teſtimonium eatenus accedit, quatenus in immediatam tandem ſenſuum, & primorum obſer-

vatorum experientiam refunditur: niſi enim eo deveniamus, hujuſmodi etiam teſtimonia in populares rumores fere degenerant: eo vero & plurimum a phyſica ſenſuum, propriæque cujuſcumque experientiæ certitudine recedunt, quod ipſamet præſentium alias teſtium fides, dum per alios, & alios ſucceſſive ad nos tranſmittitur, plurimum de humanarum traditionum natura, obſcuritate, atque incertitudine contrahit: quod univerſis traditionibus humanis ſollemne eſt, & ab indicatis ſuperius cauſſis originem ducit. Secundi igitur hujuſce generis documentorum fides quamplurimas admittit conjecturæ, probabilitatis ad moralem uſque certitudinem gradus, prout magis minuſve a ſimplici experimento ſenſuum ad vulgares traditiones, atque rumores accedit. Plurimorum hominum teſtimonia, qui & rem ipſi viderint, & numero, doctrina, probitate, ſtudiorum, atque affectuum diverſitate differunt, moralem certitudinem efficiunt, cum & ipſa ſibi conveniunt, & in prima origine ſiſtimus: eamdem etiam moralem certitudinem ſecum ſemper deferunt prædicta teſtimonia, cum non puræ hominum traditioni ſervanda committuntur, ſed ſcripto, aliiſve monumentis conſignata ſtudioſe ſemper incorrupta ſervantur, & ad poſteros pura tranſmittuntur. Eo enim caſu humanæ veritatis, & evidentiæ fonti, primitivo, atque ſimplici multitudinis teſtimonio, ſenſuumque experientiæ inſiſtimus: ipſimet factorum teſtes rem nobis poſt aliquot ſæcula citra ullam humanarum traditionum ſeriem enarrant: neque rem nobis alii ex aliis referunt, ſed ipſimet oculares, atque primitivi teſtes veritatem nobis per ſe ipſos aperiunt: atque hac quidem ratione evidentia morali certa nobis ſunt omnia chiſtianæ religionis monumenta, miracula, & documenta, quibus vera noſtra Chriſtianorum fides innititur. Quod ſi veterum monumentorum, atque factorum memoria aliis modis (plurimi enim eſſe poſſunt) ad nos perveniat; moralis evidentiæ notam non amplius ſecum deferet, ſed ad probabilita-

ta-

tatum, aut conjecturarum provinciam deſcendet. Harum poſtremis annumerari debent peculiares omnium nationum origines, & regnorum primordia: quidquid auctores in patriæ, & gentis ſuæ gratiam ſcripto tradunt, & corraſis undique documentis, teſtimoniis, rationibus confirmare ſtudent, puræ putæ ſunt conjecturæ, aut chymeræ a veritate toto cælo aberrantes.

612. Satis tamen ad hiſtoriæ veritatem non eſt, ab auctore coævo gentili, aut externo tradi: ut alia enim prætermittam, quæ datis jam, & dandis adhuc regulis cavebimus, multa etiam ab coævis auctoribus timenda ſunt: probitatem, prudentiam, doctrinam, diligentiam, aſſiduitatem, laborem, milleque id genus alia hiſtoriographo prorſus neceſſaria in homine ponamus; at vel gentilem domeſtica facta ſcribentem, vel externum potius auctorem habemus: ſi primum, quænam a partium ſtudiis, a patrio conſanguineorum, atque amicorum amore, hoſtium, adverſæ factionis, atque partium odio timenda non ſunt falſitatis pigmenta, fucus, atque adulterini colores? Quotidiana rei ipſius exempla paſſim videmus: unum idemque factum, literarias concertationes, religionis certamina, armorum conflictum, atque illuſtrem victoriam gentis noſtræ virtute partam, quamplurimi ejusdem plane gentis, atque patriæ, diverſarum tamen ſectarum, amicorum, ſtudiorum homines, præſentes totius rei teſtes ſpectemus, & ad amicos unuſquiſque ſuos ſcribamus: ſingula tot hominum teſtimonia, rerumque expoſitiones ſecum ipſis conferamus: mirum enimvero eſt, quanam non modo circumſtantiarum, ſed factorum varietate, coloribus, milleque aliis accidentibus res ipſa depingitur, atque deſcribitur. Demus parumper omnes illas de uno eodemque facto relationes ab ocularibus conſcriptas in Sinenſis Mandarini manus incidiſſe, aut etiam docto alicui homini poſt aliquot ſæcula in vivis acturo, & noſtrorum temporum hiſtoriam ſcribere aggreſſo, tamquam unica illius

facti documenta, & præſentium teſtium teſtimonia, atque monumenta a vermium, atque temporis injuriis immunia tradi: quodnam ille de re tota judicium ferret? Præterea vero innumera ferre accidunt, quæ ab auctore coævo citra fortunarum, aut capitis etiam periculum referri omnino non poſſunt, quandiu familiæ principes ſummæ rerum potiuntur, thronum, atque imperium tenent; illique magnates eorumque poſteri in vivis agunt, qui eas in ſcæna partes egerunt, quæ citra gentilitii nominis, atque ſanguinis dedecus referri nequeunt. Quid enim in plena diſcriminis alea agendum, niſi omnia prudenti ſilentio involvere, & poſteritatis inſtructionem propriæ ſecuritati poſthabere? Eo ſane conſilio ducti res geſtas ſui temporis cordatiores hiſtoriographi prætermiſerunt.

613. Alia ex parte in externo noſtrarum rerum ſcriptore præter multa alia, animi in primis æquitatem, nullis partium ſtudiis inflexam, perfectam, & morum, legum, conſuetudinum, religionis, atque rationum cognitionem ut plurimum deſideramus, & rariſſime offendimus. Plurima in parvo hoc Europæ angulo habemus ejus rei exempla, cum Gallus v. g. de rebus Hiſpanis, aut Luſitanis, atque viciſſim hiſtoriam ſcribere aggrediuntur: in palmares enim errores paſſim incidunt, quibus rerum ſuarum peritioribus irriſioni ſunt. Atque ex his omnibus ſatis manifeſte patet, quam difficile, rarumque ſit, hiſtoriam omni ex parte perfectam, numeriſque omnibus abſolutam invenire. Si hiſtoricos audias, ſanctum illud apud eos, atque ſtatutum leges, nihil ſeſe, niſi nudam, ſinceramque veritatem amare, quærere, & conſcribere: humana tamen hæc ſunt, humanamque conditionem, affectus, & animum ſapiunt: communis hæc omnium hominum cantilena, quam omnes norunt, omnes repetunt, nullus credit, cum ipſiſmet factorum narrationibus fere ſemper pugnat: nihilque in hiſtoria magis obvium, & ſollemnius, quam veritatem ſtudio, ignorantia, timore, milleque aliis

de

de cauſſis prætermiſſam, occultatam, adulteratam, falſiſque coloribus depictam offendimus. Quapropter non multum a veritate abludere exiſtimo probatam illam ab eruditis paſſim, criticiſque hominibus ſententiam, *Civiles nationum hiſtorias non tam rerum ab iis gentibus geſtarum, quam idearum, quibus illæ ſe ſuaque vident & cetera deſpiciunt, relationes plerumque exiſtere.*

Regula VI.

614. *Omnis hiſtoriæ veritas a quocumque tandem ſcriptorum numero tradatur, in rei ipſius documenta, ſeu primum auctorem refunditur, qui rem ipſam aut vidit, aut primus ſcripſit: hiſtoricorum proinde numerus, alii ex aliis factum accipientes, atque aliis pariter tranſmittentes, hiſtoriæ fidem non auget.*

Rem per ſe ſatis manifeſtam, a nemine in dubium merito vocatam, atque ex ſuperioribus deſcendentem probare ſuperfluit. Peloponeſiacum bellum primus deſcripſit *Thucidides* coævus ſcriptor, & rerum ipſarum non modo teſtis ocularis, verum etiam actor non poſtremus: innumeri poſtea ſcriptores ex diverſis gentibus, variiſque ætatibus, atque regionibus eamdem nobis hiſtoriam ex Thucidide recantarunt: ſi unde hæc habeant, ab iis quæras; ex Thucidide, reponent: integra igitur eorum omnium fides, factorum veritas, & tot auctorum teſtimonia, ſuo calculo rem probantia, in unum Thucididem refunduntur: qui ſi caſu aliquo, aut alicujus diligentia apocriphus, depravatus, aut impoſtor extitiſſe conficeretur; tota illico omnium illorum auctorum teſtimonia, atque fides, ſubducto fundamento, collaberentur. De factis enim, atque rerum exiſtentia agimus, quæ ſen-

ſuum quidem perceptione, non ratione, aut gregariis hominum teſtimoniis probantur: teſtiumque numerus per ſæcula ſeſe ſucceſſiva excipientium non rei quidem veritatem, ſed facti traditionem demonſtrat.

615. Fieri tamen poteſt, ut ſuccedentibus ſæculis nova detegantur documenta, conjecturæ, argumenta, primis hiſtoriæ auctoribus ignota, quæ rem ipſam confirment, aut pondus prioribus monumentis ſuperaddant; ut ſi aliquæ modo inſcriptiones in Luſitania excavarentur, quibus illuſtria illa, & antiqua noſtrorum regum contra Mauros facta, atque victoriæ conſtarent: vel ſi in ipſis Maurorum hiſtoriis illorum temporum res geſtas narrantibus, manuſcriptis, aliiſque earum gentium monumentis eam rerum, atque eventuum ſeriem inveniremus, quæ aut hiſtoriam noſtram aperte aſſererent, aut cum illa maxime conguerent. Ab iis ſane novis antiquarum rerum documentis major noſtris rebus lux accederet. Attamen ſi rem, ut par eſt, perpendamus, hujuſmodi etiam documenta in ſpeciem quidem nova, re tamen antiqua, in prima, atque originalia rerum monumenta reducuntur, quæ labente tempore aut matureſcunt, aut in lucem publicam extrahuntur, aut tandem explicantur, ut nihil inde data modo regula infringatur, ſed magis potius confirmetur.

Re-

Regula VII.

616. *In hiſtoria quadruplex diſtingui debet rerum ordo, quod veritatem, atque falſitatem attinet; ſunt ſcilicet aliqua plane certa, ſunt probabilia, ſunt pure conjecturalia, ſunt tandem falſa.*

Hæc vero omnia in uno eodemque auctore de uno eodemque argumento agente deprehenduntur; quæ ut alia ab aliis recte diſtinguantur, lectorem requirunt neque pyrrhonicum, neque facile credulum, neque indoctum, ſed judicio pollentem, iiſque criticæ regulis inſtructum, quas hactenus per totam hanc logicam dedimus, & ulterius adhuc afferemus. Univerſa vero hæc rerum diſcrimina ab iis etiam fontibus, atque primitivis hiſtoriæ monumentis ſunt, quibus hiſtoricorum fides, atque veritas innititur: ſingula breviter attingemus.

617. Certum in hiſtoria haberi debet, quidquid iis teſtimoniis, atque monumentis innititur, quæ moralem evidentiam, aut certitudinem generant: quæ ſuperius fuſe explicavimus, cum hujuſmodi evidentiam expoſuimus. Quæ illo v. g. teſtium numero, atque teſtimoniorum ſibi conſtantium multitudine afferuntur, ut omnem in illa ſtudiorum, affectuum, humanarumque paſſionum diverſitatem agnoſcamus, quæ & homines doctos, & religione, ſecta, & patria diverſos comprehendat: quæ, inquam, hujuſmodi monumentis conſtant, pro indubiis omnino ſtatuenda eſſe oportet. Ejus conditionis ſunt omnia facta, & miracula, quibus noſtra Chriſtianorum fides ſuperſtruitur, ut illa in dubium vocare, aut religionem iis demonſtratam impie inficiari, aut captandæ gloriolæ, vanæque acris judicii exiſtimationis comparandæ cauſ-

ſa

ſa ſceptico more tractare, hominum ſit, quibus eas, quas tantopere affectant, criterii, doctrinæ, prudentiæ, judicii, atque ingenii laudes per ſummam tantummodo injuriam tribuas.

618. Probabilia in rebus hiſtoricis, ut & in omnibus rebus aliis, multiplici inter ſe gradu diſtinguuntur: 1°. Quod a pluribus hiſtoriographis, hominibus quidem & probitate, & doctrina conſpicuis non modo facto coævis, ſed præſentibus etiam teſtibus traditur, maximum probabilitatis gradum, quem ab humana fide habere poſſimus, in ſeſe continet; præcipue ſi ea enarrent, quæ neque communibus naturæ legibus, opponantur, neque cum aliis ſcriptoribus, locorum, & temporum circumſtantiis pugnent. 2°. Singulare etiam unius ſcriptoris teſtimonium, in quo non ſolum probitas, & omnia modo recenſita eniteant, ſed præterea eo etiam tempore hiſtoriam ſuam in lucem edat, cum magna adhuc hominum multitudo totius rei conſcia in vivis agit, qui neque facile ſibi imponi, neque humanam ſocietatem impune irrideri patientur. 3°. Quæ ab inferioris etiam notæ ſcriptoribus traduntur, tamquam probabilia accipi poſſunt, & debent, dummodo illa vulgaribus naturæ legibus, communibuſque humanæ ſocietatis conſuetudinibus conſonent, & a peculiaribus nationis, de qua agitur, moribus non abludant, neque ab aliis auctoribus negentur, qui aut numero, aut auctoritate præferri merito debeant. 4°. Quod ſi hiſtoriographi in contrarias abeant partes, atque de rerum ſumma, aut circumſtantiis diſſideant; tum vero pro vario auctorum numero, probitate, ſcientia, integritate, atque animo a partium ſtudiis libero dijudicanda res eſt, atque varii probabilitatis gradus utrique parti tribuendi: illa enim ſunt capita, atque fontes, unde major, minorve auctorum fides, atque auctoritas emanat. Eſt aliquando, cum vel unicus auctor mille aliis oppoſitam partem aſſerentibus non modo par eſſe poſſit, ſed præferri etiam debeat: exemplo res ſit, apud innu-

numeros fere auctores celebrem illam *Ariſteæ* fabulam de 72. Sacræ paginæ interpretibus hebræis ab Ægyptio Rege Hyeroſolima acceſſitis, & in inſula Pharo 36. cellulis incluſis narratam, atque probatam legimus; eam tamen criticorum omnium judicio ſola *D. Hieronymi* auctoritas evertit: *Hieronymus* enim, ut erat homo inter omnes Patrês judicio, eruditione, ſacrarum Litterarum cognitione, & linguarum orientalium peritia, atque critices ſtudio acerrimus, facile rei totius originem inveſtigavit, & antiquiorum Scriptorum aut impoſturam, aut facilem credulitatem patefecit.

619. Alios probabilitatis gradus, qui plurimi in re præſenti debent ſcrupuloſius, atque ſingillatim diſtingui prætermitto: ſatis ſit ex ſuperioribus ſequentia colligere, & breviſſime ſtatuere: 1°. hiſtoriæ probabilitatem plures habere gradus, majoremque, aut minorem exiſtere, prout magis, aut minus a duobus illis totius humanæ fidei fundamentis, Probitate, & Scientia recedunt, magis minuſve ab evidentia morali deflectunt, & ad conjecturam accedunt. 2°. Generatim igitur creſcit aſſertæ hiſtoriæ probabilitas ex ocularium teſtium, aut ſcriptorum etiam eamdem rem aſſerentium numeró. 3°. Ex aſſertarum rerum cum notiſſimis naturæ legibus, locorum, temporum, nationis genio, moribus, legibus, conformitate. 4°. Ex minori inter auctorem, & factum temporis diſtantia. 5°. Ex majori, atque profundiori hominis de iis, quæ ſcribit, aut in argumentum incidunt, ſcientia. 6°. Ex acrioris mentis criterio, prudentia, atque judicio. 7°. Ex accuratiori in rerum documentis conquirendis, diſcutiendis, examinandis diligentia. 8°. Tandem ex ipſa hominis in veritate dicenda integritate, minoribus partium ſtudiis corrupta. Hæc, inquam, ſunt potiſſima illa capita, a quibus hiſtorica veritas, atque ſcriptorum fides, & auctoritas dependet, & profluit. Rariſſimum eſt, & vix ab hominibus ſperandum, hiſtoriographum prædictis omnibus ita ornatum reperire, ut non multa in illo

illo deſideremus ad hiſtorici munus ſpectantia, atque neceſſaria. In hiſtoricis igitur alia aliis compenſantur; ſunt, qui probitate magis, atque integritate prædicentur, parum tamen doctrina, atque criterio polleant: in aliis doctrinæ profunditatem, & amplitudinem demiraberis, quos tamen parum ſinceros, aut nimium credulos animadvertes: uno verbo, hiſtoriographum, in quo nihil merito deprehendas, aut deſideres, vix unum, aut alterum offendes.

620. Conjecturalibus annumerabimus, quidquid in hiſtoria legimus, quod neque evidentia morali, neque prudenti probabilitate conſtat, neque tamen aliunde falſum eſſe demonſtratur: hujuſmodi ſunt, quæ hiſtoriographi parum alias ſcientia, atque probitate commendandi ſcripſerunt, neque ab aliis commemorantur ejuſdem argumenti ſcriptoribus: 2°. quæ vulgaribus tantum rumoribus innituntur: 3°. quæ longa, aut obſcura traditione orali ab aliis ad alias generationes tranſmiſſa ſunt: 4°. quæ in teſtes rei præſentes reſolvi nullo modo poſſunt: 5°. Quæ tandem (ut plurima inſimul comprehendam) levibus ſolummodo congruentiis ab analogia, loco, tempore, rerumque ſtatu petitis fundantur. Ad hanc claſſem ſpectant innumera fere antiquæ hiſtoriæ capita, obſcura illa quidem, atque remotiori antiquitate involuta, quæ pro ſæculi noſtri, atque hujuſce ætatis eruditorum genio, ſummo labore, atque ſudoribus litterati paſſim rimantur, & in lucem extrahere faſtidioſis ut plurimum diſſertationibus aggrediuntur: qualia ſunt Ægyptiorum regum hiſtoria, atque dynaſtiæ, pyramidum Mempheos auctores, natalia tempora, uſus; omnium fere nationum initia, omnis plane antiquitas, quæ noſtram Europam ſpectat; atque infinita hujuſce farinæ alia, quæ captandæ gloriolæ cauſſa ſummis ſtudiis aggredimur, & novis ſubinde tenebris offundimus.

621. Quæ falſitatis nota apud hiſtoricos inuruntur, ad hæc potiſſimum capita reduci poſſunt.

1°.

1°. Quidquid ita narratur, ut vel ſecundum rei ipſius ſubſtantiam, vel ſecundum circumſtantias aut naturæ legibus opponatur, aut ejuſdem vires penitus ſuperet, aut naturali, proprioque hominum genio refragetur. Naturæ enim vires, atque leges ſunt totidem teſtimonia, quæ ſola hominum auctoritate probabili ſuperari, compenſari, aut æquari non poſſunt. Et hinc falſa ſunt omnia poetarum commenta, & mirabilia, ornandæ poeſeos, atque lectorum animos alliciendi cauſſa, ab fœcunda imaginatione inventa, atque confićta. Pari etiam de cauſſa merito rejiciuntur mirabilia quamplurima, quæ creduli nimium auctores de rebus tempore, aut loco a nobis plurimum diſſitis agentes tradiderunt. Unica hujus regulæ exceptio eſſe poſſunt, & debent miracula, quæ & veræ religionis confirmandæ gratia patrata eſſe dicuntur, & morali inſimul certitudine, aut maxima probabilitate conſtant. Rem ſuperius explicavimus, & ulterius promovere ſuperfluit. 2°. Quod nationis moribus, legibus, vivendi rationi, climati, tempori, loco conforme non eſſe, immo potius refragari certo conſtat. Hæc enim omnia aut naturæ legem ipſa etiam efficiunt, aut ad eam proxime accedunt, quæ proinde ab ullo hominum teſtimonio convelli facile non poſſunt, neque oppoſita confirmari. 3°. Quæ ab uno, aut pluribus hiſtoriographis aſſerta, ab aliis tamen longe gravioribus, pluribuſque capitibus fide dignioribus negantur. In hoc enim caſu gregariorum tantummodo hominum teſtimonium, & auctoritas ad oppoſitæ partis auctores, atque ſidem relata nullius plane ponderis exiſtit, neque prudenti dubitationi locum relinquere poteſt. 4°. Quæcumque ab coævis, gravibuſque auctoribus omittuntur, quorum muneris, argumenti, diligentiæ eſſet, ea, ſi vera eſſent, ſilentio non premere: hæc, inquam, ſi alii deinceps ſcriptores, cum prioribus quidem neque temporis, aut loci circumſtantiis, neque doctrina, aliiſque ad veritatem aſſequendam adminiculis comparandi affirment, tamquam

quam falſa explodere debemus. Qui enim credi poteſt, homines & doctrina, & probitate, & diligentia præſtantes ea prætermiſiſſe, quæ poſteritati tradere eorum muneris, atque argumenti erat, neque eos aliunde latere potuiſſent? Hujuſmodi factis plenæ ſunt hiſtoriæ. Exemplo ſit decantata illa Papiſſa *Joanna*, ſeu Pontifex femina, quam nono labente ſæculo Romanam Eccleſiam, & Cathedram occupaſſe, multis poſt ſæculis hiſtorici aliquot Catholici commenti ſunt, & maxima hodie heterodoxorum pars avide arripuerunt: dum alias factum prorſus ſingulare, novum, inauditum, in publico totius mundi theatro editum nullus coævus ſcriptor, aut iis temporibus per tria priora ſæcula vicinus comminiſcitur. Me quidem puderet, etſi Sinenſis Doctor, nulliuſque religionis exiſterem, commentum illud contra omnes criticæ, atque prudentiæ regulas ut verum admittere, graviter enim in philoſophiam, naturalemque rationem ab omnibus partium ſtudiis immunem me peccare exiſtimarem. Neque video, quid inde emolumenti ad Proteſtantium doctrinam confirmandam, Romanamque fidem labefactandam deducant tot eruditi Proteſtantes, qui acriter, atque mordicus prædictam fabulam propugnant. Etſi enim facti veritatem parumper daremus, quid inde diſcriminis in rei cardinem, atque ſummam derivaretur? Romanam ego ſedem, atque ſupremam Chriſtianæ religionis cathedram aliquot annis ſingulari humanarum rerum eventu, hominumque malitia vacantem dicerem, interimque, dum ſcænam legerem (id quod & nunc facio) ob ſingularem actorum, atque argumenti novitatem riderem.

Regu-

Regula VIII.

622. *Partium ſtudia hiſtoriarum veritatem prorſus labefactant, & hiſtoricorum auctoritatem, atque fidem adimunt.*

Regulæ veritatem nemo per ſeſe non videt: cum igitur *verum dicere* primum illud ſit hiſtoriæ caput, eſſentia, & ſcopus, quo omnis hiſtoria, atque hiſtoricorum labores ſemper tendunt: aliaque ex parte nihil ſit, quo ipſamet factorum veritas magis offuſcetur, atque implicetur, quam diverſa partium ſtudia, & affectus, quibus hominum animi ducimur, quamdiu inferiora hæc habitamus, eorumque partes exiſtimus; ſatis apparet, quonam ſtudio, atque animorum ardore infauſtum illum veritatis ſcopulum, in quem maxima hiſtoriographorum pars infeliciter impingit, evitare debeamus. Atque hæc de argumento graviſſimo, & Logicæ proprio breviter dixiſſe contenti, ad ulteriora progrediamur.

P.IG. MONTEIRO S.J.

LUSITANI

LOGICA

SEU ARS CRITICA AD RATIONEM DIRIGENDAM,

Et ad Studioſæ Juventutis inſtitutionem accommodata.

TOMUS PRIMUS

PARS II.

VENETIIS MDCCLXVIII.
TYPIS ANTONII ZATTA.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

LOGICÆ
PARS QUINTA

DE

Mente humana diſcente, atque docente;

SEU

De Methodis; de Methodo & Regulis diſcendi; de Methodo & Regulis docendi; de Methodo & Regulis dubitandi; præjudicia; ceteroſque errorum fontes agnoſcendi, & corrigendi: de humanæ mentis viribus; errorum cauſſis atque medicina.

LECTIO PRIMA.

De Methodo generatim, in ſpecie verò de Syntheſi, & Analyſi.

§. I.

623. QUintam attingimus Logicæ noſtræ partem ordine quidem omnium poſtremam, utilitate tamen, atque dicendarum rerum copia primam, aut inter primas recenſendam. Ad methodum ſcilicet pertractandam, magis compoſitam, & poſtremam humanæ mentis operationem devenientes, quæ totum eſt hujuſce partis argumentum, ea aggredimur, quæ in uſu maxime ſunt, & practicam humanæ mentis inſtitutionem, atque directionem conſtituunt. Neque aliud methodi diſcendi, atque docendi nomine intelli-

telligimus, quam practicam mentis directionem, & litterariam inſtitutionem, qua humana ratio alicujus ſcientiæ aut artis ſtudio addicta rectum ſemper tramitem inſiſtat, quaque incedendum ſit, quid omittendum, quid quærendum oporteat, agnoſcat. Nuncupari hæc merito poſſet litteraria hominis inſtitutio, quæ mentem ſolummodo, atque mentis propria ſpectat, aliamque jam peractam ſupponit, liberalem, & univerſalem magis inſtitutionem, atque inceptam a cunis educationem, quæ plurima quidem ad corpus, & naturam, multa ad animum, aliqua etiam ad mentem ſpectantia comprehendit. Et quidem in iis, quæ ad corpus, & naturam ſpectant non pauca ego ex *Lockio*, *Rouſſeau*, & *Quintiliano* deſumpta præcepta in uſum deducta vellem, plurima ſane vitaremus mala, ægritudines, præjudicia a cunis hauſta, quibus per totam vitam laboramus, & quaſi eſſent ab ipſamet natura indita, colimus, & amamus, aliiſque inſtillanda atque docenda curamus. Quæ tamen puerilis ætatis ſunt, omnino prætermittentes, maximi ſane momenti problema, quod totum humanum genus tangit; & feminarum, pediſſequorum, ſervorum genio, præjudiciis, ignorantiæ ſolvendum relinquitur, mentem humanam jam matureſcentem, omnia puerilia, atque juvenilia crepundia deſpicientem, & maturitati proximam ſupponimus; quæ a denſo tandem illo nubium velo, quo in puerili ætate homines offundimur, penitus explicata, puram rerum veritatem clare intueatur, amare, & quærere incipiat.

624. Methodi nomine duo ſolummodo intelliguntur *Syntheſis*, atque *Analyſis*, quarum naturam & regulas inferius dabimus. Qui hiſce tantum duobus capitibus exponendis inſiſteret, generalia ille quidem, & abſtracta principia, aut potius notiones explicaret; parum rationem ipſam uſu manuduceret. Studere, diſcere, docere, dubitare, rejicere; & hæc quidem, aliaque titulo indicata prudenter peragere, non minima eſt litterariæ inſtitutionis & methodi pars, atque ad ipſummet vitæ uſum penitus deſcendit. Ut hæc tamen

men rite peragantur, ipſius humanæ mentis capacitatem, defectus, errorum fontes, atque remedia prius cognoſcere oportet, ut quid noſtrum cuilibet aggrediendum, quid vitandum, quid ſperandum, qua tandem incedendum ſit, nobis innoteſcat. Quæ præterea ſit mentis animique indoles unicuique noſtrum peculiaris, in quaſnam artes, ſcientias, ſtudia genio & natura ducibus feramur: generalem denique, atque perfunctoriam ſcientiarum, & artium ideam prius habere perſpectam juvabit, ut cum tandem & noſtræmet mentis capacitatem, atque objecta, & quo nos natura ipſa impellat, aut adducat agnoſcamus, tum vero rem ipſam feliciter ſecundum prudentioris criticæ regulas aggrediamur.

§. II.

Quid ſit methodus generatim, & quotuplex.

625. *Methodus* generatim accepta eſt *peculiaris ille ordo, ſeries, atque diſpoſitio, qua noſtras ideas cogitationes, judicia, aut ratiocinationes ad veritatem aut inveniendam aut docendam diſponimus*. Suum utique eſſe in rebus omnibus naturalem ordinem, quo ipſæ ſponte velut ſua aliæ poſt alias diſponi, atque collocari non modo poſſint, verum etiam debeant, ex rebus ipſis ediſcimus: idque eſt quo magnopere allicimur, cum materialia quæcumque corpora, quarumcumque artium propria, eo inter ſe ordine diſpoſita intuemur, quem natura ipſa probare, atque requirere videtur: dum contra cum alia aliis permixta, atque confuſa exiſtunt, nullum inter illa ordinem eſſe, atque ſervari dicimus. Ut in rerum exiſtentia, ſic & in rebus ipſis cognoſcendis, atque veritatibus ſua debet eſſe peculiaris diſpoſitio, quam quidem dum rerum exiſtentiam tantum conſideramus, ordinem nuncupamus, cum de earumdem cognitione, inventione, atque explicatione agimus, *Methodum* appellamus. Ordo igitur tum res ipſas, tum eorumdem cognitionem ſpectat; methodus vero ad rerum, atque veritatum

cognitionem, hoc eſt, ad intellectus noſtri operationes, quibus res quaſcumque agnoſcere, veritatem invenire, aut inventam docere ſtudemus, extenditur. Siquis nullo librorum, regularum, aut argumentorum delectu ſtudio ita operam daret, ut, prout aut caſus, aut libido ferret, modo quæſtionem aſtronomicam, deinde logicæ definitiones, & inde moralem regulam perlegeret, nulla ſane ab hujuſmodi homine ſervaretur methodus. Hæc porro eſſet plane inutilis, ſi humana ratio omnes veritates ſimplici intuitione perciperet: tum enim opus non eſſet veritatem ex veritate deducere, atque ejuſmodi deductionis & inventionis gratia ideas, judicia, & ratiocinia gradatim diſponere: noſtræ itaque mentis imperfectionis eſt hujuſmodi adminiculum ad veritatem detegendam adhibere.

626. In quæſtione quacumque, argumento, ſcientia, arte tractanda aut veritatem invenire quęrimus, aut jam inventam aliis exponere ſtudemus, hoc eſt, aut docendi munus agimus. Veritatem ſtudendo invenire, eſt propriomet ſtudio atque labore ſingula quæque explorando in rei tandem veritatem devenire, & quaſi ex rei viſceribus eruere: neque eadem mentis animique contentio ad rem ignotam inveniendam, atque ad inventam aliis explicandam requiritur. Ad duplicem hunc finem, quem nobis in quæſtionibus tractandis proponimus aſſequendum, duplici etiam via incedimus, ſeu duplicem methodum arripimus, quam *Syntheſim*, & *Analiſim* nuncupamus, quæ quidem & ex diverſo fine nobis propoſito, & ex diverſa finem aſſequendi ratione, atque mediis inter ſe diſtinguuntur, & quodammodo opponuntur: *Analyſis*, ſeu methodus reſolutionis eſt & dicitur methodus inventionis, & diſcendi; *Syntheſis* vero methodus compoſitionis atque docendi, ſeu doctrinæ, ut & voces & res ipſæ declarant. Analyſis a toto ad partes re aut mente dividendo deſcendit, totumque in ſuas partes ſecat, ut eas ſeparatim atque ſeorſim explorando in earum, & totius etiam cognitionem deveniat. Syntheſis ex adverſo a partibus ad totum progreditur, & com-

po-

ponendo aſcendit: a ſingularium enim partium conſideratione incipiens, quas jam prius notas ſupponit, eaſque invicem committendo, aliaſque aliis componendo, atque ſingula explicando ad totius tandem compoſitionem, atque explicationem adſcendit. Exemplis res omnis illuſtrabitur. Capra quædam Indiana pretioſum atque odoriferum liquorem concretum *Zibetum*, intra ſeſe continet, zibeti intra animal atque ſecretionis locum ignorantes quærimus: ut rem aſſequamur, animal ipſum in partes diſcerpimus, & ſingula quæque oculis & odore examinando ad veſicam tandem inferiori ventri prope appenſam, zibeti receptaculum, officinam & colum devenimus: media igitur totius in partes ſectione, & accurato ſingularum examine ignotum antea arcanum, & præparationis modum nobiſmet ipſis detegimus. Rem tamen jam docti hoc fere modo aliis exponimus: fluidorum intra animantium corpora circulationem, & vaſorum omnium Syſtema ad hujuſmodi circulationem neceſſarium prius & ſeorſim præmittimus; exinde multiplices in animali ipſo corpore fluidorum percolationes, & receptacula eſſe demonſtramus; nominatim vero inventum zibeti colum, & veſicam, percolationis modum, liquoriſque concretionem explicamus, & quo pacto hæc omnia peragantur ab expoſita animalis partium ſtructura, mechaniſmo & munere ob oculos ponimus.

627. Authomato horologio adſpecto, machinæ ingenii, & diſputationis ignarus, ut totum rei arcanum evolvat, aut machinam ipſam paullatim & partes ſingulas detrahendo diſſolvit, earumque munera, ordinem, & catenationem ſingillatim notat, vel machinam re quidem integram permanentem diſſolvimus, & ab appenſo pondere incipiendo, rotarum omnium, axiumque ordinem, dentum numerum, implicationem ſeorſim adnotando, tandem ediſcimus, appenſo pondere primum, a quo pendet, tympanum ſeu axem atque rotam circumagi, a prima hac rota trahi etiam & convolvi orbiculi ope ſecundam, a ſecunda vero tertiam, a tertia quartam, atque poſtremam hanc circumduci

 non

non poſſe, quin longum pendulum ad perennes oſcillationes impellat: inſimulque animadverſo hujuſce penduli reſiſtentiam in cauſſa eſſe, cur rotæ omnes lente convolvantur, atque ob proportionem numerorum dentium, quibus ſingulæ rotæ ſunt inſtructæ, aliæque alias trahunt, alias etiam aliis velocius gyrare, atque earum indices exterius apparentes certa quadam proportione circulos ſuos abſolvere, atque horas, & minuta ſecundum dentium numerum oſtendere, & dividere tandem comperio: pari etiam ratione quod ad horas atque quadrantes ſono edendos ſpectat ſingularum partium analyſim inſtituo. Contra vero ejuſce machinæ peritus, qui non ſe quidem ex re ipſa inſtruere, ſed alios totius machinæ ingenium docere aggreditur, a primo rei totius cardine atque fundamento, unde cetera omnia pendent, ab appenſo nimirum pondere incipiens, aliaſque aliis ordine & ſeriatim adjungendo, atque inſuper ſingularum munera & actionem indicando, in totius tandem machinæ conſtructionem, ingenium, vires, uſum explicando, & componendo pervenit.

628. Univerſorum fontium atque fluminum originem quærentes, a marina ſcilicet, an potius ab aquis pluviis proveniant, tentare primo rem poſſumus, quæſtionem in partes dividendo, ſingulaſque examinando. Quarum *prima* eſt, parne ſit pluviarum ſumma omnibus fontibus atque fluminibus alendis: quod quidem multiplici experimento inſtituto utraſque aquarum ſummas inveniendo & comparando exploratur. *Secunda*: Id deinde inquirimus, qua tandem ratione, atque mechaniſmo ſecundum Hydroſtaticæ leges poſſit aqua e mari in atmoſphæram aſcendere, in nubes attenuari, ſupra continentem diffundi, in pluviam reſolvi, in terreſtrem ſuperficiem ſeſe inſinuare, & ad fontium atque fluminum capita confluere, & in fluminum etiam alveos ſub terram derivari. Cum hæc omnia ſeorſim examinamus, ſingulis quæſtionis partibus rite diſcuſſis, problematis ſolutionem invenimus; quod quidem ratione non diſſimili in phyſica noſtra ſecundum hanc partem reſolvimus. Alia

etiam

etiam inſtitui poteſt ejuſdem problematis ſolutio ſcilicet a primis pluviæ cauſſis & exordio repetendo, & rem ſcrupuloſe atque gradatim proſequendo, quoad eam in fontes, flumina, mare ſecundum mechanicas & hydroſtaticas leges corrivemus, inſimulque conficiamus, nullum alium ſupereſſe modum, quo flumina formari, atque perenniter in mare ſeſe exonerare poſſint.

Prima ſolvendi ratio hiſce in exemplis adhibita eſt pura *analyſis*; ſecunda vero *ſintheſis*: illa quidem copioſior, pluriumque rerum atque cognitionum ubertate fuſior procedit, quas obiter attingere opus eſt, dum partes alias ab aliis diſtinguimus, ſingulaſque examinamus: id enim rem ignoranti, & ſedulo exploranti ſollemne eſt, ſingula, ne erret, examinare, omnia inquirere, quo & ab erroribus, quos inquirendo, & meditando agnoſcit, ſibi caveat, & veritatem aſſequatur. Altera ex adverſo preſſior ſemper eſt, minorique tum verborum, tum rerum, idearum, digreſſionumque copia procedit: quando enim terendam ſemitam jam novimus, ea ſemper recta inſiſtimus, ut quo fieri poſſit brevius ad optatam metam perveniamus: id vero ex eo eſt, quod analyſis ad ignotum tendit, quod fieri niſi tentando, omniaque explorando poteſt; Syntheſis vero, ut communius adhiberi ſolet, notum tradit. *Communius* dixi, propterea quod neminem lateat, plurima quandoque pura ſyntheſi inveniri: idque eſt acrioris ingenii, perſpicaciæ, atque profundioris meditationis argumentum, eo quod ex ipſiſmet rerum viſceribus ſublimiores ſemper, & ſublimiores extrahant veritates, quod ab eo fieri nequaquam poteſt, qui rem ipſam peritiſſime non intueatur. Qua ſane in re mirari ſatis non poſſumus *Archimedis*, aliorumque veterum Geometrarum perſpicaciam, ingenii acumen, & meditandi laborem; qui ſola ſiyntheſi, veritateſque alias ex aliarum viſceribus deducendo, Geometriam eo adduxerunt, quo nos rem ipſam contemplantes adduci potuiſſe vix concipere poſſumus.

629. Quemadmodum ſyntheſi non modo doceri, verum etiam inveniri veritates poſſunt; ita

etiam

etiam analyſi, quæ eſt inveniendi methodus, res ſæpiſſime docemus; atque utriuſque methodi fines ſæpe confunduntur. Rem videre poſſumus cum in omnibus artibus atque ſcientiis, tum etiam in ipſis argumentandi modis, qui ad ſyntheſim & analyſim facile reducuntur: ita in rebus docendis & diſcendis, atque in eorumdem tractandarum ratione ſyntheſis & analyſis promiſcue uſurpantur. Syllogiſmus, ad quem plurimi alii argumentandi modi reducuntur, ſyntheſim continet; contra vero inductio eſt pura analyſis. Similiter in una eademque ſcientia tractanda atque docenda aliæ quidem quæſtiones ſyntheſi, aliæ vero analyſi melius traduntur; aliæ etiam ſunt, quas utroque modo bene explicabis. Plurima in lectionibus phyſicis exempla dedimus. Utraque præterea methodus in aliquibus convenit, regulaſque habet communes; in aliquibus etiam differt, ſuaque ſingulis tribuuntur præcepta. Communes utriuſque regulæ ad ſequentes fere reducuntur.

Regula I.

630. *In utraque tum doctrinæ, tum inventionis methodo a facilioribus, atque clarioribus ſemper incipiendum, ab iiſque paullatim ad altiora & obſcura aſcendendum.*

Regulæ veritatem ipſamet ratio demonſtrat. Simpliciora atque clariora & intellectu per ſe facillima ſunt, & lucem aliis deducendis offundunt. Res ipſa quotidiano & univerſali uſu circa omnes artes & ſcientias uſurpato confirmatur: in iis omnibus ediſcendis aut edocendis primo omnium ſimpliciſſimas, atque clariſſimas ponimus ideas, quas principiorum loco tantum admittimus, unde ad abſtruſiora alia ab iis deducenda gradum facimus. Exempla paſſim ſuppeditant Geometria, Phyſica, Moralis, & ceteræ omnes artes. Quocirca ſi præjudiciis depoſitis rem examinemus, facile obſervamus, prædictam idearum claritatem atque ſimplicitatem unum eſſe principiorum characterem, atque no-

notam, quibus ſcientiarum omnium atque artium principia, quæ merito ab omnibus admitti poſſint, eoque nomine & munere fungi, ab aliis omnibus earundem facultatum veritatibus, quæ probatione opus habent, diſtinguantur. Idearum ſcilicet claritas, atque evidentia unum illud eſt, quo mens tandem noſtra acquieſcit, ad aſſenſum aut diſſenſum rapitur, quin aut iis reſiſtere poſſit, aut rem ulterius examinare pergat: dum ex adverſo quæcumque hujuſmodi immediata, atque originali, ut ita dicam, evidentia non donantur, demonſtratione opus habent, ut rationis aſſenſum extorqueant; eaque propter in principiorum numero computari non poſſunt: quæcumque igitur principia in ſcientiis atque artibus univerſis, quæ per ſe immediate evidentia & clariſſima non fuerint, a principiorum albo prorſus expungimus: eorum demonſtrationes quærimus, ab iis non incipimus, quantalibet hominum auctoritate ſtabilita jam atque confirmata extiterint. In principiis quippe ſtatuendis ſola naturalis ratio, ejuſque lumen attendi poteſt, & debet; nihilque omnino valet quæcumque adducatur hominum auctoritas, quantumvis alias ſcientia & probitate illuſtrium, quæ rerum ſemper atque idearum obſcuritatem ſecum involvit. Unde, quod principiorum naturam attinet, hanc aliam methodi regulam ſtatuimus.

Regula II.

631. *Nihil omnino principiorum loco accipiendum, quod confuſione, aut obſcuritate aliqua laboret, aut ab hominum auctoritate pondus ſuum derivet. Uno verbo, ſola principia per ſe clara & evidentia, ac naturali ratione manifeſta admittere oportet.*

Secunda hæc regula eſt purum alterius jam expoſitæ corollarium. Præclare quidem illius uſus in geometria viſitur, quæ nihil auctoritati concedit, nihil niſi omnino evidens, atque ſimpliciſſimum ponit: in eam tamen peccatur in Phyſica, & multis

tis aliis ſcientiis aut artibus, in quibus aliquot ſectarum principibus *Ariſtoteli*, *Platoni*, *Zenoni*, eorumque auctoritati non parum aliquando datur. In Phyſica potiſſimum, Medicina, Politica, & ſimilibus aliis diſciplinis mirum eſt; quantum ab hac regula recedamus: quid non *Ariſtotelis* per tot ſæcula in univerſis Europæ ſcholis tributum eſt auctoritati? Satis ſuperque erat ſententiam quamcumque, obſcuram alias & ineptiſſimam, ejus philoſophi nomine in medium proferre, ut abſurdiſſima quæque, aut non intellecta principii aut veritatis loco admitterent. Paria omnia etiamnum hodie ſunt hominum ſtudia erga *Hypocratem*, & *Galenum*. In re politica & rerum publicarum moderamine, uberrimo, ſiquis alius, humanarum paſſionum & affectuum campo, quæ majores noſtri probarunt, & publicis rationibus conſentanea eſſe exiſtimantes rata eſſe voluerunt, ea plerumque poſteri, temporum jam, & rerum ipſarum circumſtantiis mutatis, veterum ſolummodo auctoritate ducti tenaciſſime confirmamus. Eo ſane de capite Japonios ſemper videas fortunarum atque vitæ ipſius contemptores, ſuperbos, ardua quæque aggredientes, antiquas patrum fabulas, religionem, mores, & rempublicam ſpectantes, ſcrupuloſe tenentes. Similia ſunt apud omnes fere nationes præjudicia.

Regula III.

632. *In conſequentiarum ſerie, dum ſcilicet ab evidentibus, atque clariſſimis principiis ad altiora ſenſim progredimur, id maxime curandum, ut evidens ſemper ſit veritatum ex veritatibus deductio: quod ſi in aliqua ſeriei parte evidentia tandem deficiat; quæ deinde deducentur, non majori aſſenſu teneantur, quam illi conſequentiæ debetur, quæ magis a certitudine recedit.*

Equidem evidentiam ſemper eſſe in omni noſtra ratiocinatione, atque ratiocinationum ſerie quærendam, res eſt per ſe ipſam manifeſta: quod autem ſecundo loco dicimus, in hoc unum recidit, conſe-

ſe-

ſequentiam majori certitudine præditam eſſe non poſſe, quam illud, unde deducitur, principium; id quod jam ſuperius confecimus.

Regula IV.

633. *Quamcumque etiam methodum teneas, eas ſemper verborum definitiones præmitte, quæ ad confuſionem, atque obſcuritatem vitandam opus ſint.*

Cum definitiones aliæ quidem ſint rerum, aliæ autem verborum, ut in loco diximus; ſecundas tantum hoc loco intelligimus. Id vero duplici potiſſimum de capite, primo quia rerum definitiones vix alio in loco, quam ad totius argumenti, atque tractandæ materiæ calcem proponi poſſunt: propterea quod cum hujuſmodi definitionibus rei naturæ, atque proprietatum ideam penitiſſime introſpicere, & paucis verbis dare adnitamur; præmitti ſane illa rerum ipſarum examini, & tractationi non poteſt, cum accuratum argumenti examen, atque diſcuſſionem ſupponat, qua una ad quæſitam cognitionem, rei definitione contentam, perveniamus. Verborum autem definitiones, cum & facillimæ ſint, & a noſtro arbitrio tantum pendentes; earumque defectu maxima in rem totam derivetur confuſio, dum aut quid voce ſignificemus, ab aliis ignoratur, aut unum idemque vocabulum modo hac, modo alia ſignificatione uſurpamus; vitandæ confuſionis gratia argumenti explicationi præmitti debent. Quæ vero circa definitiones obſervandæ ſunt, ſuperius expoſuimus, quibus hoc in loco nihil eſt quod ſuperaddere oporteat.

Regula V.

634. *Majoris etiam facilitatis, atque evitandæ confuſionis gratia totum argumentum in tot præcipua dividendum eſt capita, quot res ipſa poſtulare, aut admittere videatur.*

Intra arctiſſimos enim fines noſtra hominum mens,

mens, atque intelligendi facultas comprehenditur, quam, niſi argumenti partes ſeorſim conſideremus, examinandarum rerum, atque idearum numero obruimus: multiſque inſimul diſtricti neutram ſatis enucleamus. Quæ in tractandarum rerum diviſionibus faciendis obſervandæ ſint regulæ, ſuperius in loco tradidimus: idque unum ſuperaddere ſatis erit, eam primum diviſionis partem expendere opus eſſe, quæ aut facilior, aut generalior ſit, aut lucem aliis affundat.

§. III.

Methodus Synthetica, atque ejus regulæ

635. A generalibus & utrique methodo communibus regulis ad eas, quæ ſingulis ſunt peculiares, deſcendendo, *Syntheſis*, quæ prima eſt, atque perfectior, & docendi, doctrinæ, ſeu compoſitionis methodus nuncupatur, methodus etiam geometrica dicitur; propterea quod in geometria, ſiqua in alia ſcientia, locum & uſum ampliſſimum æque atque perfectiſſimum habet: eam geometræ univerſi quaſi propriam effecerunt, & matheſim mixtam ſecundum eam methodum demonſtrant, atque pertractant. Perfectior, quam analyſis communiter & merito habetur; cum ob maximam ſimplicitatem, & claritatem, tum præcipue, quia a ſimpliciſſimis & clariſſimis principiis exordiendo, veritatem ex ipſiuſmet rei, atque idearum viſceribus deducit; quas proinde penitiſſime & medullitus inſpici, & contemplari opus eſt: & hinc majorem etiam ingenii atque meditationis vim, & uſum ſupponit: dum contra, rem partiri, & partes ſingulas iterum dividere, & diviſas obſervare, ſecum ipſis conferre, & quid ex earum partitione proveniat adnotare, vulgaris ingenii fines non tranſcendit, & patientiæ potius, quam ingenii opus eſt.

636. Ut magnitudinis, ſic etiam virtutis atque vitii ideæ, hoc eſt, Geometria & Moralis hac methodo tractari feliciter, parique fere evidentia poſſunt; ſimplices utrobique habentur ideæ, claræ, &

& evidentes, quas pariter & medullitus intueri, aliaſque ex aliis deducere poſſumus: attamen quæ magnitudinem ſpectant, hoc eſt, Geometria, & Mathematica, omnia promovemus, dum interim ſcientia moralis prætermittitur; quod priora illa non modo ratione, verum & ſenſu ipſo percipiamus, maximaque inde in humanam vitam ſenſibilia commoda, atque utilitas proveniant; dum ex adverſo rei moralis ideæ, atque veritates pura intellectione comprehenduntur, neque ſenſum ullo modo afficiunt. In aliis ſcientiis non ea ſane evidentia ſynthesis procedit, qua Matheſim, & Æthicam tractamus, ob complexarum & compoſitarum idearum confuſionem; felicius tamen ut plurimum, quam analyſis adhibetur, ſi quædam Geometriæ & aliarum facultatum capita excipias, quibus pura ſyntheſi evolvendis humanum ingenium par eſſe non videtur. Præter ſupradictas regulas quæ in ſyntheſi ſcrupuloſiſſime obſervari debent, ſequentes peculiariter obſervat. Sed methodi ipſius exemplum & ideam Geometris omnibus communem præmittamus.

637. Geometris id ſollemne eſt, eas ante omnia *definitiones* tradere, quæ dicendis exinde rebus intelligendis neceſſariæ exiſtunt: quo fit, ut & de verborum ſignificatione, & de communibus rerum ideis mutuo conveniant. 2°. Definitionibus *axiomata* atque *poſtulata* apponunt; quæ, cum evidentia omnino, atque clariſſima ſint, in medium attuliſſe ſatis eſt, ut a nemine in dubium vocentur: axiomata ſequuntur *propoſitiones*, ſeu *theoremata & problemata*: quorum prima rei tantummodo veritatem demonſtrant, ſecunda & rem faciendam proponunt, reſolutionis modum tradunt, & veritatem oſtendunt: propoſitionibus annumerari debent *corollaria*, & *ſcholia*: illa quidem tamquam puræ propoſitiones a theorematibus deſcendentes, quæ explicatione potius, quam ulteriori probatione opus habent: alia vero fuſiores ſolummodo ſunt earumdem rerum atque idearum expoſitiones, quæ in propoſitionibus traduntur. Ad tria itaque hæc rerum capita Syntheſis apud Geometras reducitur, de-

definitiones, *axiomata*, *propoſitiones*, circa quæ ſequentes regulæ obſervandæ ſunt.

Regula I.

638. *Nullum aut novum, aut ambiguæ ſeu obſcuræ ſignificationis vocabulum adhibendum eſt, quod prius non definiamus: neque a definito ſemel ſignificationis ſenſu recedendum eſt, niſi prius de vocabuli ſenſu lectorem moneamus.*

Mirum enim, quot in converſationes, diſputationes, & libros irrepant errores ob male ſtatutam verborum ſignificationem: qua quidem vocum ambiguitate nihil eſt, quod in humano commercio magis veritati opponatur; dum ob vagam incertamque vocabulorum ſignificationem, ambiguus inde eſt propoſitionum, totiuſque ſermonis ſenſus, aliudque loquenti, aliud audienti aut legenti judicium, atque ſententia eſt, neque de certo aliquo propoſitionum ſenſu conveniunt. Porro in omnium fere antiquorum libris, qui mortuis jam linguis latina, græca, & orientalibus ſcripti extant, ea ſenſuum confuſio ex incerta verborum ſignificatione proveniens malum eſt pene neceſſarium: id quod partim ex auctoris ipſius vitio, & mentis confuſione, partim ex linguæ genio, multa iiſdem vocabulis exprimentis, ut in Hiſpana, Luſitana, aliiſque videmus, partim ex traductoris incapacitate & oſcitantia, partim denique, ut alia omittam, ex mortuarum linguarum conditione: quarum nullam ita ediſcere poſſumus, ut eam penitus aſſequamur, & ſolutos cachinos illarum etiam gentium catonibus non moveremus, quarum idiomata recte loqui & ſcribere ineptiſſime gloriamur. Ferri id utcumque poteſt in Græcorum, Romanorumque libris malum: noſtrarum tamen partium eſſe ducamus oportet, qui hodie aut vivis aut mortuis jam linguis mentem noſtram aperimus, datam legem adamuſſim obſervare. Ejus enimvero defectu innumeræ quotidie, & vivaciſſimæ moventur lites, & animorum contentiones, quæ ſæpe ad injurias, probra, pugnos,

gnos, ſanguinem inflammatos animos adducunt: dum frigeſcente atque ſedato poſtea animorum æſtu, reque per otium examinata, totum illum inſanæ contentionis ſtrepitum ex male intellecta terminorum ſignificatione originem duxiſſe animadvertitur. Quid enim in quotidianis hominum confabulationibus & contentionibus frequentius, quam hominum idem plane in re ſentientium furioſas contentiones? Definitiones itaque præmittere opus eſt, ne in hæc incommoda incidamus. Ejuſmodi definitiones vel ad libri cujuſque initium ſimul congerere, ut *Euclidis*, vel, ut locus & res exigit, ſparſim tradere, plurium Geometrarum, atque Pyſicorum exemplo ediſcere poteris,

Regula II.

639. *In definitionibus nullus omnino adhibeatur terminus, qui aut notus jam antea, aut certæ apud omnes ſignificationis non ſit, aut non antea jam definitus.*

Niſi enim hanc etiam regulam ſcrupuloſe obſervemus; in illa omnia incommoda incidemus, quæ modo retulimus, atque hiſce regulis evitare ſtudemus. Ita fit, ut & clariſſime mentem noſtram explicemus, atque intelligamur, & cum non modo de vocabulorum ſignificatione, verum etiam de ideis, idearumque objectis conveniamus, nullam niſi de rebus ipſis diſſenſio eſſe poſſit: quod ſi aliquando tandem homines aſſequeremur, major diſceptationum pars e medio tolleretur. Atque hæc quidem quantum ad definitiones ſpectat.

Regula III.

640. *Axiomatum aut poſtulatorum loco illæ tantum propoſitiones habeantur, quæ naturalis rationis lumini manifeſtæ adeo apparent, ut illas protuliſſe ſufficiat, ut a quocumque ratione prædito aſſenſum extorqueant.*

Hujus generis eſt, *omne cogitans exiſtere*, quod *Carteſius* pro primo humanarum cognitionum principio ſtatuit, unde philoſophari merito incipiendum ſit, & cui tandem inſiſtendum, poſtquam omnia exercendi ingenii, philoſophandique cauſſa in dubium revocaverit. Axiomata tamen intelligimus, quæ ſint naturalium veritatum, & ſcientiarum principia. In iis enim quæ fidem ſpectant, & ab hominum voluntate tota pendent, qualia ſunt leges, ipſamet legislatorum voluntas clariſſimis verbis concepta principii loco ponenda eſt.

Regula IV.

641. *Quod demonſtrationes attinet; illa omnia demonſtrentur, quæ non ſunt per ſe evidentia: neque aliud in demonſtrationibus adhibeatur præter definitiones, axiomata, & propoſitiones jam antea demonſtratas, vel tandem ipſamet rei conſtructio.*

Singula ſcilicet hæc, cum ſint aut per ſe evidentia, aut omnino certa, demonſtrationis certitudini, atque evidentiæ officere non poſſunt: quamdiuque ex his ſolis capitibus veritatum demonſtrationes conficiuntur, ex vitioſa ſolummodo conſequentiarum deductione aliquod parallogiſmi, & falſitatis periculum derivari poteſt. Alia ſane ratione, aut principiis Geometricæ demonſtrationes non conſtruuntur. Porro rei conſtructio per ſe ipſam poſſibilis, atque ſecundum manifeſta *poſtulata & data* procedens, demonſtrationis vices, & munus agit, cum veritatem per ſe ipſam manifeſte oſtendat. Quod modo in definitionibus ſedulo obſervandum diximus, id iterum in demonſtrationibus inculcandum eſſe duximus, omnem ſcilicet verborum aut idearum ambiguitatem omnino eſſe fugiendam, quæ & lucis, & veritatis, atque candidæ ſinceritatis inimica veritatem ipſam obnubilat, & quodam veluti obſcuritatis velo contegit.

Re-

Regula V.

642. *Propoſitiones aliis demonſtrandis inſervientes, poſterioribus hiſce præmittantur.*

Niſi ita fiat, in datam modo regulam peccaremus, immo & vitioſum circulum utplurimum committeremus: veritatem enim per propoſitionem aliam adhuc non demonſtratam, & conſequenter nobis dubiam probaremus, quod regulæ quartæ opponitur. Quod ſi ſecunda hæc veritas priori præmittenda per illam etiam a nobis demonſtraretur, in vitioſum præterea circulum incideremus: rectus deinde veritatum, atque rerum ordo inverteretur, dum theorema aliquod per demonſtrandam poſtea propoſitionem probaretur, quæ interea in dubium vocari merito poſſet. Ejus rei gratia ſæpiſſime videmus in Geometria, aliiſque mathematicis diſciplinis poriſmata & lemata iis propoſitionibus præmitti, quarum ſolummodo demonſtrandarum ratione in medium afferuntur, ut clariora evadant omnia.

Regula VI.

643. *Propoſitiones etiam ſimpliciores, aut clariores obſcurioribus, difficilioribus, & magis compoſitis anteponantur: niſi aut ad diverſa rerum capita ſpectent, aut priores a poſterioribus dependeant, illaſque proinde ſupponant.*

Neque enim ad abſtruſiores, & implicatiores veritates detegendas, aut demonſtrandas pervenire poſſumus, niſi a facilioribus, atque ſimplicioribus incipiendo, quæ lucem obſcurioribus, & difficilioribus affundunt, & graduum vices agunt, ut ad altiora conſcendamus. Sæpiſſime tamen fit, ut theoremata valde compoſita, ſublimia, & quæ non niſi prolixis demonſtrationibus conficias, pluribus aliis veritatibus tamquam corollariis deducendis facilem ſternunt viam, earumque ubertima principia exi-

 ſtant.

ſtant. Hæ quidem regulæ, quibus Syntheſis comprehenditur, rem ipſam atque argumentum methodo tractandum ſpectant. Docenti autem, & diſcenti alia ulterius præſcribenda eſt.

Regula VII.

644. *Neque doceat, niſi perfecte inſtructus, neque diſcat, niſi ingenio pollens.*

Quanti qualeſque vim ſcientiarum, artiumque profeſſores, tum etiam alumni hac regula perſtringuntur! Qui in ea, quam profitetur, facultate comprehendenda, ruminanda, undequaque evolvenda, atque in ordinem claramque methodum digerenda non diu multumque ſudavit, & occaluit, fieri non poteſt, quin neque rem ipſam penitus, ut par eſt, atque medullitus enucleet, aut intelligat, neque alios recta ducat, & ſcientiam ſibi male notam doceat. Plurium quidem idearum acervo male congeſto eorum forſitan memoria premitur atque laborat: dum ſua tamen hæc cerebro confuſe commiſſa nonniſi promiſcue compararunt, perfunctorie attigere, & promiſcua atque involuta retinent, nullo etiam ordine depromunt, & auditoribus explicant. Uno verbo, niſi ædificium conſtructurus ejus ideam antea conceperis & tibi comparaveris, typum in charta expreſſeris, omnes ejus partes, partiumque proportionem, ſitum, ordinem nitide atque diſtinctiſſime in mente diſtinxeris, neceſſarios ad rem ſumptus, comparandamque materiam ſupputaveris; ſed hiſce omnibus male conceptis, rem ipſe aggrederis, & male conceptum opus male conſtruis; neque rem tuam ſatis intelligis, neque ædificium eleganti aliqua ac regulari forma conſtrues, ſed informe potius opus cachinnos ab omnibus excuſſurum produces. Habes rei noſtræ obvium & verum exemplum, in quo ſibi omnia reſpondent, & paria utrinque exiſtunt.

645. Diſcentis etiam ingenium, quod erat datæ regulæ pars altera, antequam ejus inſtitutionem aggrediaris, probandum omnino eſt, atque di-

dignoſcendum; ne dum in Æthiope dealbando operam male collocamus, infructiferi laboris nos male pœniteat. Neque ſolùm hominis ingenium, mentiſque perſpicacia inſpicienda eſt, ſed quo etiam tyronis indoles atque natura ferat, examinandum. Quantalibet enim ingenii acie polleat, tradendamque diſciplinam funditus intelligere valeat; ſi invito ſtudio reluctatur indoles, inſtitutionis labori male reſpondebit eventus juxta Horatianum illud:

Naturam expellas furca, tamen uſque redibit.

Sed hæc inferius proſequemur: modo argumentum ſequenti monitu concludamus.

646. Ad veram & propriam axiomatum rationem opus non eſt, ut ab omnibus cujuſcumque ſectæ, atque ingenii hominibus pro certis atque evidentibus admittantur: Eſſe homines adeo hebetes & pinguis ingenii, ut ubi de re quacumque ſola intellectione percipienda agitur, in meridiana etiam luce cæcutiant, & manifeſtiſſimas quaſque veritates non percipiant, quibus æque facile ſingulas contradictionis partes perſuadeas, aut perſuadere exiſtimes, & quotidiana experientia docet, & nihil de evidentiæ ipſius ratione, atque veritate detrahit. Contra vero fuere olim, ſuntque etiamnum Scepticæ, atque Pyrrhonicæ ſectarum philoſophi, qui cum nihil in rebus certum atque indubium admittere, de omnibuſque dubitandum eſſe velint, aut potius ſeſe ita exiſtimare voce tenus affirment; eo ſane collineant, ut in litteraria etiam republica ſuſpiciantur, quaſi acriori ingenio præditi melius, quam ceteri homines, intellectus humani atque ceterarum rerum naturam rimentur, altiuſque & profundius penetrent: interim ipſi, dum generalem hanc ſuam de rebus omnibus dubitationem gloriolæ & plauſus captandi gratiâ in triviis crepant; interno eorumdemmet ſenſui refragantur. Quidquid tamen de incredulorum, & Pyrrhonicorum opinamentis ſit, ut propoſitio aliqua inter axiomata & veritates clariſſimas merito recenſeatur, id unum requiritur, ut communi humani generis, hominum ſcilicet mediocri ingenio valentium, ſenſu evidentiſſima per ſe eſſe probetur.

647. Id itaque axiomatum ab alia quacumque veritate diſcrimen, & peculiare veluti criterium eſt, quod axiomata ſola idearum immediata intuitione citra ullum omnino medium, atque externum argumentum veriſſima eſſe clariſſime appareant; propoſitiones vero non ex ſola idearum immediata intuitione, ſed medio aliquo termino, & argumento ſuaderi poſſunt, atque demonſtrari. Omnia axiomata v. g. *nibil nullius poſitivi effectus poteſt eſſe cauſſa*, ſunt propoſitiones duobus ſaltem terminis, ſeu ideis ſubjecto, & prædicato conſtantes: cum harum idearum convenientia, aut repugnantia ex ipſiſmet apparet, axioma; ſi tertiam aliam ideam addere opus ſit, propoſitio demonſtrabilis exiſtet. Fieri multoties poteſt, ut propoſitio aliqua inter axiomata recenſeri debeat, quin tamen ejus veritas ex ipſiſmet terminis illico evidenter appareat: ſed explicatione aliqua opus habeat, quæ terminorum explicatio cum vera demonſtratione male confunderetur.

§. IV.

Methodus Analytica, illius regulæ, & cum Syntheſi comparatio.

648. Peculiares Analyſis regulæ, cujus notionem ſuperius dedimus, ad pauca redigi poſſunt capita; ingenii enim potius vivacitate, & acumine, quam peculiaribus aliquot præceptis hæc methodus procedit. Duo in primis animadvertenda ſunt, reſolvendæ quæſtionis natura, atque principia illa, ex quibus ejus ſolutio tentanda eſt, atque deducenda. *Primum*. Quæſtiones univerſæ ad quatuor generalia capita reduci poſſunt: quæritur nimirum 1°. *effectus ex ſuis cauſſis*, dum ſcilicet notis quibuſcumque cauſſis, ad earum effectuum examen, & inquiſitionem progredimur, v. g. ex data aeris gravitate, atque elaterio, eorum effectus univerſim inveſtigamus. 2°. *cauſſa ex effectibus*: ita plerumque fit, ut ex his, quæ in natura, & in nobiſmet ipſis obſervamus, atque paſſim ex-

peri-

perimur, v. g. ex marinis æſtibus, ſalſedine, motibus, quæ ſint hujuſmodi phænomenorum cauſſæ perſcrutamur: latiſſime patet hujus quæſtionum uſus; frequentius enim, & vehementius effectibus, quam cauſſis percellimur, & excitamur, qui in cauſſarum originem inquirendam nos manuducunt: eaque præterea quæſtionum ſpecie & utiliter inſtituitur analyſis, & ſecure quæritur veritas. 3°. *Cum totum aliquod ex ejus partibus inveſtigamus*: ampliſſimus eſt hujuſmodi quæſtionum uſus in rebus omnibus chymicis, & mille aliis naturalibus rebus examinandis: rei enim cujuſcumque datæ naturam & intimam compoſitionem quærenti, nil tentari poteſt ad finem obtinendum ſecurius, quam totum in ſuas partes ſecare, atque ſectas ſeorſim & accurate examinare. Qui humani ſanguinis v. g. naturam quærit, ſanguinem in ſuas partes chymice reſolvit, ut reſolutis quid in ſanguine atque etiam ſanguis ſit, appareat. 4°. Quarta quæſtionum ſpecies eſt, *cum ex toto, atque altera ejus parte jam nota reliquæ partes quæruntur*; ita in Geometria, cujus plura problemata ad hanc quæſtionum ſpeciem pertinent, ex data tota area trianguli, atque inſuper altitudine, quæ ut trianguli pars a nobis impræſentiarum ſpectatur, ejusdem baſis quæritur: partis enim nomine omnia illa modo intelligimus, quæ dati *totius* propria ſunt, undeque in ejusdem cognitionem devenire aliquo modo poſſumus. Et hoc quidem primum ad quæſtionum naturam, illaſque reſolvendi modum ſpectans.

649. *Secundum*. Quæſtionum enodatio ſecundum ea principia quærenda eſt, quibus ſcientia illa innititur. Omnia veritatum principia & fundamenta ſunt tria hæc, *ratio*, *experimentum*, *auctoritas*. Scientia mathematica, metaphyſica, & pure abſtracta ad primum; phyſicæ omnes facultates, atque artes, quæ innumeræ ſunt, ad ſecundum; tertium vero theologiæ, legum, atque hiſtoriæ fundamentum eſt. Pro diverſa hujuſmodi fundamentorum, & facultatum indole, diverſa etiam iis conveniunt principia, atque veritatis criteria; ratio

tio nimirum ad intelligibilia & evidentiam; phyſica ſeu ſenſibilia ad ſenſum, hoc eſt, experimenta, obſervationes*, phænomena; auctoritas vero ad hiſtoriam, codices, ceteraque monumenta ſpectant. Singulæ, quæ reſolvendæ proponuntur, quæſtiones, ſecundum illam principiorum claſſem, quæ illi ſcientiæ conveniunt, examinandæ ſunt: quæ ad humanam fidem v. g. pertinent ex hiſtoria, manuſcriptis, inſcriptionibus, atque aliis ejusdem farinæ monumentis: mathematica a rationis evidentia reſolvi tantum debent & poſſunt. Duobus hiſce animadverſis, ſequentes proponimus regulas in hoc tandem unum recidentes, quod propoſita ad reſolvendum quæſtio majori, qua fieri poterit, ingenii perſpicacia omni ex parte inſpiciatur atque evolvatur.

Regula I.

650. *Qui datum aliquod problema, ſeu quæſtionem ſolvere aggreditur, eo in primis argumento, ſcientia aut arte bene verſatus atque inſtructus ſit oportet, cujus ſolvenda quæſtio partem conſtituit.*

Sicut enim Syntheſim ingenio, ita Analyſim doctrina potiſſimum proſequimur. Dum quæſtionem examinamus, in partes dividimus, easque ſeorſim expendimus, illa non ignorare opus eſt, quæ in ipſamet quæſtione ſupponuntur, involvuntur, aut cum illa ſunt omnino connexa. Reſolvenda proponatur quæſtio illa anatomica, *aliquane occulta via a renibus ad veſicam defluat urina?* Vel, *qua tandem ratione a capillaribus arteriarum ramis ad ramos venarum tota ſanguinis maſſa transfluat?* Quis ſeſe periculo committet, quin totius humani corporis anatomiam probe calleat? Ita fit ut quæſtiones atque problemata ad certam quamcumque artem ſpectantia ii tantum ingenio & arte ſolvendo pares haberi poſſint, qui fuerint eadem in arte contriti. *Arte & ingenio* dicimus, ut illa omnia excipiamus (in quibus ſunt mirabilio-

ra

ra artium inventa) quæ caſus ſolummodo nihil tale cogitantibus attulit. Phyſicum illud proble-ma, *aquam marinam a ſale purgare, & potioni aptam reddere*, noſtro tandem hoc ſæculo feliciter, ut dicitur, ſolutum nonniſi ab homine res atque experimenta phyſica, & chymica tractandi gnaro, diu multumque hiſce in rebus verſato, atque argumentum omni ex parte circumſpicienti expediri poterat.

Regula II.

651. *Quid præciſe quæratur, diſertis, clariſſimiſque verbis ſtatuendum eſt, omniſque tum verborum, tum idearum ambiguitas præcidenda.*

Quid detur, quid quæratur, diſtinctis ideis concipiamus, verbiſque explicemus, aut ab aliis conceptum & explicatum intelligamus. Aliter enim incaſſum laborabimus, dum nihil certi, quod unice quæratur, nobis eſt præſtitutum. Si nauticum hoc problema, *nauticæ pyxidis errorem medio in mari invenire & corrigere*, ad ſolvendum concipiamus, nobiſque aut aliis proponamus; niſi prius quid erroris nomine intelligi debeat, præciſe ſtatuamus; quæſtioni ſatis facere nequimus; dum eo nomine inclinationis & declinationis, & variationis error ſignificari poſſit. In eamdem etiam regulam pariter peccabimus, ſi quæſtionis ſimplicitatem, aut compoſitionem, ſeu partes non diſtinguamus: ad quæſtionis enim ſtatum pertinet, ſimplex ne an compoſita ſit, definire. Si plures in quæſtione partes diſtinguamus, non modo ſingulas ſeorſim examinare oportet, verum & a facilioribus atque ſimplicioribus incipiendum, id quod in omni generatim methodo obſervandum diximus. Duplex hoc problema ſolvendum proponatur, *quodnam humanum regimen ſit aliis præferendum, determinare: quonam mundi ſeu oceani loco, & ſitu navis exiſtat, invenire*: facile in utroque problemate partes diſtinguimus: in primo quidem multiplex regiminis genus diſtinguere, ſeorſim expendere, & ſecum

cum deinde conferre debemus: ſimiliter in ſecundo peragenda res eſt; quæſtionis ſolutio a duplici hoc capite pendet, *latitudine* ſcilicet, atque *longitudine*: quæ niſi ſimul agnoſcantur; navis poſitio erit incerta, & problema non ſolutum: quoniam tamen latitudo longe facilius quam longitudo invenitur; ab illa ſemper incipiendum.

Cum & ingenio polleas, & tractandi argumenti doctrina inſtructum ponamus, inſuperque quæſtionis ſtatum atque naturam certiſſime jam ſtatutam atque definitam habeas, hæc alia deinde tenenda eſt regula.

Regula III.

652. *Quidquid in quæſtione ad rem, & attingendum ſcopum non facit, prætermittamus.*

Quod idem eſt ac dicere, quæſtionem majori, qua fieri poſſit, ſimplicitate proponamus. Fit multoties ut quæſtio plurimis circumſtantiis nihil ad rem facientibus involvatur, quas dum expendimus plurimis diſtricti, minus quam opus erat, ad rei nodum ſolvendum, & cardinem attingendum apti eſſe poſſumus.

Regula IV.

653. *Omnes & ſingulas quæſtionis partes, aut ad quæſtionem facientia, lucemque aliquam ipſiuſmet rei examini impertientia, omneſque hypotheſes poſſibiles, ex quibus problematis ſolutio deduci poſſe videatur, ſenſim perpendere opus erit; veritates autem aut relationes memoriæ cauſſa arbitrariis notis ſcribendæ ſunt, ut per otium iterum recenſeri poſſint, ſemelque & iterum ad examen revocari.*

Etenim qui longum aliquod, plurimiſque ambagibus, & difficultatibus impeditum iter aggreditur, quod poſtea relegere, deſcribere, aliiſque ob oculos ponere velit; labili memoriæ minime confidens, om-

omnia a ſe paſſim obſervata, & quidquid memoria dignum animadvertit, in adverſariis deſcribit, & graphice etiam quandoque, ſi res ferat, accurate depingit. Quod in rebus hiſce materialibus, & communiſſima iter agendi ratione contingit, in mentali etiam progreſſione agat intellectus noſter veritatis quærendæ cauſſa per ignotos atque obſcuros calles progrediens: quidquid veritatis memoria dignum offendit, litteris committat. Regulam ipſamet ratio, & communiſſima omnium hominum conſuetudo confirmat: alia ſane ratione neque in ſublimiori Geometria, & calculo, neque in domeſticis etiam, quotidianiſque rerum noſtrarum ſupputationibus procedimus. Et Geometra quidem propoſitam ſibi quæſtionem, atque problemata ſolvere & enodare aggreditur, dum hujuſmodi ſigna, aut notas arithmeticis ſupputationibus verſat, & accuratiſſime tractat: alius tamen eſt earumdem notarum, ſeu ſcriptarum veritatum, cum in chymia, tum in metaphyſica, aliiſque ſcientiis, & artibus uſus.

Regula V.

654. *Quæſtionis, aut problematis ſolutio ex iis principiis tentanda eſt, quæ ſunt ejus ſcientiæ, artiſque propria, ad quam ſpectat problema.*

Legis ratio obvia eſt: qui problema, aut theorema geometricum, aut quæſtionem metaphyſicam ab hominum auctoritate ſtatueret, qui in hiſtorica narratione evidentiam quæreret, aut facta hiſtorica ad evidentiam reducere ſtuderet, penitus a ſcopo aberraret. Totius rei hiſtoricæ unicum fundamentum eſt humana aut divina auctoritas: ab hoc ergo fonte & principio derivanda & petenda eſt hiſtoricæ quæſtionis ſolutio. Hiſtoricum hoc problema tibi ſolvendum ſtatue, *appulerint ne olim Carthaginenſes in Americam*; ad experimenta ne phyſica, ſenſum aut evidentiam rationis confugies? Humana ſolum auctoritate & antiquis documentis tentanda res eſt. Pari ratione de omnibus aliis

quæ-

quæſtionum ſpeciebus ratiocinandum. **Probanda in** medium producatur humana libertas, *ſit necne humana voluntas libera*: ſi illam ab hominum auctoritate probare velis, cachinnis ab Academico, Epicureo, Jataliſta excipieris. Quidquid igitur hiſtoriæ eſt, aut ad hiſtoriam, humanamque auctoritatem reducitur, ex hominum tantummodo teſtimonio, ſcriptura, traditione, aut aliis monumentis expreſſo probatur: quæ neque ex ſenſu, neque ex hominum fide pendent, ſed puræ intellectionis ſunt, v. g. humanarum actionum moralitas, malitia, aut honeſtas, ea omnia ex ratione, idearumque claritate confici tantum debent.

Regula VI.

655. *Quæſtionem aut problema ſecundum propria principia tractantes claritatem ſemper cum in ideis, tum in idearum, aut conſequentiarum relationibus, & progreſſionibus quæramus, prout argumentum ipſum ferre poterit: quod niſi obtineamus, ſed dubia ſuperſint; quæſtio non eſt ſoluta: ſi pro utraque parte argumenta ſint probabilia; ſolutio tantum erit probabilis.*

Evidentiam proprie dictam, ſeu metaphyſicam, & puræ rationis in veritatibus & ſcientiis abſtractis puræ intellectionis inveniri poſſe compertum eſt; ſua etiam eſt ſenſibus, ſua & auctoritati evidentia: ſenſibilis prima atque phyſica, moralis vero ſecunda: licet inter illas latum ſit diſcrimen, ſingulæ tamen in iis ſcientiis ſunt veritatis criterium, quarum etiam ſunt principia. Sicut autem nihil eſt ultra evidentiam, quod humana ratio quærere poſſit, in eaque tandem ſiſtendum nobis ſit, quamcumque veritatem inveſtigemus; aliaque ex parte pro vario rerum ſcientiarumque diſcrimine triplex etiam ſit humanarum cognitionum evidentia, *rationis*, *ſenſuum*, *moralis*; ita pariter dum datæ cujuſcumque quæſtionis ſolutionem quærimus, ea rerum, idearum, atque conſequentiarum claritate contenti eſſe debemus, quam argumenti ratio

tio ferre poteſt. Solvenda proponantur *homicidii malitia, terreſtris globi magnitudo, miraculorum a Chriſto Servatore noſtro patratorum veritas*: tria enim vero ſolvenda aſſumimus, quæ ad diverſa tum ſcientiarum, tum evidentiæ genera ſpectant, primumque ratione, ſecundum ſenſu, tertium denique morali evidentia conſtare, atque demonſtrari poteſt. Primum confecturi tum in iis principiis, unde deducenda eſt probatio, tum in conſequentiarum ſerie, atque deductione evidentiam rationis quæramus: quod ſi omnibus rite & accurate diſcuſſis, eo devenire non poſſemus, res nobis eſſet aut ſolum probabilis, aut penitus obſcura. Secunda quæſtio tota eſt phyſica, atque ſenſuum provinciæ; & hinc ſecundum hujus ſcientiæ principia, experimenta, obſervationes, phænomena tentanda ſolutio; neque major in iis principiis quærenda eſt evidentia, quam illa ſenſuum propria. Corporum gravium, ac proinde penduli gravitatio & directio verſus terræ centrum obſervatione dignoſcitur; planum meridiani, poli altitudo inveſtigatur: duo loca inter ſe diſſita in eodem meridiano aſſumuntur, eorum altitudinum differentia in circuli gradibus atque minutis ſtatuitur; ſimilem etiam differentiam in terreſtri eorumdem locorum diſtantia intercedere, ex geometricis habemus: quota circuli pars ſit inventa, graduum atque minutorum quantitas, ſupputando eruitur: quænam etiam inter duo illa loca intercedat diſtantia in comuni aliqua & uſitata menſura, ex immediatis obſervationibus pedeſtri itinere, aut geometrico etiam calculo adhibito exploratur; unde tandem facili ſupputatione ope aureæ regulæ, quænam ſit vera telluris circumferentia, ceteræque illius menſuræ, deducitur. Prima & præcipua harum cognitionum, totiuſque ratiocinationis, & calculi elementa, & cardines ſunt experimenta phyſica, hoc eſt, evidentia ſenſuum: aliquæ præterea interſeruntur geometricæ demonſtrationes & calculi, evidentia ſcilicet rationis: rei tamen ſumma evidentiam phyſicam tranſcendere nequit, eo quod & prin-

& principiis & conſequentiarum deductioni ea tantum claritate præditis innitatur.

656. Tertia quæſtio ad principia evidentiæ moralis reduci tantum poteſt: ad unanime ſcilicet illud tot hominum teſtimonium, qui patria, religione, moribus, doctrina, affectibus differentes de re tamen omnino conveniunt, & viſa a ſe miracula concordi voce eo teſtimonio confirmant, quod per plurima ſæcula conſervatum, & ad nos poſteroſque noſtros tranſmiſſum eamdem in nobis facti certitudinem atque evidentiam generat, quam iidemmet homines, ſi in vivis agerent, efficere potuiſſent.

657. Quod ſi triplex illa evidentia in aliqua ratiocinationis parte deficiat; ſi ideam aliquam, aut idearum catenationem, unde rei totius concluſio dependet, non niſi obſcure atque probabilibus rationibus ſuffultam intueamur, ut in potiſſima phyſicarum quæſtionum parte accidit; tum vero in ampliſſimum probabilitatum campum deſcendimus, in quo dubia ſemper quæſtione iis ſemper regulis ducemur, quas ſuperius expoſuimus, cum de probabilitate fuit nobis ſermo.

658. Analyſis eſt methodus inventionis, eaque ut plurimum problematum, & quæſtionum ſolutionem quærimus, dum inſcii tentando, explorando, hinc inde rem verſando, atque adſpiciendo nodum & veritatem indagamus, & in quæſitam tandem cauſſam pervenimus. Alia ex parte longe melius ſyntheſi, quam analyſi naturalis rerum, cauſſarum, effectuumque ordo patefit, dum veritates a ſimpliciſſimis principiis ſeriatim & ordine ſuo deducendo ad magis compoſita, atque reconditiora gradatim conſcendimus, effectuſque ex cauſſis, atque primis eorum elementis deducimus. Eo fit ut longe clarius ſyntheſi quam analyſi naturalis rerum, idearum, veritatumque ordo inſpiciatur atque tradatur; indeque eſt quod analyſi plerumque utamur ad veritatem aliquam inveniendam, problema ſolvendum, & quæſtionem expediendam; poſtea vero rem aſſecuti, inventam veritatem ſyn-

theſi

theſi explicamus, eas ideas in ordinem redigendo, per quas in ipſo problematis examine animadverſas, notatas, aut comparatas ad totius rei cardinem pervenimus. Propoſita ſcilicet compoſita aliqua quæſtione ad ſolvendum, alicujus v. g. artificialis aut naturalis machinæ ingenio & compoſitione invenienda, totum primo in partes ſecamus, partes ulterius dividimus, dividendo comparamus, & examinamus, eoque examine, quem inter ſe, atque in toto componendo ordinem & ſitum ſervent, invenimus. Aliis deinde rem explicaturi ab hoc ultimo, quod ſimplicius eſt, incipimus, a quo per eoſdem gradus, quibus a toto ad partes dividendo, ſeparando, & reſolvendo deſcendimus, a partibus iterum ad totum componendo aſcendimus. Res perinde fit in machina quacumque ſolvenda, & poſtea iterum ordinanda, ut ſupra explicavimus.

659. In Geometria res ita peragitur, ut datum problema, aut theorema ſupponatur verum: quæ ex ſuppoſita hac veritate conſequantur, accurate perpenduntur; quod ſi conſequentias deducendo, ad eam perveniamus quæ ſit impoſſibilis veritatis, tum vero problema etiam eſt impoſſibile: ſi ad veritatem demonſtrabilem perveniamus, inter quam & datum problema neceſſaria & mutua connexio exiſtat, inventa quidem eſt problematis ſolutio & veritas: cujus deinde demonſtrationem componendo inſtituimus, ab ultima illa & ſimpliciori conſequentia exorſi, quo tandem analyſi devenimus: eoque modo problemate in theorema converſo demonſtrationem tentando inventam docemus.

LE-

LECTIO SECUNDA

De humanæ mentis capacitate, viribus, & errorum fontibus.

§. I.

Humanæ mentis capacitas atque cognitionum extenſio.

660. Ne in vitæ decurſu atque humanarum rerum uſu, dum alii alias inſiſtimus vias, alia & alia objecta, artes & ſcientias quærimus, a ſcopo penitus aberremus, altius, quam par eſt & humanis viribus permittitur, volare tentemus, aut ea eligamus ſtudia, quæ privatæ cujuſque indoli opponuntur; humanæ mentis capacitatem, vires, atque, ut dici ſolet, ſphæram, quantum per ipſius imbecillitatem licet, attente conſiderare, atque perſpicere oportet; ſuique præterea ingenii indolem, quo natura ſponte ferat, quid averſetur, & fugiat. Niſi enim duplicem illum evitemus ſcopulum; nullum ex magnis laboribus atque ſudoribus fructum percipiemus. Hujuſce itaque fugiendi mali cauſſa, quid mens humana, quid proprium cujuſque noſtrum ingenium valeat, explorandum eſt.

661. Humanæ mentis capacitas, magnitudo aut præſtantia duobus hiſce comprehenditur, *intenſione & extenſione*. Intenſionis nomine illam humanarum animarum energiam, & naturalem vim intellectricem, quæ toti ſpeciei communis exiſtit, intimamque naturam, atque perfectionem conſtituit, ſignificamus. Atque intrinſeca hæc mentis intenſio perfectio illa eſt, qua humanæ animæ ab omni alia ſpirituum ſpecie diſtinguuntur, & peculiarem ſpirituum ordinem conſtituunt. Sed hæc capacitas, ſeu intenſio mentis duplici adhuc modo conſiderari poteſt: vel enim in anima ſecundum ſe ſpectatur, prout illa eſt quædam ſpirituum ſpecies, certo perfectionis gradu & menſura, percipiendi energia a Deo donata, quin ſtatum illum, quem in corpore habet, attendamus: vel potius in anima-

bus

bus conſideratur, prout ipſæ in humanis corporibus exiſtunt, ab ipſis afficiuntur, mediiſque eorum organis, diverſa ſtructura, & temperamentis agunt, percipiunt, volunt. Intenſitas mentis in utroque hoc ſenſu uſurpatur; plurimum tamen inter ſe pro diverſo illo ſtatu, atque acceptione differt. Primo quidem modo eſt ipſamet mentis natura, atque donata a Deo indoles: in omnibus humanis individuis eſt æqualis, ejuſdemque perfectionis: ſiquis enim inter homines ſpecierum diverſitatem ſtatueret, præter quam quod aſſertum libere & citra fundamentum pronuntiaret, in phyſicam, experientiam, hiſtoriam (ne religionem in partem adducam) committeret. Eſt præterea intenſitas intelligendi humanæ mentis eodem in ſenſu finita, intra arctiſſimos cancellos limitata; augeri, perfici, variarique nulla ratione poteſt: eſt enim ipſiuſmet animæ natura, atque eſſentia, quæ per ſe ipſam eſt vis quædam percipiendi, ſeu ipſamet perceptio.

662. Intenſitas intelligendi ſecundo modo ſpectata latiſſimam graduum, ſeu perfectionum multiplicitatem, atque diverſitatem admittit: in humano ſcilicet corpore exiſtens eatenus vim perceptricem exerit, quatenus per ſenſuum organa, cerebrique conſtitutionem exerceri permittitur, ad eamque externorum objectorum actiones pervenire aliquo modo poſſunt: pro varia igitur organorum conſtitutione, docilitate, tenacitate, ſubtilitate, ſimilibuſque aliis accidentibus una eademque vis intellectrix, atque naturalis perceptio magis minuſve afficitur, exeritur, irradiat. Infinitam fere eſſe poſſe in humani corporis, ſenſuumque, & cerebri organis illis de capitibus diverſitatem, mirumque eſſe aliorum ab aliis hominibus quoad rem ipſam diſcrimen, nemo non videt, & fuſe probavimus in Phyſica viventium: unde conſequens eſt, humanæ etiam mentis intenſitatem in hoc ſenſu acceptam plurimum in humana ſpecie differre: id quod quotidiana omnium hominum, temporum & locorum experientia luculentiſſime demonſtrat, atque ratio ipſa perſuadet. Aliam in aliis hominibus eſſe nervorum, fibrarum, aliarumque tum cerebri, tum

organorum partium ſubtilitatem, tenſionem, duritiem, flexibilitatem, & mille hujuſmodi affectiones; ab iiſque omnibus non modo ſenſuum, ſed hominis etiam ingenium, memoriam, judicium, eorumque ſtatum, munera, & uſum pendere, in dubium a nemine revocari poteſt.

663. Plurimas in ſenſuum organis, & cerebri fibrarum ſtatu mutationes ſubinde fieri poſſe non modo ad breve aliquod tempus, ſed per totam vitam manſuras, ex naturali ipſa rerum viciſſitudine, atque cauſſarum actionibus, ex objectorum in ſenſus noſtros incurſibus, & influxu, & tandem ex perenni ſpirituum animalium fluxu aut irrigatione, milleque aliis de cauſſis conſequitur. Atque hæc cauſſa eſt, cur naturale hominum ingenium, ſeu mentis humanæ intenſitas & capacitas quamplurimis in uno eodemque homine obnoxia ſit mutationibus, augeri minuique poſſit ejuſdem hominis ingenium, judicium, prudentia, memoria, ceteræque animæ noſtræ dotes. Hujus naturæ mentales viciſſitudines, atque mutationes ad tempus ſaltem breviſſimum factas unuſquiſque noſtrum in ſemetipſo animadvertit, cum pro vario corporis ſtatu, animi quiete, ſpirituum ſanguiniſque agitatione, & ebullitione modo melius, modo ægre, difficillime, nequaquam res eaſdem capiamus, memoria, ingenii perſpicacitate, judicii, prudentiæque maturitate, & pondere valeamus. Hebetes nonnunquam nulliuſque ingenii ſibi eſſe videntur, & reapſe exiſtunt homines aliunde acutiſſimi: quid frequentius quam naſutiores, & prudentiſſimos Catones nonnunquam inſanire, & bonum aliquando dormitare *Homerum*? Ad breve plerumque tempus ſunt prædictæ humanarum mentium viciſſitudines; ſi memoriam excipias, de cujus amiſſione homines paſſim ingraveſcente ætate queri andimus: quam in priſtinum ſtatum atque felicitatem reſtitui, rariſſimum erit exemplum. Sed in aliis etiam animæ facultatibus fieri poſſe mutationes perpetuo manſuras, memoriæ ipſius, & non infrequentia alia exempla demonſtrant. Id eſt animadverſione dignum, quod in deterius ſæpiſſime, in melius multo

to rarius quoad hæc omnia tranſmutamur: quod facilius procliviuſque ſit naturalia illa organa corrumpi, quam corrupta reparari, & in priſtinum ſtatum reſtitui. Ex hiſce omnibus, quorum partem in Phyſica viventium, partem in Metaphyſica conficimus, impræſentiarum ſolum delibamus, prono alveo deſcendit, naturæ, phyſicarum cauſſarum & naturalium legum opus eſſe, quod homines ſtupidi, & maxime hebetes paullatim, aut repente ingenioſiſſimi evadant, & viciſſim; ſimileſque aliæ in ceteris animæ noſtræ facultatibus mutationes accidant. Quare riſu & cachinnis exſibilari debent, qui ejuſmodi facta, quæ de viris aliquot ſanctitate & eruditione illuſtribus aſſeruntur, miraculo attribuunt, ut apud non paucos hiſtoriographos legimus: ſed dandum id eſt & tempori & præjudiciis, & Phyſicæ, atque Criticæ defectui. Duo enimvero tamquam indubia ab iis etiam miraculorum aſſertoribus admittentur, in rem facientia: primum, prædictos effectus in ſceleſtis quandoque hominibus chriſtianam religionem irridentibus peractos fuiſſe legimus, in quibus ne ullum quidem miraculi veſtigium, aut umbra admitti poteſt: ſecundum, citra ullum omnino miraculum, ſoliſque naturæ legibus atque notis cauſſarum viribus, ægritudine, vehementibus paſſionibus, ætate fieri, ut homines acutiſſimi antea ingenii, acerrimi judicii, & prudentiæ hebeſcant, repueraſcant, inſaniant: cum igitur ab eo malo non raro convaleſcant, priſtinumque cerebri & ſpirituum ſtatum recuperent; quidni paria etiam in iis fieri poſſe affirmabimus, qui hebes ingenium a natura ſortiti ſunt?

664. Ab eadem præterea cauſſa eſt, quod alius quidem natura feratur ad Phyſicam, Matheſi alter delectetur; ſit qui ad Metaphyſicam pendeat, aliique ſimiliter alias præ aliis ament ſcientias, artes, objecta. Mira hæc cum inclinationum, tum paſſionum, affectuum, atque ſtudiorum varietas, quibus mortales omnes ducimur, quamdiu in humanis corporibus vivimus, ab iiſque ſemper dependemus, ab infinita fere temperamentorum humani corporis multiplicitate, ſtatu, & mechaniſmo deri-

vatur: hanc ſcilicet diverſitatem ab ipſa ſpiritus humani ratione & diſcrimine non eſſe, vel id luculentiſſime demonſtrat, quod unus idemque homo (in quo eadem ſemper eſt anima) pro vario ſolummodo corporis ſtatu, temperie, indole omnia illa phænomena atque effectus in ſeipſo diverſis temporibus experiatur.

§ 665. Capacitas extenſionis numero idearum comprehenditur, atque in iis conſiſtit, adeo ut qui majori idearum numero inſtructus ſit, capaciorem etiam mentem habere dicatur: quid enim mens humana valet, dum in materno utero deliteſcens, omni plane idearum genere deſtituitur? Animam eo in ſtatu ſecum ipſa comparemus, cum in extrema jam ſenectute poſt diuturna ſcientiarum & artium ſtudia longo rerum uſu, hominum conſuetudine, & librorum lectione contrita, ſumma, quæ hominibus licet, rerum eruditione adornatur: quantum enimvero animæ a ſemetipſa diſcrimen! Ideæ ſenſu, conſcientia, compoſitione, ratiocinio comparantur; prout res ipſæ atque veritates ſub ſenſum aut rationem cadunt: ſunt enim quæ ſolo ſenſu, ſunt quæ ſola conſcientia, aut ratione attinguntur: non pauca etiam utroque modo nobis comparamus, eoque pacto fit, ut triplici hac via ſentiendo, ratiocinando, percipiendo, componendo mentis noſtræ capacitatem in extenſionem augeamus. A cunis ipſis, ſeu materno utero, quo primas forſitan rerum ideas ſenſatione acquirimus, ad mortem uſque mentalis iſthæc perfectio ſtudio, lectione, experientia, ratiocinatione, meditatione, reflexione, conſcientia, compoſitione augetur, & memoria conſervatur: a qua, ut facile apparet, prædicta mentis capacitas, atque perfectio plurimum dependet. Præterquam enim quod ipſamet rerum ſcientia atque cognitio ſit præcipua animæ noſtræ perfectio, illaque tantummodo ſciamus, quorum memoriam habemus atque ratione aliqua recordamur; ipſamet idearum multitudo atque varietas in cauſſa eſt, ut dum illas conſpicimus, evolvimus, explicamus, comparamus, enucleamus, miram ratiocinandi facilitatem acquiramus, ingeniique acies, aut acuatur

tur magis aut expediatur, judicandi vis longo uſu errando & tentando confirmetur: id quod ad mentis intenſitatem ſpectat. In toto ideali mundo ſeu capacitate extenſionis, intenſio unice exercetur: in noſtris ideis toti ſemper ſumus, neque extra illum mundum divagari unquam poſſumus. Dum haſce ideas perluſtramus, & circa hanc extenſionis capacitatem veluti ſpatiamur, pro varia, quæ hominum eſt, mentis intenſione, multiplici energiæ, perſpicaciæ, & intelligentiæ diſcrimine noſtrummet fundum contemplamur, intuemur, cognoſcimus: ut in iis fieri videmus, qui videndi ſtudio peregrinantur, humanaque negotia & commercia tractant, quorum alii perfunctorie res aſpiciunt, alii intra ſuperficiem non penetrant, ſunt qui altius intueantur.

666. Quidquid mens humana circa ideas atque idearum objecta peragit, quidquid in iis percipiat, atque ex iis in rebus agnoſcat, ad quatuor hæc capita reducit *Locke*, *exiſtentiam*, *identitatem* aut *diſtinctionem*, *coexiſtentiam*, *relationes*, quibus addere poſſumus *generalem analogiam*, *& abſtractionem*. Singula ſeorſim explicemus.

Quod primum attinet, idearum exiſtentiam intima conſcientia percipimus: quælibet idea & cognitio mente concepta eſt ſuæmet exiſtentiæ expreſſio & manifeſtatio: ita dum hunc ſolem, chartam, atramentum mente cogito, me de eorum ideis, atque illarum realitate & exiſtentia plane eſſe convictum, eſt omnino neceſſarium, etſi ad eas rerum ideas peculiari mentis attentione non animadvertamus: niſi quis diceret, poſſe me de ſole v. g. cogitare, & claram illius ideam habere, quin me de hujuſmodi idea atque cogitatione conſcius actu ipſo exiſtam. Rerum pariter exiſtentiam, quæ ſunt idearum objecta, earumdem idearum ope a mente cognoſci jam ſuperius probavimus, cum ideas illud eſſe confecimus, quo objecta quæcumque nobis innoteſcunt, atque repræſentantur. Duo hæc ſunt prima & præcipua idearum munera, ſeipſas, earumque objecta menti exhibere, quod ipſum eſt ſui exiſtentiam manifeſtare. Quoniam ve-

ro ſenſu, conſcientia, ratiocinatione rerum ideas comparamus, ſingulis etiam hiſce modis earumdem exiſtentiam agnoſcimus.

667. Idearum rerumque aut *identitatem* aut *diſtinctionem*, quod alterum ex iis eſt, quæ in ideis, mediiſque ideis cognoſcimus, intima conſcientia percipimus. Equidem rerum diſtinctionem aut identitatem per idearum diſtinctionem atque identitatem a nobis cognoſci, eadem ratione conſtat, atque probari poteſt, qua ſuperius rerum veritatem per ideas manifeſtari, eaſque veras eſſe ſuorum objectorum repræſentationes confecimus: primum hoc eſt rei cujuſcumque veritatis atque veræ repræſentationis caput, *rem eſſe id quod eſt*, atque *ab omni alio diſtinctam exiſtere*: niſi hæc duo in objectis repræſentarent ideæ, objectorum realitatem non repræſentarent, neque iis eſſent in repræſentatione ſimiles: quorum igitur ideæ apparent inter ſe diſtinctæ, aut idem, veram inter ſe diſtinctionem, aut identitatem habere citra erroris periculum pronuntiamus.

668. Idearum diſtinctionem aut identitatis perceptionem quod ſpectat, cujuſcumque rei idea, v. g. doloris, apparet primo generatim id eſſe, quod eſt; ſecundo, ab omni alio, quod in ipſa non involvitur, eſſe diſtinctam: tertio, dum aliarum rerum ideas cum percepti doloris idea comparamus, ipſomet intimo ſenſu atque conſcientia percipimus intimam illam diſtinctionis notam, quam clariſſime quidem percipimus, verbis tamen rem non intelligenti explicare non poſſumus. Eſt id vero ingenii, & penetrationis opus, quod a ſola natura docemur atque peragimus, quin ad id regulis aliquot dirigi, aut alios dirigere valeamus. Ita fit, ut quo quis ingenio magis valet, rerumque ideas profundius meditatur, illarum inter ſe diverſitatem clarius atque diſtinctius percipiat; dum contra qui pingui ingenio præditus eſt, puta homines ruſtici, inculti, illiterati, hebetes in cortice hærent, idearumque vel clariſſimarum diſtinctionem non intelligunt. Cogitationis atque extenſionis ideas in medium propoſitas perſpicax quidem ingenium facile

a ſe

a ſe mutuo diſtinguit, unamque ab altera ſejungit; confundit vero, aut ſaltem clare inter ſe diſtinguere neſcit, qui craſſo ingenio præditus in rerum cortice hæret. Quid enim aliud reponetur, ſi a ruſtico, aut hebetis ingenii homine quæramus, ſintne inter ſe diſtinctæ cogitationis atque extenſionis ideæ, fierique poſſit ut in unam eamdemque ideam conflentur, ſpirituſque proinde extendatur, materia autem cogitet? Admirationi itaque eſſe non debet, non eaſdem ab omnibus æque diſtingui aut in unum confundi ideas, quod tum ſolummodo obtineremus, ſi pari omnes ingenio, meditatione, & genio eaſdem contemplaremur. Prætermittendum hic non eſt, ex uno hoc idearum identitatis, aut diſtinctionis charactere & nota, quam in ipſis cogitando percipimus, rerum diverſitatem, aut identitatem a nobis cognoſci, citra quod diſtinctionis argumentum vix aliquid in mundo eſſet, quod clare perciperemus.

669. Tertium, quod in ideis, earumque ope in objectis animadvertimus, eſt *coexiſtentia*: quæ quidem percipiendi ratio primam illam ſupponit, qua tum idearum tum rerum exiſtentiam cognoſcimus, neque enim coexiſtere res cognoſcimus, quas non prius exiſtere percipiamus. Sæpe accidit ut quarumdam rerum ideas intuendo atque meditando, eas quidem diſtinctas inter ſe animadvertamus, ita tamen diverſas, ut una aliam non excludat, immo in una eadem re phyſica inveniantur, ut cum extenſionem, ſoliditatem, magnitudinem, mobilitatem, figuram concipimus, facile animadvertimus, quantalibet interveniat inter ipſas diſtinctio, atque diverſitas, cujus ratione ſeparatæ nonnunquam exiſtunt, ut extenſio in ſpatio ſine ſoliditate, in corpore tamen omnes inſimul reperiri. Ita in ſingulari quocumque objecto, v. g. *pietate*, plurimas inſimul abſtractas ſuperiorum graduum ideas bonitatis, virtutis, honeſtatis deprehendimus.

670. Quarto loco ideas inſpiciendo mutuam aliarum ad alias *relationem* intimo conſcientiæ ſenſu percipimus. Quemadmodum multiplex exiſtit relationum genus, cauſſæ, effectus, conditionis,

ſimilitudinis, diſſimilitudinis (quarum etiam plures ſunt ſpecies) connexionis, diverſitatis, ſitus, & aliæ quamplurimæ; ita latiſſime patet, omneſque omnino ideas comprehendit hic percipiendi modus, ideaſque univerſim omnes ad alias viciſſim referimus, ſeu potius proprias earum relationes mente attingimus. Singula quæ in rerum natura exiſtunt, ad alia ſecundum aliquod relationis caput referuntur. Deus ipſe ens ſummum atque abſolutiſſimum rerum omnium cauſſa eſt, & ad omnia, tanquam ad effectus refertur: & cum fere omne rerum creatarum *eſſe* ſit relativum, multiplicique relatione cauſſæ, effectus, ſimilitudinis conſiſtat; quo plures in qualibet creaturarum idea relationes detegimus atque cognoſcimus, eo melius & ideas & idearum objecta comprehendimus.

671. *Analogia* rerum & idearum eſt illa ſimilitudinis ſpecies & modus potiſſimus atque univerſalis, quo omnes fere artes atque ſcientias diſcimus, colimus, promovemus, veritates in peculiaribus aliquot rebus inventas ad alias etiam extendimus: eoque pacto plurimas corporum proprietates, vires, ſtructuram minori majorive probabilitate aut certitudine dignoſcimus, quo magis minuſve exacta fuerit analogia, cujus plures exiſtunt perfectionis gradus. Rei exemplum habes in humani corporis anatomia: quoniam enim maxima intercedit analogia inter brutorum atque humana corpora, eædem utrobique partes, membra, humores, ſpiritus, vaſa, partium uſus, & munera deprehenduntur; humani corporis anatomiam, peculiaremque ejus partium uſum, & mille hujuſmodi alia brutorum ſectione, atque accurato examine ediſcimus. Siquid præterea novi, ſiquod peculiaris humoris, partis, membri, nervi munus in brutorum corporibus animadvertimus, idem etiam de ſimili humani corporis parte ducto ab analogia argumento concludimus, & inſtituto examine confirmamus. Inter lucem, & ſonum, colores, & tonos, colorum & tonorum diverſitatem quoad cauſſam, medium, propagationem, diffuſionem, motum, & plura alia capita magnam animadvertimus ſimilitunem; ſum-

pto

pto inde analogiæ argumento, eumdem plane, qui in ſono obſervatur, in luce pariter locum habere mechaniſmum, eamdem fere utriuſque phænomeni cauſſam, naturam, proprietates eſſe, magna probabilitate exiſtimamus.

672. Eodem argumento ducti, quod in aliquibus datæ ſpeciei individuis, v. g. in Ægyptianis apibus animadvertimus, ad omnia alia ejuſdem ſpeciei animalcula ubicumque terrarum procreentur, vivant, extendimus, quantum ſaltem regionum, atque climatum diverſitas patiatur. Satis ſcilicet eſt res phyſicas non omnino ignorare, ut quid diverſorum climatum, atque regionum temperies in animantium indole immutare poſſit, agnoſcamus.

673. Idearum analogiæ addenda eſt abſtractio, atque hæc duo (idearum proprietates, aut eas tractandi modi) omnis humanæ ſcientiæ, atque eruditionis fundamenta, ſeu univerſalia inſtrumenta exiſtunt: primo enim ſingularium rerum cognitionem acquirimus, ab unis quæ novimus, ad alia ob ſimilitudinem argumentando: ſecundo generalia principia ſtatuimus, quæ poſtea ad omnia ſimilia individua extendimus. Demus hominem, qui de iis tantum rebus ideam, atque ſcientiam haberet; quæ ſub illius ſenſus immediate caderent, quin ab iis aut univerſalia principia, generaleſque ideas abſtractione deduceret, aut ab unis ad alia ſimilia argumentaretur: hominem v. g. qui de iis tantum hominibus, animantibus, ceteriſque a ſe in domo patriave ſua obſervatis ideam haberet: intra arctiſſimos cancellos hujuſce hominis ſcientia contineretur, dumque notos ſibi homines, humana ratione, ſenſibus, figura præditos eſſe agnoſceret, qualianam hæc eſſent in ceteris humanæ ſpeciei individuis, ignoraret, quæ ſola rerum analogia ſtatuuntur: præterea quoniam abſtractivas ideas concipiendi facultate careret, totam quidem hanc chartam ejus medietate majorem ſenſu ipſo perciperet, ſeſe, & eos homines, quibuſcum ageret, rationis lumine præditos ſciret; interim tamen neque totum univerſim qualibet ſua parte majus eſſe inferret,

ret, neque rationale communem eſſe omnibus hominibus gradum, aut propriam differentiam affirmare certo poſſet: hæc enim & ſimilia alia, quæ infinita ſunt, ex idearum tantummodo, rerumque analogia & abſtractione attingimus.

674. Quoniam objecta nonniſi per eorum ideas, in hiſce autem nihil præter ſupradicta a nobis cognoſci, intimo conſcientiæ ſenſu & meditatione animadvertimus; facile inde apparet humanæ mentis imbecillitas, quæ in rerum cortice ſemper hærens altius non penetrat, neque rimatur. Primo enim omnium rerum eſſentias ignoramus: id quod noſtramet conſcientia, atque triſtis experientia docet: quid tandem ſit eſſe ſpiritum, quid corpus, quid ſingularia quæcumque ſpirituum aut corporum individua, magnificis nos aliquando verbis, & terminorum circumlocutione tradimus, quin tamen noſmetipſi intelligamus. 2°. Infinitum, & quidquid infiniti proprium eſt, non modo comprehendere, verum utrumque percipere, aut aliquam de illo ideam comparare, quæ obſcuriſſima non ſit, & confuſiſſima, nulla ratione poſſumus. Ea ſcilicet eſt finiti ad infinitum relatio, ut primum ad ſecundum nullam omnino habere rationem aut proportionem poſſit: non modo vero finita eſt, ſed inter ipſas res finitas tenuiſſima hominis ratio, atque intelligendi facultas; infinito igitur, ejuſque proprietatibus, & potiori jure ſupremo infinitæ perfectionis enti comprehendendis, definiendis, percipiendis impares natura exiſtimus. 3°. Innumeræ etiam ſunt veritates atque objecta in rerum natura exiſtentia, quorum, cum in ſenſus noſtros nunquam inciderint, nullam prorſus ideam habemus. Geometria, quamlibet hodie veritatum amplitudinem complectatur, in infinitum fere promoveri, atque augeri adhuc poteſt; in phyſica ſimiliter, ut omnia alia humana eruditionis capita prætermittamus, etſi quamplurima in lucem quotidie extrahat aut caſus, aut hominum diligentia, in cortice nihilominus ſemper hærebimus, ſumma rerum nos ſemper fugiet, partim ob noſtræ ipſorum mentis tenuitatem, partim quia in ſenſus nunquam cadunt

res

res quamplurimæ, aut illorum habetudinem tranſcendunt; partim denique quia non iis, quibus inſtructi ſumus, ſenſibus attingi illa poſſunt. Quanta enimvero rerum, objectorum, & veritatum genera ſublimiores ſpiritus, hominum etiam animæ ab hiſce corporibus ſeparatæ non percipiunt, quæ nos iiſdemet rebus circumdati, animadvertere non poſſumus! Hæc omnia perpendenti humana ratio exiguum illud lucernæ lumen eſſe dicetur quod tenebroſa nocte ſub aperto horizonte circumfertur, & ad unum aut alterum paſſum objecta remiſſe illuminat, atque viſibilia reddit, dum interim ejus luminis ope immenſam, quæ circumſtat, ſpatiorum amplitudinem, atque objectorum multitudinem diſcernere nullo modo poſſumus. 4°. Quidquid ſupernaturale eſt, alterius ſcilicet ſublimioris ordinis ſupra humanæ intelligentiæ captum veritates, puta altiſſima, & reconditiſſima Chriſtianæ religionis myſteria, ſupremi Numinis, entis ſcilicet infiniti attributa, & alia omnia, quæ infinitatem ſapiunt, aut intra finitæ perfectionis limites humanam intelligentiam longiſſime ſuperant, noſtræ mentis aciem fugiunt.

675. Elementis jam expoſitis, unde humanæ mentis capacitas non modo abſoluta, verum etiam relativa dignoſci, dimetirique poſſit; iis prætere notatis anguſtiis, quas hominum ingenium, atque intelligendi vis, quandiu in præſenti rerum ſtatu vivimus, prætergredi non poteſt, ſi noſtræmet tenuitatis, atque vivendi brevitatis conſcii noſmet amamus, tempus inutiliter conſumere nolumus; & aliquid in ſcientiis, & artibus proficere volumus, ſequentes regulas, quæ ex dictis ſponte profluunt, diligenter ſervabimus.

Regula I.

676. *In phyſicorum corporum, aliarumque rerum eſſentiis indagandis, & perſcrutandis non immoremur, niſi & tempus & laborem perdere amemus.*

Fit

Fit ſæpiſſime, ut qui ſcientias in ſcholis pertractant, ita de rebus differant, eaque verborum pompa aliis tradant, ut hominum vulgo ſuaderi velle videantur, ſeſe communem aliorum hominum ſortem tranſgreſſos, reconditiora rerum penetralia atqua eſſentias attingere. Dari id utcumque poteſt indoctæ & ardenti juventuti litterariæ, quæ dum ſanguis ebullit, doctrinæ & exiſtimationis gloriolam affectant, & inhiant, ſibi, & aliis imponere malunt, quam ingrata ignorantiæ conſcientia, & confeſſione erubeſcere. Verum ætatis flexu deferveſcente jam ſanguine, matureſcentis ingenii, atque doctrinæ argumentum eſt, perfectam eſſentiæ rerum ignorantiam aperte fateri.

Regula II.

677. *Prætermittendæ ſunt omnes quæſtiones de infinito, infiniti proprietatibus, iiſque omnibus, quæ infinitatis ideam ſecum trahunt: finitæ tenuiſſimæque menti terenda prorſus non eſt hujuſmodi provincia.*

Finitis enim rebus quamplurimis intelligendis impares quid de infinito percipere aut prudenter ſtatuere poſſumus. Et hinc antiquiſſimas illas quæſtiones philoſophorum contentionibus celebres *de numero infinito, de æternitate, de diviſibilitate corporis in infinitum, de ipſamet infiniti natura, de ſeriebus in infinitum creſcentibus, aut decreſcentibus, & actu exiſtentibus, utrum infinitum ſit infinito majus*, v. g. *infinitum digitorum infinito manuum: de infinito utrinque terminato, ſeu intra duos datos terminos comprehenſo.*, & alias ejuſdem farinæ omnino prætermittamus. Poſt duo & amplius annorum millia, ex quo de his rebus a philoſophis ſummo ingenio præditis diſputatur, ne latum quidem unguem res eſt promota, neque ulla promovendi ſpes affulget. Quid de luce & coloribus concipiet cæcus? Eadem regula complectimur modum exiſtentiæ plurimarum rerum, quæ certæ alioquin ſunt, a nobis tamen intelligi vel nullo modo, vel hac ſaltem

tem vita non poſſunt. Hujuſmodi ſunt in naturalibus rebus continui partes, unio animæ cum corpore, mutuum inter hæc duo commercium, influxus & dependentia; in ſupernaturalibus vero myſteria religionis, quæ nulla naturalis ratio comprehendere, aut claritate aliqua percipere poteſt. Hæc ſcilicet aut perfectionis infinitatem in ſe continent, aut in ipſo ſummi Numinis infinito lumine deliteſcunt. Quoniam tamen ex una parte hiſce divinis rebus percipiendis impares omnino natura exiſtimus, ex alia vero illa penitus ignorare, de illorum veritate non eſſe convictum, aut eam in dubium vocare per religionem non licet; utrique per fidem ſuppletur, quæ humanæ rationis, immo & ſenſuum ſupplementum exiſtit; ita ut humana fides atque auctoritas in naturalibus, divina in ſupernaturalibus mentis ſenſuumque defectus, & imbecillitatem ſuppleat: ſupplet igitur in ſupernaturalibus rationem, propterea quod quæ illius ſunt ordinis, non modo ſenſu, quod parum eſſet, ſed nulla etiam ratione attingimus: ſupplet vero in naturalibus rebus ſenſum, eo quod infinita fere ſunt, aut acciderunt in naturali rerum ordine, quæ ſenſu quidem attingi abſolute poſſunt, temporis tamen, locive diſtantia, & pluribus aliis de cauſſis ſub ſenſum, niſi iis hominibus, cadere non poſſunt, qui præſentes rei teſtes fuerunt. Tum iis tantum rebus tenendis rationis aut ſenſuum imbecillitati ſuppetias affert fides; ratione, ſenſu, fide bene utimur, & præſcriptum a Deo naturæ ordinem tenemus: & rectum hunc naturæ, atque rationis ordinem ſæpiſſime deſerimus, & in vitium declinamus, dum ob naturalem deſidiam, ſtudendi, meditandi, obſervandi, laborandi averſionem innumera, quæ ratione aut ſenſu percipere poſſemus, credere potius quam ſcire malumus, aliorumque potius fide, labore, & induſtria, quam noſtra diligentia erudiri amamus.

Re-

Regula III.

678. *Ea ſolum tentanda, atque in iis ſtudia omnia noſtra ponenda ſunt, quæ mente tandem aſſequi per humanæ rationis vires licet.*

Dum hanc regulam inculcamus, a Lectore ſemper animadverſum vellem, philoſophum de humanæ rationis in rebus intelligendis uſu, ejuſque directione in ſcientiarum & artium ſtudio agere: religionis divinarumque rerum ſtudium ſacrum hominibus ſemper eſſe oportere, nunquam quoad vivimus prætermittendum; eatenus tamen ad res divinas regulam etiam extendimus, quatenus myſteria noſtra adorari quidem & firmiſſime teneri, nequaquam tamen intelligere laboremus. Horum primum, ſiquod aliud, noſtra omnium maxime intereſt, maximiſque proinde ſtudiis proſequendum; ſecundum tamquam impoſſibile prætermittendum. Regula hoc ſenſu accepta eſt ſuperiorum corollarium. Inter illa quæ aſſequi ingenio noſtro poſſumus, hoc agnoſcitur diſcrimen, quod mentis quoque noſtræ directioni inſerviet: ſunt ſcilicet *neceſſaria*, ſunt *utilia*, ſunt tandem alia *puræ curioſitatis*: prima ſecundis, ſecunda tertiis præponenda ſunt, & potiori loco habenda. *Neceſſitatis* ſunt præter religionem artes ad vitam neceſſariæ, *loqui*, *ſcribere*, *legere*, *Aritmetica*, *Phyſica experimentalis*, & plures aliæ artes, e quibus hominum vita, humanæ ſocietatis, atque rerum publicarum conſervatio pendet: atque hæc prima eſſe debent, quibus homines pro ſua quiſque mentis indole, ſtatus conditione, fortuna, & viribus ſedulo incumbere oportet. *Utilitatis* ſunt medicina, pictura, eloquentia, poeſis, & quamplurima alia humanæ eruditionis capita vulgo notiſſima, ſine quibus barbaræ adhuc, incultæ, rudeſque eſſent nationes, aut durum vitæ genus duceremus: hæc igitur, niſi priorum illarum rerum ſtudio obſint, quod vix credendum eſt, pari etiam animi ardore aggredienda ſunt. Inter *puræ curioſitatis* alia ſunt non prorſus inutilia, alia ne-

neque utilia neque noxia, alia tandem noxia: prioris ordinis ſunt aliquæ poematum, & carminum ſpecies, quibus neque ad virtutem incendimur, neque ad vitium avertimur, honeſte tamen delectamur: ſecundi exempla eſſe poſſunt quamplurimæ Scholaſticorum quæſtiones, entia rationis, figmenta, ingenii luſus, a quibus nihil ſucci exprimi poteſt: ad tertium ordinem ſpectant omnia illa ſtudia, libri, artes, quæ religionem, mores corrumpunt & humanæ ſocietatis fundamenta convellunt, ut Aſtrologia judiciaria, aliquæ Alchimiſtarum operationes, Atheiſmus, & plures aliæ doctrinæ peſtes, quæ humano generi dedecori ſunt, atque ruinæ: quonam autem ſtudio hæc omnia pro ſingulorum merito vitanda ſint, multis exponere ſuperflueret.

679. Hiſce in regulis obſervandis, ſtudiorum delectu habendo, & mente circa delecta ſtudia dirigenda illam ſemper ante oculos habere ſententiam opus eſt, *Ars longa, vita brevis, experimentum fallax, ratio difficilis*: quæ rite animadverſa utilibus nos tantum ſtudiis, atque neceſſariis ſedulo incumbere, ad ſcientiarum, aut artis alicujus, ſtudentis genio conformis, delectum habendum, ad omnia denique impoſſibilia, inutilia, noſtrum captum ſuperantia, & otioſæ mentis ſubtilitates atque figmenta devitandum impellet. Quæſtiones præterea de poſſibili ſtudioſe fugiamus: mundum enim poſſibilium, ſeu Divinæ Omnipotentiæ vires atque limites agnoſcere & ſtatuere, conſilium nobis eſſet ſummæ ignorantiæ, temeritatis, & fatuitatis plenum, qui exiſtentem mundum vix a longe & ſuperficie tenus attingimus, & nonniſi paucas illius partes agnoſcimus. Cum præſentia fere omnia ignoremus, quæ nos propius tangunt, circumdant, moleſtiis, aut commodis afficiunt; quid in ignotiſſimum poſſibilium rerum mare, ſine duce, ſine acu, gubernaculo, ſole ac ſtellis nos committemus, tenebris circumquaque ſuffuſi? Perinde hoc eſſet atque fertile, nativum notumque ſolum noſtro met labori, atque culturæ traditum, & ex parte jam quantum ad vitam alendam opus eſt, cultum re-

lin-

linquere, atque ad ignotiſſimas polares regiones nulla ſpe, aut emolumento ductos ſolvere. Quod de poſſibilibus dicimus, de impoſſibilibus pariter intelligendum oportet. Hac ſane in parte, quod animantia bruta ſolo inſtinctu, atque naturæ ductu paragunt, non ineptum nobis foret magiſterium: dum enim in rebus neceſſariis, ac utilibus quærendis tota ſunt, a vanis atque inanibus ſtudiis nos avertunt exemplo: a quo ſane inconſulti recedimus, rectumque naturæ dictamen invertimus, dum inutilia, atque vana potiori loco, quam neceſſaria atque utilia habemus.

680. Ex omnibus hucuſque dictis facile apparet, quantula ſit humanæ mentis capacitas, intenſione, & extenſione comprehenſa, tum abſoluta, tum etiam relativa. Vel mentis noſtræ intenſionem, vel extenſionem ſpectemus, primamque ad ſummam intelligentiam, alteram vero cum intelligendarum rerum numero conferamus; tota illa capacitas, humanum ſcire, humana perceptio, atque eruditio eſt nihil: quid enim ingeniolum noſtrum finitum, debile, anguſtiſſimum ad mentem infinitam? Quid noſtra quoque eruditio cum ſciendarum rerum, & veritatum numero comparata, finitum iterum, & breviſſimum cum infinito? Cum res itaque ſint infinitæ, mentis autem capacitas, memoria, vivendi ſpatium, humana diligentia & ſtudia ſint breviſſima; noſtra hominum ſcientia *abſolute* eſt nihil, & aliquid ſolummodo exiſtit *relativum*: hominem da ſummo ingenio, memoria, ſciendique deſiderio præditum, diuturna vita functum, valetudine, librorum delectu, copia, aliiſque omnibus ad doctiſſimum hominem efficiendum neceſſariis inſtructum: hujuſmodi hominis ſcire nihil eſt. Sapientiores, qui cum deſcripto a nobis homine comparari, niſi irridendi cauſſa, non poſſunt, *doctiſſimos*, *ſapientiſſimos*, *eruditiſſimos*, ſummis mentibus præditos nuncupari paſſim per ſummam adulationem aut ignorantiam audies. Si hujuſmodi epitheta aliquid apud homines ſignificant, opus ſane eſſet urbana hæc atque grata mendacia in oppoſita omnia convertere vocabula.

681. Quæ

681. Quæ cum ita ſint, nihil apud litteratos pluris eſſe debet, quam modeſtia, qua de ſe ipſis modeſte ſemper ſentiant, atque loquantur, ſi quando, quod rarum eſſe debet, de ſe ipſis, eorumque ſtudiis loqui opus ſit. Non obſcurum hoc plerumque eſt, aut rarum hominis docti argumentum, atque a litterario hypocrita, aut ſciolo diſcrimen, loquendi, deque ſe ipſo ſentiendi modeſtia. Eo ſane minus de nobiſmet ipſis confidimus, magiſque noſtram ignorantiam animadvertimus, quo longius in ſcientiarum ſtudio provehimur: & ſæpiſſime accidit, litterariam multorum annorum, atque ſtudiorum vitam poſt tot exantlatos labores, & contritam inter libros ætatem modeſta, ſincera, & vera ſemper ignorantiæ confeſſione abſolvere. Contra vero qui ingenium, ſcientiamque crepat magnifice de ſe ipſo ſentiens, eadem inter doctorum hominum ordines ratione & merito recenſeri debet, quo Baro *Theodorus* inter Reges, aut inclitus D. *Quixote* ſtrenuiſſimis equitibus annumeratur.

§. II.

De errorum fontibus generatim ad omnes humanas cognitiones ſpectandibus, atque de neceſſitate dubitandi.

682. Si humanæ mentis capacitatem vel ſecundum intenſionem, vel ſecundum extenſionem acceptam, prout in præſenti rerum ſtatu vivimus, hucuſque expoſitam attente conſideremus; ſi illam cum infinitæ capacitatis mente comparemus; ſi tandem infinitam objectorum varietatem & numerum tum poſſibilium, tum etiam exiſtentium perpendamus; fieri non poteſt, quin noſtram hominum ignorantiam commune omnibus malum demiremur: adeo pauca ſunt, quæ certitudine aliqua rationis, ſenſuum, auctoritatis aſſequimur, dum interim circa omnia alia, quæ infinita ſunt, omnino cæcutimus. Minus tamen eſſet de communi hoc noſtræ conditionis malo dolendum, niſi illi præterea accederet maximum illud errandi periculum,

& fere neceſſitas, qua poſt primam humanæ naturæ corruptionem in mille paſſim errores labimur, quin ullus ſit qui ſatis ſibi ab iis cautum in aliquo vitæ tempore gloriari merito poſſit. Utrumque id malum & a propria conſcientia, & a quotidiano omnium hominum experimento edocemur. Ignorantia & error duo ſunt humanæ mentis mala inter ſe diverſa, licet plurimum ſibi mutuo affinia, atque ab iiſdem, aut ſimilibus cauſſis proveniant, ut jam jam indicabimus. Secundum tamen priori longe majus exiſtit, propterea quod magis a ſcientia atque veritate cognitionum, quæ eſt humanæ mentis perfectio, recedat error, quam ignorantia. Aliquid ſcilicet ignorantiæ addit error, quo magis ſcientiæ & veritati opponatur; qui enim rem ignorat, in pura veritatis privatione vivit; qui vero errat, in pura illa privatione non ſiſtit, ſed adoppoſitum extremum declinat, quod dedoceri opus eſt, ut ad veram rei cognitionem redeamus.

683. Præterea ignorantia non tam dici debet malum, quam humanæ mentis & omnium creaturarum, finitarumque mentium neceſſaria conditio, quæ ob finitam, qua præditæ ſunt, intelligendi & retinendi capacitatem, non niſi res finitas agnoſcere poſſunt, atque recordari, dum infinita, quæ ſuperſunt, ignorare ob naturalem earum conditionem neceſſe eſt. Quod perinde accipiendum non eſt, quaſi univerſa hominum ignorantia ſit humanæ conditionis effectus, neque ipſis verti poſſit vitio, Etſi enim infinita ſint, quæ ob finitæ mentis conditionem neceſſario ignoramus; vitio tamen atque negligentia noſtra fit, ut ex iis, quorum ſcientiam atque cognitionem aſſequi poſſemus, innumera ignoremus, quæ aſſiduum obſervandi, legendi, meditandi, doctoſque conſulendi, uno verbo, ratione, ſenſibus, auctoritate utendi ſtudium, & conſuetudo aperiret. Errorem ex adverſo finitæ menti, atque humanæ conditioni referre non debemus: tunc enim in Deum tandem, a quo ſolo ſumus, & noſtram anguſtiſſimam intelligendi capacitatem unice accepimus, tribuendi eſſent hominum errores, quod & a veritate, atque Dei ip-

ſius

ſuis bonitate omnino eſt alienum. Errandi itaque malum pura puta eſt humanæ naturæ corruptionis conſequentia & effectus; nobiſque omnibus culpæ debet referri, quod in plures paſſim errores inconſulto incidimus, dum a tradenda ſtatim regula diſcedimus.

684. Ignorantiæ cauſſæ aliæ ſunt ab omni humana diligentia inſuperabiles, aliæ vero ſuperari noſtra hominum induſtria & laboribus poſſunt. Prioris generis eſt humani ingenii tenuitas, finita atque limitata capacitas: ad ſecundum ſpectant innata hominibus negligentia, aliæque plures modo a nobis referendæ. Quæ vero in errores ſpeciatim influunt, ſunt omnes ab humana diligentia ſuperabiles, & vitari induſtria atque ſtudio poſſunt. Initium a prioribus ducendo, humanæ ignorantiæ cauſſæ potiſſimæ ſunt: 1°. *quod mentis capacitas ſit finita*, anguſta, & breviſſima; objecta vero vel numero, vel perfectione infinita, & quamplurima etiam adeo ſupra humanum intellectum eminentia, ut ab illo comprehendi penitus nequeant. Quæ ab eo fonte deſcendit ignorantia, infinitas veritates tum poſſibiles, tum exiſtentes comprehendit, eſtque humanæ conditionis propria. 2°. *Cauſſa ſecunda eſt defectus idearum, atque connexionis inter illas*. Quocumque modo ideas in mentem gigni, in illamque provenire ſtatuamus, illaſque vel omnes a ſenſibus derivemus, vel aliquas innatas eſſe ponamus; innumera plane ſunt, de quibus neque innatam, neque acquiſitam habemus ideam: hujuſmodi ſunt ſubſtantia, ſpiritus, alii mundi: quin etiam earum, quas habemus, idearum connexiones & mutuas relationes ob humani ingenii tenuitatem non cognoſcimus: quæ ſi eſſent nobis notæ, omnes artes atque ſcientias mirum in modum promoveremus. Quidquid in Geometria fuit hactenus inventum atque demonſtratum, hujuſmodi inter magnitudinis ideas connexionibus debemus; quarum ope fit, ut veritatem ex veritate deducamus, eamque propopoſitionum ſeriem ordinemus, qua ex facillimis, ac ſimpliciſſimis principiis unica idearum connexione ad veritates recon-

ditiſſimas conſcendimus. Quiſnam vero eſſet Geometricæ ſcientiæ terminus, ſi omnes, quæ inter magnitudinis ideas ſunt, connexiones inſpiceremus, cum pauca illa nobis nota mentem eo profunditatis atque ſublimitatis deducant, quo pervenire vix per humanam tenuitatem liceret? Quod in Geometria, in plurimis aliis artibus, atque ſcientiis locum habet. Secundum hoc ignorantiæ noſtræ caput partim eſt neceſſarium, ex naturæ ipſius conditione conſequens, & inſuperabile, partim vero ex noſtra hominum negligentia deſcendit, qui quo par eſt ſtudio, meditatione atque diſcuſſione ideas noſtras non examinamus. *Tertia ignorantiæ cauſſa eſt ſtatus animæ in corpore*, intellectus ſcilicet, atque memoriæ, aliarumque potentiarum imbecillitas, quarum actiones a corporis atque organorum ſtatu, indole, & diſpoſitione pendent. Enimvero facile concipimus, modo longe perfectiori eas animæ potentias, atque potentiarum actus ab anima in ſeparationis ſtatu elici, atque etiam eliciendos, ſi animæ actiones atque ſtatus a corpore non penderent. Quoniam itaque corpus atque ſpiritus ſumus, utraque hæc noſtri pars, altera ab altera viciſſim dependet: corpus præterea maximo animæ impedimento eſt, ne ſentiat, percipiat, intelligat, intueatur, ratiocinetur, alioſque eliciat actus animæ proprios, qui aut ad rerum ſcientiam prærequiruntur, aut eam conſtituunt.

685. Ex tertia hac univerſali ignorantiæ cauſſa plures aliæ profluunt, quæ niſi ſtudioſe vitentur, mentem in errores paſſim inducunt, & præcipuæ errorum cauſſæ exiſtunt. Triplex earum diſtingui poteſt differentia; aliæ enim ad rationem ſeu animum & affectus; aliæ ad ſenſum ſeu corpus; aliæ demum ad auctoritatem, ſeu externas cauſſas ſpectant: ita ad eadem illa tria capita, rationem, ſenſum, auctoritatem, quæ ſunt univerſæ humanæ ſcientiæ atque eruditionis fundamenta, omnes etiam hominum errores revocantur. Præcipui errorum fontes ad rationem, animum, affectus ſpectantium ſunt, 1°. confuſio ſeu falſitas idearum, unde etiam falſa judicia ac ratiocinationes profluunt, quorum

ele-

elementa atque termini ſunt ipſæmet ideæ, quæ judicia & ratiocinationes efficere nequeunt clara aut vera, dum ipſæ & confuſæ & falſæ exiſtunt. 2°. Mediarum idearum ſeu terminorum defectus, qui probationum & argumentorum munus agunt, ut alias ab aliis ideas falſo deducamus, & falſas ſæpe ratiocinationes aut proportiores a veris ideis ob falſam connexionem aut probationem eliciamus. 3°. Falſa principia, atque probabilitatis regulæ, quibus ſumus imbuti, unde recte ratiocinando in quamplurima falſa deducimur. 4°. Defectus voluntatis. 5°. Affectus, eorumque varietas, inter quos immoderata ſciendi libido humanam capacitatem ſuperans locum etiam habet. 6°. Præjudicia, quæ licet ad animum proprie ſpectent, ab educatione tamen, atque prima inſtitutione, hoc eſt, ab externis cauſſis potiſſimum derivantur. In ſenſibus, ſeu corpore quatuor hæc potiſſimum ſunt errorum fontes: 1°. Senſus ipſi, variaque ſenſuum indoles. 2°. Vis imaginationis, quæ mirum eſt in quot errores, fanatiſmum, chymæras mentem & animum inducat. 3°. Corporis, organorumque ſenſus inertia. 4°. Denique varia temperamenti ratio, indoles, & multiplex alteratio, quæ in ſenſationes, affectus, paſſiones, voluntatem in præſenti hoc rerum ſtatu plurimum influunt. Errorum fontes ab auctoritate, ſeu externis cauſſis profluentes ſunt: 1°. linguarum defectus, ſeu imperfectio, hoc eſt, vocabulorum inopia, incertitudo, ambiguitas. 2°. inſtitutio a parentibus, nutricibus, pedagogis accepta. 3°. præjudicia vulgaria nationum ad multiplicem rerum ordinem ſpectantia, quæ una cum lacte primaque inſtitutione exſuguntur, uſu confirmantur, altas animo figunt radices, ad mortem uſque animam comitantur, & a veritate removent. 4°. librorum lectio, magiſtrorum uſus, auctoritas, & humanæ ſocietatis commercium. Qui ampliſſimam hanc errorum ſegetem, quas modo ſingillatim & fuſius proſequemur, attente meditetur; in magno nos ſemper errandi periculo verſari, in errores ſæpiſſime labi, & falſa plurima veri ſpecie apparentia a nobis paſſim admitti non dubitabit.

Ex quo ediſcere facile poſſumus, pedetentim ſemper in propoſitionibus probandis & admittendis procedendum eſſe, & eo uſque judicium de re quacumque ſuſpendendum, quoad re examinata aliquod in ea veritatis criterium, argumentum, & character dignoſcatur. Non hoc tamen nos ad Pyrrhoniſmum, aut Scepticiſmum inducit: quorum primum non modo eſt falſiſſimum, verum etiam impium, atque ab omni plane rationis lumine alienum: Secundum autem, quod hac tempeſtate a quamplurimis doctis hominibus coli videtur, & aliquibus etiam primi ordinis doctoribus laudi atque exiſtimationi tribuitur, & tamquam indubia præclaræ doctrinæ, ingenii, ac eruditionis argumentum commendatur, ſi extra præſcriptos prudentiæ & criticæ fines non promoveatur, a nemine ſugillari, aut vitio dari poteſt, immo dignum haberi debet quod ab omnibus commendetur, atque ſtudioſe colatur. Prudens enimvero Scepticiſmus, qualem eruditiſſimorum aliquot hujus ætatis hominum fuiſſe exiſtimo, hoc uno continetur, quod mentis aſſenſum cohibeamus, ubicumque prudens aliqua dubitandi ratio occurrat, & omne veritatis criterium deſideretur. Neque id ſententiis & opinionibus in uſum deducendis opponitur: licet enim innumera pene ſint Phyſicæ, Medicinæ, Moralis, aliarumque artium dogmata in vitæ uſum deducta, quæ nequaquam certa exiſtunt; ut hæc tamen aliis præferamus, ſatis eſt quod magis ad veritatem accedere appareant. Neque lectori philoſopho ſuadere vellem celebrem illam *Carteſii* propoſitionem, *de omnibus dubitandum*, quam ille hypotheſis loco, atque philoſophandi tantummodo, & veritatem, atque primum principium inveniendi gratia propoſuit; non quod ille de omnibus ſerio dubitaret, ſed ut ex hypotheſi admiſſa, in aliquod tandem meditando deveniremus, de quo tamen dubitare, quantumcumque adnitamur, nullo modo poſſemus. Equidem hæc philoſophandi ratio & ingenii & methodi, atque ordinis cauſſa admitti poteſt, immo & debet, ſi cum Phyrrhonico, aut Sceptico philoſopho res nobis ſit: quandoquidem

enim

enim de omnibus ſerio ſeſe dubitare contendunt; ad id tandem deducendi ſunt, ut ſuæ ſcilicet cogitationis exiſtentiam fateantur; quam, dum cogitant & dubitant, veriſſimam tamen, atque certam eſſe propriæ conſcientiæ teſtimonio convincuntur. Niſi eo deveniamus, & Scepticum philoſophum adducamus; nos facile irridebit.

686. Id unum contendimus, atque pro dirigendæ mentis regula tot erroribus, errandique periculis circumventi nobis ſtatuimus, *ſemper eſſe dubitandum, ubicumque veritatis criterium non animadvertamus*. Aliquam eſſe veritatis notam, & criterium, quo uno non tantum error, verum etiam dubium omne a mente depellatur, ſuperius jam confecimus: criterium hujuſmodi eſt triplex illa rerum atque idearum evidentia, *rationis*, *ſenſuum*, *moralis*, ſeu *auctoritatis*, ad quæ quidquid homines ſcire poſſumus tandem reducitur; ita ut rationis evidentia intelligibilium, ſenſuum evidentia ſenſibilium, moralis vero ceterarum rerum, quæ humana fide conſtant, criterium ſint; nullaque alia ſupereſt ratio, qua rerum cognitionem comparare nobis poſſimus. Earum evidentiarum aliquam adeſſe opus eſt ad dubium omne depellendum: & pro dubio ſemper habendum eſt, quod nulla earum evidentiarum verum eſſe apparet.

§. III.

Errorum fontes in anima atque affectibus exiſtentes.

687. Uberrima errorum ſeges in humano animo, atque affectibus progerminat, altaſque inibi radices figit. Rem eo ordine fuſius proſequemur, quo ſuperius indicavimus. Primo loco ſeſe offert falſitas atque confuſio idearum (neque enim de iis ignorantiæ cauſſis modo agimus, quas vitare humanæ conditionis non eſt). Demus hominem, ut quotidie accidit, qui hiſtoriam olim a ſe lectam & male perceperit, & fere jam obliteratam modo recordetur, rem omnem in amicorum corona

 enar-

enarrare aggreſſum, quaſi ſcænam ipſe teſtis ſpectaſſet: quænam falſa, abſurda, truncata, parum exacta in medium proferet! Quod ſi rebus ab eo homine relatis fidem una cum ipſo adhibeamus; ſatis in figura expreſſum habemus, in qualem errorum numerum idearum confuſio nos adducat. Perinde ſiquidem in anima res depingunt confuſæ earum ideæ, atque in tabula confuſi, obliterati, & falſi colores atque lineamenta. Cum abſimilia parum eſſent monumenta, ex quibus ſuam Galliæ hiſtoriam Dominus *Mezerai* deſcripſiſſe dicitur; mirum non eſt, aliquot errorum millia eo in opere a ſe deprehenſos, illius auctori amice aſſeruerit *Petavius* (*). Ideæ enimvero ſunt omnis humanæ eruditionis, atque ſcientiarum prima & unica elementa, iiſque ſuperſtuitur, quidquid judicamus, ratiocinamur, componimus: ſecundum eas quas de rebus habemus ideas, ſententiam unuſquiſque fert. Quæ clara ſunt, & vivacibus coloribus expreſſa, tantum diſtinguimus: obſcura omnia confundimus, neque magis dignoſcimus, quam ſi objecta ſub luce maligna e longinquo ſpectemus; qua ſi ducti in objecta curramus, non modo paſſim labimur, verum etiam in vanum objectum ſæpiſſime tendimus. Communi huic malo (quis enim eſt, qui circa quamplurima objecta, ſcientias, artes, ideas non habeat confuſas?) Remedium erit, ſi dum primo rem quamcumque diſcimus, claram illius ideam concipere adnitamur, quantum per humanæ mentis tenuitatem, atque rei ipſius naturam fieri poſſit. Ita objectum recte concipiendo non modo nos, ſed alios etiam, quibus rem explicabimus, ab errore vindicabimus: ex una enim parte idearum claritas eſt veritatis ſignum; ex alia vero de mente ſemper ve-

(*) Mezerai aliquam hiſtoriæ partem, ſeu factum deſcripturus, rem ſibi ab aliquo hiſtoriæ perito ordine enarrari jubebat, homineque audito ſolus poſtea in camera omnia chartæ committebat. Voyez le P. Niceron. Meimoires &c. V. *Mezerai*.

verum illud eſt, quod *qui male concipit, malo parturit*. Deſiderandum maxime eſſet, ſi ii, quibus primæ religionis, artium, ſcientiarum, rerumque uſalium elementa docendi tradimur, primum ſuarum partium munus eſſe ducerent, rerum ediſcendarum ideas ea, qua fieri poſſet, claritate exponere, neque prius ad alia nos promovere, quam rem nitide conciperemus. Quod ſi de iis ſententiam feramus, de quibus nullam habemus ideam, ut imprudentium quamplurimis, atque rerum fere omnium ignorantiſſimis ſollemne eſt, qui ardentiſſima ſciendi, & nihil ignorandi libidine acti, de rebus omnibus ſermocinari, atque blaterare per ſummam dementiam amant; tum vero ea exactitudine atque veritate de rebus ratiocinabimur, qua cæcus a nativate de lumine & coloribus, ſurdus de ſono, harmonia, & muſica ſermonem habebit. Hanc ſane perſonam agimus, cum, dum hac mortali vita ac conditione degimus, Dei atque Beatorum gloriam, æterna damnatorum ſupplicia, modum quo ſpiritus ſecum mutuo loquuntur, ſpiritus in corpus, & viciſſim agunt, aut intelligere, aut aliis explicare tantopere conamur, mirum eſſet, ſi dum de rebus iſtis ignotiſſimis oblateramus, veritatem aliquando attingeremus.

688. *Secunda*. Alter errorum noſtrorum fons atque is ſane uberrimus, eſt mediarum idearum, ſeu argumentorum defectus, quibus propoſitarum rerum veritatem probare poſſimus. Quid humanæ ſocietati, atque ſcientiis promovendis juvat, in iis tempus male collocare, & magnopere quærere, quæ quantumvis alias percipi a nobis poſſent, tamen quia probationum, ſeu mediarum idearum defectu laboramus, in lucem extrahi, & ſatis probari a nobis nunquam poterunt, interimque leviſſimis ſolummodo conjecturis, præjudiciis potius, animoque noſtro, quam re ipſa fundatis, quæſtionem ſolvere, & affirmate ſtatuere? Innumeræ fere hujus naturæ quæſtiones inter eruditos agitantur, ad quas conficiendum neceſſaria argumenta & media deſiderantur: hujuſmodi ſunt, *quænam ſit hujuſce univerſi figura, & magnitudo; qualis primorum materiæ*

teriæ elementorum figura, quænam corporum ſpecies in planetis ſint: qualia ſint animantium minutiſſima; quot ſpecies ab ultima illa punctorum fere viventium ſpecie ad eam uſque numerentur, quam inermibus oculis diſcernimus: & ſexcenta alia. Sed in hiſtoria potiſſimum, atque antiquiſſimarum rerum epochis, & veritate perſcrutandis, ſiquo in alio argumento, mille hujuſmodi quæſtiones, atque problemata ab eruditis viris proponuntur, atque longis diſſertationibus tractantur, a quibus præter vanam eruditionis aſſenſationem, & qualemcumque gloriolam, nihil fructus obtinetur. Litterarios ſudores, atque diligentiam, per nos liceat, in his, atque ſimilibus aliis exerceant eruditi, *quænam fuerit primitiva hominum lingua; quænam Ægyptiorum antiquitates & dinaſticæ; quis fuerit litterarum, & ſcripturæ inventor: quave ætate mirabilem hujuſmodi artem maximo totius humani generis beneficio melancholicum aliquod ingenium protulerit*. Eodem referamus primæva omnium nationum initia, & originem: quocirca duo hæc ſunt certiſſima, 1°. omnium nationum, quibus Europa colitur, initia eſſe obſcuriſſima, & in ruſticas tandem, atque agreſtes hominum tribus omnium earum nationum genealogiam deſinere. 2°. Ab iis gentium natalibus gloriam derivare, rem plane eſſe puerilium, anniliumque mentium dignam. Hæc omnia prætermittere, rebuſque tantummodo neceſſariis, utilibus, probabilibus operam, ſtudiumque noſtrum impendere opus eſt, ſi ſcientias promovere, veritatem adipiſci, errores vitare, & bene tempus collocare amamus.

689. *Tertia*. Falſa principia, atque probabilitatis regulæ tertium illud ſunt, quo mens humana in errores innumeros inducitur. Falſo ſcilicet, atque ruinoſo fundamento admiſſo, illa omnia admittantur oportet, quæ connexionis ope ab illo deducuntur, quantumvis falſa exiſtant. Exempla paſſim habemus in re morali, in Phyſica, ut alia omnia omittam. Mahometanus licere ſibi exiſtimat, immo & bene apud Deum merere, ſi Chriſtianos odio habeat & perſequatur. Quænam ex falſo

falſo principio abſurda deducet Mahomæ diſcipulus? hominem Chriſtianum diris vovere, decipere, opibus ſpoliare, cædere, canum loco habere, civitates, reſpublicas eorum evertere, & mille alia ejuſdem farinæ abſurda falſus religioſus, conſequens vero philoſophus deducet. Nullam apud homines certam eſſe religionem a Deo nobis traditam, atque revelatam ponit Deiſta; Deum ipſum e medio tollit Atheus: quanta errorum, & abſurdarum conſequentiarum ubertas ex duplici illo fonte effluat, facile per ſe ipſum unuſquiſque videt: Ex ſecundo videlicet infert Atheiſta, nihil nos poſt mortem manere, in nihilum, ſeu primum chaos homines redire, perinde ut bruta animantia, nos naſci, vivere, mori, nihil meriti, aut demeriti in humanis actionibus contineri, humanam ſocietatem, reſpublicas, regna, imperia, quaſi apum, caſtorum, aut aliorum animantium reſpublicas ſpectari debere, atque ſimilia alia abſurda, quibus auditis animus horret, ab illo principio ſcaturiunt. Quod in externis corporibus, aut ab iis percipimus, aut ſentimus, in illis exiſtit, inquiunt in ſcholis Peripatetici: ex quo principio ſponte profluit, omnes phyſicas qualitates, prout a nobis percipiuntur, calorem, frigus, lucem, colores, ſ nos, dolorem, eſſe in objectis; animam perinde in manu, atque in reliquo corpore exiſtere & alia bene multa, quæ in præſenti Phyſicæ lumine falſa eſſe deprehenduntur.

690. Paria incommoda ex falſis probabilitatis regulis enaſcuntur. Probabilitatis fontes ſunt in rebus quidem naturalibus, ratione, aut ſenſu conſtantibus, analogia; in ceteris ſola auctoritate innixis, fides, & teſtimonia. In hiſce tamen duobus latiſſimus patet conjecturarum campus, quæ ab infimo probabilitatis gradu ad leviſſimam uſque veriſimilitudinem ſenſim decreſcunt. Si hæc a prudenti rerum æſtimatore librarentur, eum ſolummodo aſſenſus gradum elicerent, qui rei merito conveniret. Sed, quæ eſt humanæ imaginationis, affectuum, atque paſſionum vis, non eodem modo hujuſmodi aſſenſuum principia ab omnibus æſtimantur

tur, &, ut res exigit, exacta lance appenduntur: qui imaginandi vi, atque phantaſia vivaci maximi valent, leviſſimas veritatis apparentias, atque judicia, maxime ſi ad ſenſum ſpectant, mirum in modum augent, & maximi momenti rem ſibi depingunt; leviſſimam conjecturam pro manifeſta veritatis demonſtratione uſurpant: mirum igitur non eſt, ſi, dum falſa hæc probabilitatis principia imaginationis, paſſionum, aut ignorantiæ noſtræ vitio nobis ſtatuimus, plurima ex iis deducimus falſa, atque omni fundamento deſtituta. Frequentiſſimum id locum habet in hiſtoriæ lectione, in qua ut ſcribenda plurimi irrepunt errores, ſic & in legenda innumeri pariter hauriuntur, & hauſti jam confirmantur. In ea ſane, ſiqua in alia re, & acerrima critica & animus a partium ſtudiis liber omnino requiritur: ſæpiſſime utroque de capite peccamus. Innato noſtrarum rerum ſtudio, & amore ducti, atque vix non obcæcati, quidquid in gentis noſtræ ſcriptoribus offendimus, quo majores noſtri, patria, natio commendentur, avidiſſime vulgus hominum accipit. At obſcura hic ſunt omnia; nullis monumentis innituntur; conjecturis tantum a partium ſtudio pondus accipientibus agitur; ipſimet ſcriptores parum limati judicii eſſe convincuntur: nugæ, fabulæ. Hæc, inquam, & ſimilia multa repetendo, ſurdis canimus: vera illa ſunt, quia vera eſſe deſideratur.

691. *Quarta*. Inter humanæ mentis errorum cauſſas defectum voluntatis quarto loco poſuimus: in eumque omnes alii ea ratione referri poſſunt, quod in errores vitio noſtro labamur, hoc eſt, voluntate aut amplectamur, aut non fugiamus. Peculiari tamen modo voluntatis defectui ii errores, qui plurimi ſunt, tribuuntur, qui ex voluntatis noſtræ defectu immediate deſcendunt. Ut a plurimis aliis, ita a propria uniuſcujusque voluntate noſtra hominum eruditio atque ſapientia dependet: infinita ignoramus, quia ſcire non poſſumus: ſæpiſſime etiam erramus nolentes; paſſim tamen labimur, eo quod, etſi mentis capacitate poſſumus, animi voluntate in veritatis examen incumbere nolumus.

De-

Defectus hicce voluntatis ſeu voluntatis ignorantia atque error cauſſas potiſſimum habet in corporis temperamento, atque a naturali inter corpus, & animam commercio, & unione dependentes. Nemo id in dubium vocabit, qui humanarum paſſionum naturam alibi a nobis expoſitam non ignoret, & ad intimam ſuimet ſenſus, & voluntatis indolem animum advertens, quid intra ſe ipſum accidat, ſedulo meditetur. Aliæ vero in aliis ejuſce defectus cauſſæ exiſtunt. Sunt 1°. qui mentis, animique applicationem, atque laborem magnopere averſentur, ſine quibus nonniſi perfunctoria comparatur ſcientia, & in extima tantum ſuperficie ſiſtimus. Qui omnes animi mentiſque nervos intendat, ut libros evolvendo, ſtudendo, meditando, rerumque naturam perſcrutando veram ſcientiam comparet (quod ad veritatem aſſequendam, erroreſque vitandos opus eſt) inter plura hominum millia vix unus, aut alter agnoſcitur. Aſſidua ſcilicet hæc mentis contentio non levis habetur labor, quem omnes prope faſtidiunt, atque averſantur.

692. 2°. Primam hanc defectus voluntatis cauſſam ex ipſius rei viſceribus ortam illa ſecundo confirmat, quod a profunda veritatis meditatione, ſtudio, & mentis contentione ſenſuum oblectamenta, atque voluptates animum avertant. Vividius enim vero, ſuavius, atque vehementius nos alliciunt, demulcent, & oblectant ſenſus, quam ratio; ſenſibilia objecta, quam abſtractæ veritates; quæ ſenſibus impreſſa percipimus, atque ſentimus, quam quæ pura ratione attingimus: quod pura puta eſt unionis inter animam, & corpus conſequentia, generali, & quotidiana omnium hominum experientia conſtans. At in omnibus humanis actionibus naturalibus, quæ maximam partem ſecundum leges corporum, viriumque mechanicas peraguntur, illuc fere ſemper agimur, quo nos vis major, & ſuavis delectatio magis attrahit, atque adducit. Adeo verum eſt Horatianum illud *Naturam expellas furca, tamen uſque redibit*. Naturæ nomine peculiarem animi indolem ex corporis temperie profluentem, ſeu aſ-

affectum, & paſſionem principem, & dominantem intelligimus; quæ, quidquid contra adnitamur, a cunis ad ſepulchrum hominem comitatur.

693. 3°. Ipſamet naturalis animi atque mentis inertia quæ feriari ſæpe amat, indormire, nihil novi cogitare, vulgares tantum, familiares notaſque ideas recogitare, nihil promovere, enucleatius evolvere. Id etiam eſſe præſentis ſtatus effectum ex corporis organorum, ſenſus, nervorum, atque ſpirituum animalium indole, & actione pendentem, nullus inficiabitur; niſi dicere quis vellet, quod ridiculum eſt, ſpiritum fatigari, & langueſcere. 4°. Ex malo ſtudiorum delectu; maxima hominum pars non eam vitæ rationem, ſtudiorum delectum, munera, & profeſſionem amplectitur, atque exercet, quæ propriæ indoli atque naturæ genio conſonat, ſed quem parentum vota, familiæ, gentis, temporis, aut fortunæ rationes, milleque alia humana accidentia conſulunt, & ſuadent. Unde fit, ut in breviſſimo hoc humanæ vitæ curriculo ab itinere, indole contra nitente arrepto, a natura ſemper retrahamur: quæ agimus nonniſi oſcitanter agamus, neque niſi inviti muneri noſtro operam navemus, plurimis interim diſtracti, quo nos natura ſemper impellit. Quis enim inditam a natura indolem, naturalem animi propenſionem, ac genium extinguere unquam, aut in oppoſitum vertiſſe gloriabitur? Studiis ingenio non favente agreſſis, atque invita ſemper minerva proſecutis, fac inſimul accedat, id quod raro non contingit, magiſter agreſtis, aſper, inflexibilis, aut etiam ignorans, qui tyrones dum etiam recte doceat, male-tamen accipiat, mulctet, & tractet, vel utcumque cum iis ſuaviter agat, per intortas tamen, longas, atque aclives ſemitas a ſcientia potius quam ad ſcientiam ducentes dirigat. Rem maximi momenti, humani ſcilicet animalis inſtitutionem hic attingimus: problema quidem ab omnibus cultis nationibus omni ætate, atque loco tentatum, a præclaris philoſophis noſtra etiam hac tempeſtate agreſſum, a quibus unis aliqua ſalutaris ſpes affulgere poteſt, hactenus tamen in votis tantummodo eſt: neque ul-

ullus hactenus fuit, aut forſan ſperari poterit, qui eam quæſtionis ſolutionem, & regulas tradat, quæ integræ ſpeciei inſervire poſſint: neque unum tantum aut alterum clima, unam aut alteram familiam, unum aut alterum cujuſdam indolis pueros aut adoleſcentes complectantur. Utcumque res ſit, litteratos omnes appello, qui ſibi poſtea derelicti aliquid in eruditione profecerunt: pauciſſimi ſunt, qui dum magiſtros olim ſuos, primamque in litteris inſtitutionem in memoriam reducant, aut tempus male collocatum non doleant, aut animum ab iis ſcientiis, & trita methodo alienari non animadvertant. Sed de his iterum inferius.

694. Poſtremo tandem loco eſt, ut alia minora capita omittam, innata fere illa animorum levitas, atque inconſtantia, quæ animalis humani propria eſſe videtur. Ut enim omnes homines, ſua quiſque doſi, inſaniunt, multiſque cum corporis, tum animi vitiis laboramus; ita de ſingulis pariter ſpeciei noſtræ individuis verum illud eſt. *Nos agit, & verſat levitas, mutamur in horas*: quidquid humanum eſt, & finitum, quidquid in hoc mundo ſcimus, poſſidemus, aut aliqua ratione ſentimus, noſtris deſideriis, atque felicitati ſatis eſſe non poteſt: animæ ad Deum Optimum Maximum, hoc eſt, ad infinitum agnoſcendum, amandum, fruendum creatæ, illuc natura tendentes, atque anhelantes in creaturis acquieſcere non poſſunt. Accedit præterea, quod ob noſtram etiam intelligendi tenuitatem, ſenſuum habetudinem, atque paucitatem, creaturis etiam, ut fieri per ipſas poſſet, perfrui non valeamus: unde conſequi opus eſt, ut felicitatem ſemper, atque beatitudinem aſpirantes, eamque nulla arte, ſcientia, aut re quacumque alia creata, & finita offendentes, nihil ſit, ubi pedem, animumque figamus: objecta objectis, munera muneribus, officia officiis ſubinde mutamus: argumentum modo a nobis avidiſſime ſuſceptum, totoque animi ardore, & mentis contentione aggreſſum, nobis ſtatim faſtidio erit. Hinc levitas, atque perennis inconſtantia, voluntatis mobilitas, atque ad propoſitum nobis argumentum,

ut

ut par eſt, expendendum, enucleandum, & veritatem conquirendam defectus.

695. *Quinta*. Sed præ cæteris omnibus uberrimum humanorum errorum principium, atque ſcaturigo, ſunt humani affectus, atque paſſiones, quibus in tota vita ducimur. Univerſum illæ hominum genus exercent, neceſſaria præſentis animarum ſtatus & unionis conſectaria, aut appendices: a cunis ad ſepulchrum nos ſemper comitantur, in nos perpetuo agunt, animum flectunt, &, niſi majores ex oppoſita parte contrariæ vires reluctentur, eo ſemper nos adducunt, quod eſt earumdem paſſionum, atque affectuum objectum. Illæ proculdubio ſunt omnium humanarum actionum a ſola natura profluentium gubernaculum, atque naturæ veluti manubrium, principium, atque illius mechaniſmi gubernaculum, quo naturales hominum actiones reguntur, & peraguntur. Si quis hæc in dubium vocaret; ſeipſum ego propriumque agendi modum ut introſpiciat, & attente meditetur, auctor eſſem, atque inſimul earum actionum ſtudiorumque ſeriem, atque varietatem, quæ in ſingulis prope hominibus animadvertitur, philoſophico more contempletur.

696. Quid affectuum, quid paſſionum nomine ſignificemus, quænam illorum cauſſa phyſica exiſtat, quæ indoles, oppoſitio, vires, actiones, & mille hujuſmodi alia ſint, partim in Phyſica viventium, partim vero, & potiſſimum in Philoſophia morali explicamus, atque in hoc loco ſupponimus: longe enim a ſcopo aberraremus, ſi in opere logico illa omnia proſequeremur. Affectus, & paſſiones, quod ad præſens attinet inſtitutum, vix inter ſe differunt: multa in iis conſiderari poſſunt, quæ ad tria revocantur. Ob naturale inter corpus, & animam commercium, unionem, atque harmoniam, datis in corpore cerebro & ſenſuum organis motibus, atque affectionibus ſuæ in anima reſpondent ideæ, ſenſus, affectus, aliique actus excitantur: Singulis etiam in anima ideis, atque perceptionibus ſui in ſpiritibus, & corpore motus reſpondent: quin immo objectum aliquod noſtrorum

ſen-

ſenſuum cogitando, non modo motus in corpore ſpiritibus, & ſanguine excitantur, ſed etiam intenduntur: auctis etiam in corpore motibus, atque alterationibus, intenduntur pariter in anima ſenſus. Ex corporis, nervorum, & cerebri, ſpirituum, ſanguinis indole, atque temperamento eſt, quod alii in aliis, intenſiores, remiſſiores, promptiores, aut languidiores excitentur, intendantur, ac perſeverent motus atque affectiones. Primum hoc eſt paſſionum, ſeu affectuum principium, & cauſſa phyſica, Corporis, ſpirituum, ſanguinis temperamentum, habitudo, & indoles in ſingulis fere hominibus varia, qua alii magis, minuſve ſanguinei, phlegmatici etc. exiſtunt: hiſce in corpore motibus, atque affectionibus ab externa objectorum actione, aut ſuamet interna indole, fermentatione, atque energia excitatis, ad eorumdem objectorum ideas, perceptionem, ſenſum agitur, atque determinatur anima: ex ipſis animæ ideis, atque idearum ſuarum conſideratione motus, atque affectiones ſpirituum, ſanguinis, nervorum intenduntur, confirmantur, & inde novus atque intenſior in anima ſenſus oblectamenti, gaudii, aut doloris enaſcitur.

697. Hiſce omnibus rite perpenſis, quæ humanorum affectuum naturam, & indolem efficiunt, ediſcimus 1°. paſſiones noſtras partim ad corpus, partim ad animam ſpectare; in utroque perfici, atque ab utriuſque unione pendere, citra quam neque poſſent intelligi neque in animo exiſtere. 2°. Affectibus, atque paſſionibus mentis, atque animi æquilibrium tolli: magis ad unam, quam ad aliam partem inflectunt, neque rationum momenta pro utraque parte facientium æqua lance ponderare, diſcutere, & examinare permittunt: ab ea ſcilicet parte fortius trahimur, illique pondus adhibemus, quo nos animi affectus inclinant. Hominem ſecum ipſo de una eademque re ſententiam ferentem comparemus, primo quidem cum ab omni partium ſtudio, amore, aut odio immunis rem examinat, poſtea vero cum alterius jam partis amore, aut odio præventus rationes iterum ad incudem revocat, & ju-

judicium pronuntiat: quænam in hujuſce hominis animo, mente, atque ſententiis pro diverſo illo circumſtantiarum ſtatu diverſitas? Rem in ſe ipſo unuſquiſque experiatur: propriumque conſcientiæ teſtimonium demonſtrationis loco erit. 3°. Pro majori ſenſibilitatis gradu, quo ſecundum affectus, paſſioniſque naturam afficimur, atque verſus illius objectum flectimur, plus etiam virium habent paſſiones ad animum inflectendum, quam rationes, atque ideæ alioquin claræ, ac manifeſtæ, quæ oppoſitam partem demonſtrent? Longe ſcilicet vehementior eſt affectuum, ſeu paſſionum impreſſio, quam rationis: propterea quod prima ad ſenſum, & res ſenſibiles tandem reducatur, ſecunda in pura rerum perceptione conſiſtat: ſenſu autem magis, quam ratione trahimur, allicimur, delectamur.

698. Ex quibus omnibus liquet, affectus, atque paſſiones (præcipue ſi intenſæ ſint, atque vehementes) rectum animæ criterium, ſeu rerum veritatem diſcernendi vim peſſumdare, & corrumpere. Animi enim æquilibrio jam ſublato, eo mens etiam flectitur, quo a voluntate ducitur. Homini ira, aut odio adverſus inimicum commoto, atque agitato hujuſce hoſtis cauſſam dirimendam committe: rectumne judicium, atque veritatis diſcretionem ab eo homine expectabis? qualem de illorum vitiis, defectibus, virtutibus ſententiam ferimus, quorum amore flagramus? Amicorum vitia virtutis velo obducit amor, contra vero virtutem ipſam in odioſo nobis homine vitii velo contegit odium: Dum his, atque ſimilibus aliis animi paſſionibus agitamur, quanam animi æquitate, mentis attentione, atque rationum pro utraque parte facientium diſcuſſione ſententiam feremus?

699. 2°. Mentem etiam à meditatione, atque attentione avertunt, utramque ſaltem imminuunt, leviorem, ac breviorem efficiunt. A vellicanti enim, atque allicienti paſſionis ſenſu, & ſtimulo ad illius objectum cogitandum, proſequendum, amplectendum, fruendum acrius ſemper, atque vehementius trahimur. Si igitur animus plurimis diſtractus nullum eorum, ut par eſt, penitus meditari, atque ex-

expendere poteſt; potiori jure ſuperficie ſolum ſcientiam delibabimus, atque illi nonniſi leviſſime vacabimus, cum vehementior cura, ſenſus, affectus animum ab ea meditatione avertit, atque alio perducit: unde tandem eſt, quod animus paſſionum, atque affectuum ſtimulis agitatus ſcientiæ alicujus veritatem, ac objectum neque ab omni parte adſpicere, neque enucleare, atque ea, quæ opus eſt, mentis contentione tractare valeat.

700. 3°. Aliqui etiam ſunt animi affectus, aut paſſiones, quibus mens ipſa, & ingenium obſcuratur, retunditur, hebetatur. Enimvero memoria, ingenium, judicium, ceteræque humanæ animæ dotes in præſenti rerum ſtatu à corporis, cerebri, ſpirituum, ſanguinis temperie, conformitate, diſpoſitione dependent: Earum rerum mutatione & alteratione in corpore intervenientibus ſuas pariter in prædictis animæ facultatibus mutationes, alterationes, prioribus omnino reſpondentes, quotidie experimur. Memoriam, judicium, ingenium una cum ætate explicari, creſcere, confirmari, decreſcere item, infirmari, & penitus hebeſcere, atque obliterari quotidiano experimento ediſcimus. Plurimæ ſunt in diebus ſingulis horæ, quibus nullam aliam ob cauſſam præter modo dictas, hebeſcit adeo ingenium, ut ſi ſtudiis ſerio vacare adnitamur, nihil fere percipiamus. Jam vero ipſomet paſſionum tumultu, atque vehementibus affectibus non modo ſpiritus animales, ac ſanguinem alterari, agitari, incendi, verum & alias in cerebro, nervis, humoribus, ſenſuum organis modificationes affici, res eſt omnino indubia. Vehemens ira, amor, aut odium diuturno potiſſimum tempore continuata luculentiſſimam nobis ſuppeditant hujus veritatis demonſtrationem. Qui vehementi furoris æſtu inflammatur, ad arma, ad pericula, ad mortem præcipiti curſu cæcus ruit, quin circumſtantia pericula animadvertere, cognoſcere, atque evitare poſſit: quibus poſtea frigeſcente jam, aut ſedato ſanguine obſervatis, horreſcimus. Hominem lætitia geſtientem, atra preſſum melancholia, dolore vexatum, amore, odio, ira commotum, ut carmina pangat,

 phy-

phyſicam quæſtionem explicet, geometricum problema reſolvat, de rebus etiam polyticis pro rei dignitate conſulat, induceres, vellem: in nobiſmetipſis, dum hiſce paſſionibus laboramus, experimentum capiamus, & quid ab iis timendum, in quot errores ab illis inducamur, triſti experimento edocebimur.

701. Quod ſi totum humanum genus in tot nationes, regna, provincias, imperia, linguas, religiones diviſum parumper contemplemur, & a cunis ad ſepulchrum uſque per omnes humanarum rerum, atque vitæ ſtatus, & conditiones meditemur, quanta affectuum, paſſionumque multitudine, atque varietate humanam ſemper mentem, atque animum regi. & in omnibus fere humanis actionibus duci animadvertemus! Quominus animam hiſce omnibus vacuam non modo per totum, ſed ne per notabile quidem tempus reperire poſſimus, ipſæ naturæ leges faciunt.

§. IV.

De Erroribus ex ſenſu provenientibus.

701. Primam errorum ſcaturiginem in animo exiſtentem, atque ab illo dimanantem ſummis ſaltem labiis attigimus: ad ſecundum modo & uberrimum pariter errorum fontem, in corpore nimirum, ſeu ſenſu poſitum deſcendamus: quod quidem integri voluminis argumentum eſſe poſſet. Ad quatuor ſumma capita argumentum redigemus, 1°. *ſenſus*: 2°. *phantaſiam*: 3°. *temperamentum*, 4°. *inertiam*. Quod primum attinet, errandi occaſio nobis ſunt ſenſuum *indoles*, & *munera*, 2°. *hebetudo*, 3°. *paucitas*: 4°. *varia ejuſdem ſenſus in diverſis hominibus ſubtilitas*: 1°. quidem proprium illud ſenſuum munus, atque indoles eſt non rerum materialium naturas, & eſſentias, ſed exiſtentiam tantummodo referre: quid objecta in nos agant, quid ab iis ſentiamus, non quid illa in ſe ipſis ſint, ſenſibus percipimus: interim nos arrepta inde occaſione ſecundum vulgaris philoſophiæ genium plurima

rima de corporum, virium qualitatum naturis ſtatuimus; quidnam illud ſit, in quo ſubſtantiæ aeris, aquæ, aliarumque rerum eſſentiæ conſiſtant, adſtruimus; multa de iis commentamur, de quibus cum nullam habeamus ideam, a veritate toto cælo aberrare neceſſe eſt. 2°. Cum plurima ab objectis externis in nobiſmet ipſis ſentiamus; ab aliis v. g. caloris, ab aliis vero frigoris, aliarum ab aliis qualitatum ſenſationes percipiamus; ita a natura comparati, aut prava judicandi conſuetudine ita à cunis imbuti eſſe videmur, ut illamet, quæ in nobis ſentimus, ad externa corpora referamus, atque ea in externis objectis principia, aut qualitates ſupponamus illis prorſus ſimiles, quas in nobis ſentimus: eumdem, aut ſimilem in igne calorem, in glacie frigus, in ſaccharo ſaporem exiſtimemus, atque in noſtramet anima percipitur. Mirum eſt, quam late pateat, & in quot errores mentem inducant hæc ſenſuum præjudicia, ignorantia noſtra conſuetudine, vulgari philoſophia confirmata?

703. Paullo fuſius hæc evolvamus, atque exemplis illuſtremus: Nemo ſanæ mentis ſibi perſuadebit, cum doloris, gaudii, lætitiæ, aut triſtitiæ ſenſu afficimur, in externis corporibus, à quibus dolor v. g. provenit, hæc exiſtere, aut ſimilia in iis reperiri: Sed illa omnia in animo concludi, ſenſum eſſe, atque perceptionem ſolius animæ propriam, quam nihil non animatum percipere, atque experiri poſſit. Quis enim in cultello, quo ferimur, dolorem, in ſole, atque ſereno cælo lætitiam eſſe dixerit? Jam vero omnes ſenſibiles qualitates, earumque ſenſus ad tactum, ad dolorem, & gaudium, ſeu doloris, atque gaudii ſpecies rediguntur: aut iis delectamur, aut moleſtia afficimur; grati, aut ingrati nobis ſunt earum ſenſus: quæ quidem purus, putuſque dolor, aut gaudium eſſe poſſunt: grati vero, aut ingrati ſenſus non in cibis, odoroſis, ſonoris, aliiſque corporibus, quæ diverſis ſenſibus percipimus, ineſſe, ſed animæ tantum convenire, ab una anima percipi, in illaque ſolummodo exiſtere, compertum eſt. Nihil in ſaccharo præter quamdam particularum tenuitatem,

figuram, & motum: ad nullum eorum referri, nulli dici poteſt ſimilis gratus ille ſaporis ſenſus ab anima perceptus. Ad ignem hyberno tempore jucunde caleſcunt bruta, dum alia verubus defixa volvuntur, aſſantur citra ullum caloris, aut ignis ſenſum: nihil in igne, aut aſſato animali caloris eſt grati, aut ingrati; nil niſi phyſicus particularum ſtatus, motus, concuſſio, vires, ſubtilitas: ſenſus ab hiſce ortus, ſolius animæ effectus exiſtit. Idem de luce, idem de coloribus, deque omnibus aliis qualitatibus, quas ſenſu percipimus, dicendum eſt: paria omnia in omnibus ſunt: dumque oppoſita omnia vulgus hominum credit, mille erroribus quotidie imbuuntur.

704. Senſuum hebetudine, quæ aliud eſt illorum vitium, fit, ut minutiſſima quæque non percipiamus, inter quæ numerari debent tot animalculorum ſpecies, & genera, quæ nudis oculis inviſibilia mycroſcopio deteguntur. 2°. Ut quamplurima male confundamus, quæ, ſi delicatioribus ſenſibus præditi eſſemus, a ſe mutuo diſtingueremus: Exemplo ſint ſoni, aut colores: qui delicatiori aure, & viſu præditi ſunt, inter duos tonos, & duplicem primitivum extremumque colorem quamplurimos unius ejuſdemque coloris langueſcentis, atque evaneſcentis gradus recte diſcernunt: ultra illum ſenſum, qui vulgaribus, rudioribus, craſſioribuſque auribus ſupremus eſt, atque acuties, peritæ, ac delicati ſenſus aures quamplurimos adhuc tonos percipiunt, & diſtinguunt: idem de saporibus, de odoribus, de tactu verum habet. Plurimos videas, quorum palatum craſſioribus fibris atque papillis conſtructum delicatioribus vinis diſtinguendis ineptum ſit, quibus perinde eſt vulgare, aſperumque vinum, & ruſticos cibos, atque delicatiſſimos, & exquiſiti ſaporis deguſtare. Porro ſi modicum illud, quod intereſt inter diverſorum hominum, eorumque organorum fibras, mollitiei diſcrimen in cauſa eſt, ut tot ab aliis non percipiantur, quæ alii recte diſtinguunt; quænam tribuenda non ſunt illi ſenſuum, organorumque hebetudini, omnibus hominibus communi? Hujuſmodi noſtro-

rum

rum ſenſuum hebetudini, atque hebetudinis inter diverſos homines diſcrimini referendum ex parte videtur, quod in omnium nationum linguis maxima ſit vocabulorum penuria ad ſingulas ſenſuum perceptiones ſignificandum; In nativo quiſque idiomate ſaporum v. g. vocabula colligat, atque cum ſenſationibus conferat, quas manducando, aut bibendo percipimus: & quanta verborum egeſtate ad noſtras ſenſuum perceptiones explicandum premamur, demirabitur. Plurimæ ſcilicet, variæque earum ſenſationum a quamplurimis non percipiuntur: earumdem etiam rerum ſenſationes in diverſis hominibus non omnino conveniunt: unde partim ignorantia noſtra, atque ſenſuum hebetudine, partim ob ſenſationum diſſimilitudinem, diverſamque earumdem vocum a diverſis hominibus ſignificationem, partim denique quod citra intimas illas rerum ſenſationes externum hominum commercium, atque ſocietas ſtare poteſt, iis omnibus ſignificandis ſingula invenire vocabula homines ſemper omiſerunt.

705. 3°. Paucitas ſenſuum noſtræ potius ignorantiæ, quam errorum cauſſa haberetur, ſi in recto datorum nobis ſenſuum uſu ſiſteremus, neque occaſionem male illinc acciperemus ad illa omnia corpora, & materialium rerum effectus, aut cauſſas inficiandum, quæ ſub ſenſus noſtros non cadunt. Paſſim tamen nimis præcipitanter nihil illic eſſe concludimus, ubi nihil ſenſibus percipimus, argumentandi quidem ratione maxime fallaci. Omnes, quos habemus, ſenſus præter viſum nobis donaverit Deus: nullam plane de luce, coloribus, viſione, omnibuſque iis, quæ viſu agnoſcimus, haberemus ideam: vitioſo propterea illo argumento ducti, ſiquis nobis mirabiles illas rerum omnium materialium apparentias, lucem, colores, & quidquid opticam ſcientiam componit, comminiſceretur, & forſan, diceret, mirabilis altera eſt hoc univerſo mundo fruendi ratio, integrumque univerſum aliis quidem hominibus alio ſenſu præditis jucundiſſimum, atque pulcherrimum eſt ſpectaculum, quod nos neque fruimur, neque percipimus, neque idea no-

noſtra attingimus, hæc, inquam, ſiquis aſſereret, riſu exciperetur. Simili plane modo circa ſonos, totamque ſoni harmoniam, & muſicam ſurdus a nativitate ſtatueret. Quid ſupra tellurem ſit, ſi ab hominibus ruſticis, immo & a quamplurimis aliis quæramus; nihil reponent: neque enim aliquid nos illic eſſe ſenſu percipimus: interim mille forſan rerum phenomenis, noviſque ſpectaculis circumdamur; materialis hæc rerum machina mirabilibus aliis aſpectibus, atque pulcherrimis apparentiis percipi ab anima poteſt: quæ, cum nullam eorum habeamus ideam, male inficiaremur.

706. Senſationum tandem ejuſdemmet ſenſus in diverſis fere omnibus hominibus varietas circa eadem plane objecta in multiplices etiam errores inducere mentem poſſunt: unde eſt ut diverſiſſima de iiſdem rebus judicia feramus. Exemplo res fiet clarior: Salis marini ſaporem acrem, atque ingratum eſſe experimur, & nuncupamus meridionalis Europæ habitatores, illumque propterea ut aliorum ciborum condimentum adhibemus, nequaquam tamen ſeorſim ab aliis cibis deglutire poſſemus: longe aliter ſe res habet inter ſeptentrionales populos, quibus jucundiſſimus eſt ſalis ſapor, eumque avidiſſime, ſi per ipſorum facultates liceat, cibi inſtar manducant. Quod de integris nationibus magno locorum intervallo diſſitis dicimus, de hominibus eodem cælo, & lare viventibus experientia demonſtrat. Eodem quidem vocabulo ejuſdem cibi, aut liquoris ſaporem ſignificamus; utrum autem idem vocabulo reſpondeat perceptionis ſenſus, atque idea, neque aliis explicare, neque nos ipſi agnoſcere poſſumus: diverſos ut plurimum eſſe ipſamet fibrarum textura, mollities, tenſio in diverſis hominibus varia perſuadet. Septentrionalis hyſtoricus rem nobis ignotam perinde, ut ſalem marinum, palato gratam eſſe referat; aliud quidem nos, aliud polares populi, aliud etiam alii ſibi mente concipient: eorumque plerique a veritate aberrabunt.

707. *Secunda*. Phantaſia, ſeu Imaginatio, altera errorum ad ſenſum pertinentium ſcaturigo, ma-

magnum in humanis animis imperium habet: quid hæc ſit mentis noſtræ facultas, unde proveniat, quo pacto, quibus objectorum actionibus, atque ſpirituum, ſanguiniſque motu, & cerebri affectionibus perficiatur. aut excitetur, non eſt hujus loci explicare. Mirabiles imaginationis vires, repræſentationes effectus melius experimur, quam explicemus. Plurimum illa in amorem, odium, iram, ceteraſque animi paſſiones influit, intendit, inflammat; plurimum etiam ab iiſdem paſſionibus excitatur, augetur, incenditur. Quid paventis animi phantaſia in homine non efficit? quæ pericula mente non fingimus? quibus illa coloribus, aut obſcuris potius umbris non obducimus? objecta ſcilicet ſenſibilia mirum in modum amplificat, mutuatis imaginum appendicibus aut eleganter exornat, aut deformitatem, atque horrorem auget, pro objectorum conditione, rerumque, aut paſſionum amænitate, aut horrore moventium. Novis præterea, atque vividioribus coloribus rem depingit; ſenſu magis allicit, quam ratione agat; animum movet, quin illuminet, mentemque inſtruat: ad calorem, fumos, obſcurumque ignem excitandum aptior, quam ut vivida flamma aut luce in mente irradiet. Illuſtria, & notiſſima rei exempla videre eſt in pſeudo-enthuſiaſtis, fanaticis, inſanis, iiſque etiam poetis (qui rariſſimi ſunt) qui creatrice, ut dicitur, imaginationis facultate præditi pulchra illa nobis poemata pangunt, *Æneidem*, *Odiſſeam*, *Luſiadas*, *Henriadam*, *Paradiſum amiſſum*, *Orlandum furioſum*, *Gothifredum*, quæ pulcherrima, atque infinita mendaciorum ſegete animum alliciunt. Ex quibus omnibus patet, quibus nos erroribus mentem noſtram obrueremus, ſi commotæ, atque vivaci imaginationi fidem adhiberemus. Alia tamen ex parte certum eſt, imaginationem, ſi vivida, facilis, atque nitida ſit, optimam eſſe ad illarum artium, atque ſcientiarum promotionem, atque perfectionem, quæ de rebus ſenſibilibus, phantaſiæ objectis, agunt, qualis eſt Geometria, Aſtronomia, Geographia, & reliqua matheſis mixta. Geometricarum propoſitionum veritas, atque evidentia ad puram rationem

ſpe-

ſpectat; in manifeſtis evidentium idearum relationibus conſiſtit: quæ mentem per ſeſe illuminant, ab illaque comprehenduntur: augendæ tamen attentionis, firmandæ memoriæ, atque illuſtrandæ rationis gratia omnes illas veritates lineis, ſuperficiebus, corporibus exprimimus, iiſque magnitudinibus expreſſas imaginatione noſtra tractamus, contemplamur, & profunde in memoria defigimus. Ita ſæpiſſime fit, ut imaginationis vivacitas, atque claritas rationem, & ingenii acumen ſuppleat, dum veritatem nude propoſitam neque clare percipimus, neque demonſtrare poſſumus, ſenſibili magnitudine expreſſam, phantaſiæ ope nitide percipimus, evidenterque demonſtramus. Familiaria exempla in quotidianis converſationibus paſſim animadvertimus: eos in confabulationibus, & circulis libenter audimus, qui fœcundæ imaginationis ope quidquid in medium proferant, ſenſibilibus imaginibus vivide; atque exacte depingunt, mentique repræſentant, dum alios vitamus, qui cogitata ſua abſtracta nude proponunt, rerum veritate contenti, parum de ſenſibili, nitidaque expreſſione, atque repræſentatione ſolliciti. Qui abſtracto modo Geometriam, Phyſicam, artes, milleque præterea factorum relationes in familiarem converſationem quotidie incidentes exponeret, citra auditores concionatorem ageret.

708. *Tertia*: Diverſo ſanguinis, humorum, totiuſque corporis temperamento comparati ut plurimum exiſtimus, neque alius tantummodo ab aliis temperamento differt, verum quemcumque etiam noſtrum a ſemetipſo pro temporum, atque ætatum diverſitate plurimum differre, conſtans experientia docet. Ebullienti adoleſcentiæ temperatior ſuccedit virilitas, frigidæ ſenectuti locum factura: intra unum quoque eumdemque diem ad breve tempus ob internam humorum mutationem, aut externis de cauſſis temperies noſtri corporis immutatur. In plurimos inde errores male cauti incidimus, dum ſenſationum diverſitatem in ſolum temperamentorum diſcrimen referendam ſenſuum objectis tribuimus; eaque talia in natura eſſe aſſerimus, qualia

temperamenti noſtri vitio probamus. Quotidie accidit, ut de eodem plane corpore diverſas feramus ſententias, & oppoſitas iis tribuamus qualitates. Rem in guſtu, & quolibet aliorum ſenſuum paſſim animadvertimus. Americanam illam potionem *chocolate* tot modo nationibus probatiſſimam, & gratiſſimam, ut rem inſipidam, nauſeoſam, atque palato ingratam deſcribit *P. Acoſta*, optimus Americanæ naturalis hiſtoriæ ſcriptor, & deſcriptarum a ſe rerum ocularis teſtis. In re tamen obvia, atque omnibus notiſſima non immoremur. Hominem ab ardenti Congo ſub ipſo æquinoctiali circulo nutritum, aliumque ab extrema Lapponia in Luſitaniam eodem vere primo adducamus: uterque gentibus ſuis reſtitutus, primus quidem aſperrimum noſtri climatis frigus, ſecundus ardentem Luſitaniæ ſolem, & clima in contribulum ſuorum circulis referent, & execrabuntur. Idemmet cibus calidioris temperamenti ſtomacho noxius, frigidiorem mirifice juvat, atque ſaluberrimus exiſtit. Innumera ejuſdem farinæ exempla paſſim circa ſenſus omnes occurrunt, quæ longius proſequi operæ pretium non eſt.

709. *Quarta*. Præter ſenſuum hebetudinem ſuperius jam expoſitam, prætermitti non debet peculiaris altera errorum cauſſa, aut fons, corporis maxime propria, quæ eſt ipſa corporis inertia agilitati ſpiritus oppoſita, qua, veluti moleſta, ac ponderoſa ſarcina in noſtræ mentis tentaminibus defatigamur, quæ citra corporis, ſpirituum, nervorum, fibrarumque actionem, ac exercitium fieri non poſſunt. Ipſum ſcilicet meditari, quod otioſum aliquid videri poſſet, quæcumque idearum recurſio, quælibet perceptio, aut perceptionis memoria ſine reſpondenti animalium ſpirituum, aut nervorum actione nunquam peragitur: & hinc capitis poſt longam meditationem defatigatio, laſſitudo, dolor. Naturali igitur corporis inertiæ ex parte referendum eſt, quod cogitandi, ſtudendi, meditandi laborem fugiamus; experimentis inſtituendis non niſi difficulter incumbamus, eaque oſcitanter, & parum ſcrupuloſe proſequamur, a profunda rerum meditatione abſtineamus; in primo rerum cortice.
con-

conſiſtentes, artium, ſcientiarumque veritatem potius delibemus, quam enucleemus. Conſequens inde eſt, quod veriſimilitudinibus contenti, quæ modica capitis defatigatione comparantur, penitius veritatis examen omittamus. Infinita fere hujuſce errorum fontis, atque veritatis adipiſcendæ impedimenti inter homines varietas; par ſcilicet maximæ illi humanorum corporum indoli, atque temperamento, in quibus omnes mutuo ab aliis diſconvenimus, magiſque aut minus ſcientiarum ſtudium, ac laborem amamus, aggredimur, odio habemus, atque refugimus. Corporis inertia, aut potius inertiæ cauſſa, quod ad præſens inſtitutum attinet, ſtatui poteſt triplex; prima quidem, omnibus communis, ab ipſamet corporis humani indole profluit, cujus proprium eſt pondus, hebetudo: ſecunda non quidem corpori, ſed machinæ ingenio intrinſeca, ex peculiari humani cujuſque corporis mechaniſmo, machinæ indole, conformitate, atque ingenio derivatur: tertia eſt penitus extrinſeca, & ad circumſtantias temporis, loci, ciborum, aliaſque ſimiles referri poteſt. A prima illa inertia tum ſolum liberabimur, cum a mortali hoc corpore ſeparabimur, animæque noſtræ in novo illo ſeparationis ſtatu nova ſane ratione nobis prorſus ignota, rerum veritatem percipient. Secunda in interno machinæ ingenio poſita temperari quidem, atque medicari aliqua ratione poteſt, tolli omnino nequit: a plurimis capitibus id dependet, quorum aliquibus quæri aliquod remedium poteſt, in aliis omnia artis præcepta illuduntur. Spirituum animalium quantitatem, vires, actionem augere, intendere, aut minuere, aliaque hujuſmodi in corpore peragere per artem licet: temperamentum mutare, cerebri conformationem, nervis, atque muſculis agilitatem, tenſionem, certam, coſtantemque indolem, & tenacitatem addere, plurimaque alia prædictis etiam difficiliora peragere, a quibus corporis inertia, aut agilitas provenit, ſi non impoſſibile, humanæ equidem ſcientiæ difficilimum exiſtit. Tertia tandem inertia, quæ certis diei horis, anni temporibus, quibuſdam

ſtan-

ſlantibus ventis, aliquibus in locis, poſt quorumdam ciborum eſum premimur, temporaria eſt, corporis naturæ, & machinæ ingenio extrinſeca, arte medicari, tollique omnino poteſt, ſi externa illa inertiæ principia aut vitemus, aut oppoſita adhibeamus remedia, quæ uſus ipſe, & communis experientia docet.

§. V.

De Erroribus ex Præjudiciis, Educatione, aliiſque externis cauſſis provenientibus.

710. Mille ſemper, quoad vivimus, erroribus, errandique periculis circumdamur: finita, atque tenuiſſima, qua præditi ſumus, intelligendi facultas, plurima in animo, & animi affectibus, plurima in corpore, & corporis in ſenſibus non modo nos in craſſiſſima infinitarum rerum ignorantia, quadam naturæ, præſentiſque ſtatus neceſſitate, retinent; verum etiam incautam mentem, atque animum in mille paſſim errores inducunt, ut hactenus expoſuimus. Sed præter intrinſecas haſce errorum cauſſas, noſtræmet hominum conditioni, rationi, ſenſibuſque noſtris intimas, externæ etiam plurimæ ſunt, hominum auctoritate innixæ, a quibus vix ullus mortalium immunis omnino exiſtit, quæ a primis cunis per totum vitæ ſtadium in animum ſemper agunt, mentem obſident, ludificant, & a veritate avertunt. Extrinſeci errorum fontes, hominum auctoritate innixi, ad quatuor hæc capita reducuntur. 1°. Linguarum defectus: 2°. Inſtitutio a parentibus, nutricibus &c. 3°. Præjudicia nationum: 4°. Uſus librorum, atque magiſtrorum: ſingula breviter exponamus.

711. Inter externos errorum fontes primo loco numeramus linguas, quæ totæ ſunt ab hominum auctoritate, & arbitraria vocabulorum ad ideas, idearumque objecta ſignificandum impoſitione: cui poſtea ſingulari totius humani generis commercio, & Societatis beneficio adjuncta eſt litterarum inventio, & determinata apud ſingulas nationes pronun-

nuntiatio; ut non modo voces, & litteræ, ſed utrarumque ſonus in ſingulis nationibus permaneret conſtans. Linguas omnes eſſe imperfectiſſimas, a nemine negabitur, qui earum naturam, originem, auctores, uſum, & finem philoſophico more perpendat. Quæ circa linguas logico in opere ſcitu neceſſaria duximus, ſuperius expoſuimus. Earum imperfectionem præter alia jam jam indicanda, id primum evincit, quod ſint hominum ingenii, ac Societatis opus, & inventio, ut ſuperius probavimus. Quænam vero ſit linguarum imperfectio, non melius, quam ex perfectione, quæ in ſingulis deſideratur, dignoſci poteſt. Majorem linguæ cujuſcumque perfectionem hæc potiſſimum faciunt, major vocabulorum numerus; quod voces ſint magis ſonoræ, pronuntiatu faciliores; ordinatæ locutionis varietas; major compoſitarum vocum numerus; verba tandem, quæ numeroſitate, ſono, accentuque ſuo omnes animi paſſiones melius exprimant. Ex quibus capitibus, quanta ſit linguarum omnium imperfectio, quod præſens inſtitutum attinet, facile liquet. Idearum noſtrarum objecto, indole, affectionibus inter ſe diverſarum numerus vocabula ad eas exprimendum inventa longiſſime ſuperat: innumeras fere doloris ſpecies inter ſe longe diverſas unuſquiſque noſtrum moleſto experimento ſentimus; ampliſſimumque de iis idearum numerum ſenſu comparamus: illa tamen omnia objecta, atque objectorum ideas unico *doloris* nomine ſignificamus: & hinc duplici ex capite in errorem inducimur, 1°. quod de ideis etiam, dolorumque diverſorum ſenſu convenire non poſſimus: cum enim noſtrum quidem, alienum vero doloris ſenſum minime percipiamus; idem nec ne intra nos ſentiamus, atque exprimamus, dum capitis v. g. dolore laborare dicimus, penitus ignoramus. 2°. quod non modo dolorum diverſitatem, quam homines diverſi ſentiant, ſed illam etiam, quam unuſquiſque noſtrum in ſe ipſo ſentiat, eodem nomine ſignificamus; quid tandem eo vocabulo intelligendum ſit, cum illud aut ſcriptum legimus, aut pronuntiatum audimus, omnino ignoramus. Quod de *doloris* nomine, idea,

ob-

objecto dicimus, de infinitis aliis ſenſationum, rerumque ſpeciebus dictum habe: plura, atque diverſiſſima objecta re, aut apprehenſionis repræſentatione diſtincta, eodem vocabulo ſignificantur: aliud ſcriptor, aliud lector eodem nomine prolatum intelligunt. Primus hic linguarum defectus, & obvia errandi occaſio ex phyſica hominum conditione originem ducit: neque diverſas tantum variarum nationum linguas complectitur, ſed in una quoque eademque lingua locum habet.

712. Præter hæc maxima etiam vocabulorum penuria linguæ omnes laborant vel ad illa externa objecta ſignificandum, de quibus convenire facile poſſumus. Unde fit, ut plurima, præcipue ſi in familiari, & quotidiano hominum commercio poſita non ſint, nullo notentur nomine: multa prætérea inter ſe diverſiſſima eodem vocabulo exprimantur: ex quo duo hæc proveniunt, magna verborum, idearum, ſenſus ambiguitas, atque incertitudo; & derivata inde errandi occaſio, dum aliud auctor ſcribendo, aliud nos legendo intelligimus. Viſitur id potiſſimum in mortuis linguis, Latina, Græca, & aliis, quæ magna ex parte perierunt, neque ab ullo hominum ediſci perfecte poſſunt. Locum id pariter ſæpiſſime habet, cum alienam linguam, etiamnum vivam, grandiores ediſcimus, legimus, audimus, loquimur. Qui argumentum, de quo agimus, non perfunctorie tantum meditantur, facile conveniunt, vix fieri poſſe, ut alterius gentis linguam aliquis perfecte ediſcat, qui non fuerit a prima pueritia inter illam gentem educatus, & una cum lacte, familiarique converſatione per plurimos annos continuata penitiorem vocabulorum ſenſum ediſcat, quem neque ulla lexica, neque libri, neque gramaticæ præcepta tradunt. Linguarum cardo, & medulla in familiares nationis ideas, cogitandique modum refunditur, qui ad locum, tempus, clima, gentem, mores, leges ſemper refertur, in iiſque tandem innititur: Uno verbo, quæ idearum, eadem debet eſſe & vocabulorum ſchola, & utrumque una ſimul comparari. Eos propterea merito rideas, qui penitiori, atque perfe-

fecta plurimarum linguarum cognitione præditos ſe ſe jactant, aut ab aliis ea laude commendantur. Plerumque accidit, ut qui ea linguarum eruditione tantopere prædicantur, ne maternam quidem ſatis calleant; quantumvis integra hominis vita, nativo ſolo ſemper acta, tamquam perennis maternæ linguæ ſchola dici quodammodo poſſit.

713. Inter externas errorum cauſſas a ſola auctoritate pendentes ſecundo loco recenſuimus Inſtitutionem a parentibus, nutricibus, pædagogis, & aliis puerilium annorum moderatoribus, & ducibus acceptam; tempore tamen, atque errorum fertilitate nuncupari debet prima: hæc illa ſane ætas eſt, iique doctores, unde & maxime noxia, & ampliſſima errorum multitudo in humanam mentem & animum derivatur. *Noxios* quidem hæc potiſſimum probant, 1°. quod tenella mens a ſummis tenebris in lucem edita, omnium rerum ignorantiſſima, improvida, & quaſi nuda tabula, nullis adhuc coloribus depicta, ſciendi tamen maxime cupida, quidquid in ſenſus cadit avidiſſime arripit: eamque vacuam penitus occupent, & per tot annos obſideant, & confirment parum accuratæ, aut falſæ rerum ideæ, objectis male conformes, male explicatæ, male intellectæ. Quot enim per tot annos ſenſibus arripimus? quænam in ſupradictis magiſtris doctrina, in pueris vero perceptionis facultas? 2°. Tenellæ menti quaſi tabulæ molli cera obductæ, nondumque rerum imaginibus exaratæ, quidquid ea ætate audimus, aut aliis ſenſibus uſurpamus, profundiſſime imprimitur, ceraque ætate ſenſim indureſcente, & confirmata, tenaciſſime per totam vitam, tamquam minutiſſimum inutilium rerum penu aſſervamus. Optime ad rem Horatius:

Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem
Teſta diu ....

714. 3°. Noſtramet erga parentes, nutrices, magiſtros illa in ætate reverentia, & amor a natura fere inditus, lacte, & beneficiis nutritus, ratione con-

confirmatus in cauſſa eſt, ut nullo alias Criterio præditi, omnes eorum ſenſus ſuſpiciamus, indiſcriminatim probemus, pro aris, & focis propugnemus, toti ab eorum verbis, ſenſu, & ſententiis pendeamus, iiſque tenaciſſime adhæreamus: niſi eam poſtea rerum doctrinam ſtudio, diligentiaque noſtra aſſequamur, eaque mentis claritate, criterio, & animi indole comparatiſimus, ut primis illis rationis crepuſculis diffidentes, quidquid pueri ediſcimus iterum recenſeamus, & ad lydium lapidem examinemus. Quam ſane rerum ſcientiam, animique indolem cum non multi a natura ſortiantur, pauciores ſtudio, & arte colant; mirum non eſt, ſi maxima pars hominum & naſcuntur, & vivunt, & moriuntur poſt maturam ætatem pueri: alii poſt alios, quaſi pecus, inſequimur, & male perceptis ideis priori illa ætate comparatis, & in naturam fere tranſmutatis fere ſemper inſiſtimus. 4°. Eorum tandem, a quibus inſtruimur, ignorantia utramque argumenti partem, quod noxiis æque, ac multis prima illa ætate erroribus imbuamur, evincit. Quanta illa ſit, & quam late pateat, tum ſolum intelligimus, cum ſcientiarum ſupellectili ſatis inſtructi matura jam ætate, & ſtudendi curriculo pene emenſo antiqua priorum noſtrarum idearum veſtigia relegimus, & grata recordatione reviſimus. Quod toti animalis humani ſpeciei, ratiocinandi facultate alias præditæ, ſollemne eſt, ut rationis uſu, & ratiocinandi labore prætermiſſo, fide potiſſimum, atque aliorum auctoritate duci ut plurimum amet, id in prioribus illis vitæ annis neceſſitate quadam peragimus: ſenſui, & auctoritati immatura ratio cedit, & quidquid ſub ſenſum immediate non cadit, humana fide tenemus: omni rationis evidentia deſtituti nihil ratione deducimus; omnibus ſenſuum fallaciis circumventi, rudibus, atque ignorantiſſimis ducibus commiſſi, a quibus continuam plurium annorum lectionem accipimus, quibus erroribus non imbuimur? 2°. Alia multitudinis errorum cauſſa eſt objectorum, rerumque multiplicitas, quas illa ætate, iiſque doctoribus accipimus: quid enim primis iis humanæ rationis crepuſculis incautis men-

tibus perfunctorie non attingitur? præter omnia vitæ civilis, & humanæ ſocietatis, atque commercii elementa, quæ tum temporis edocemur, mille paſſim ideas ad artes, atque ſcientias, ad mores, religionem, leges, & conſuetudinem ſpectantes comparamus, quibus omnibus plures ſemper errores irrepunt. Communis mali cognitio eruditos quamplurimos eo adduxit, ut de præſentanei remedii inventione ſerio conſulerent, meditarentur, & cogitationes quiſque ſuas circa animalis humani educationem peragendam publici juris facerent: problema quidem antiquiſſimum, ſolutu, ſiquid aliud, difficillimum, immo & generalis ſolutionis forſitan incapax. Climata, & locorum temperies diverſa, varia præterea nationum indoles phyſicis Cauſſis, natalis ſoli propriis, reſpondens eam in hominum indole, mente, animo, & corporum viribus diverſitatem inducit, quæ una eademque methodo, ac regulis dirigi non poſſit. Alacrem, robuſtum, audaciſque animi Hiſpanum perinde in Europa educare, atque mollem Indianum ad Æquatorem in lucem editum, & commorantem neque locorum temperies, neque nationum indoles pateretur.

715. Errores ab inſtitutione imbibiti, quos hactenus attigimus, *infantiæ præjudicia* nuncupantur, quos & alii conſequuntur errores, *nationum præjudicia* appellati; & magna cum prioribus affinitate, & ſimilitudine conjunguntur. Præjudiciorum nomine impræſentiarum intelligimus falſum quemcumque de re aliqua ſenſum, atque opinionem, citra prudens ejuſdem rei examen ignorantia noſtra, imprudentia, præcipitantia, levitate, aut affectibus admiſſam, atque retentam. Si generali alias vocis ſignificationi inſiſtamus, quodcumque de re aliqua verum vel falſum judicium, aut animi præventio, quam mente, aut animo probamus, antequam ſententiam feramus, præjudicium appellatur: hoc tamen loco vocem ad erroris tantum ſignificationem contrahimus, quæ & nomini magis propria eſt, & Logicæ inſtituto magis convenit. Maximam opinionum noſtrarum partem citra ullum examen homines ut plurimum amplectuntur: de

com-

communi hominum vulgo verum id eſſe nemo inficiabitur: præterquam autem quod maximus ſtudentium, & litteratorum numerus vulgus exiſtit, nullus hominum eſt, quem circa infinitas fere res, artes, ſcientias in humano commercio, & ſocietate poſitas, cultas, & notiſſimas rudiori vulgo merito non adnumeremus. Qui vel maxime de ingenii proprii acumine, ſtudiis, eruditione, ſcientia efferuntur, poſt longævam vitam inter libros contritam, ad quam libuerit vulgarium artium officinam deduc: canutum doctorem, nil niſi Delphica oracula ructantem, ut cum opifice de ea, quam profitetur, arte, materia, inſtrumentis confabuletur, perſuadeas: balbutientem 70. annorum puerum non modo linguæ propriæ, verum & communiſſimarum rerum ignorantiſſimum ridebis. Paſſim hæc agitur in circulis comædia, ut qui in antiquiſſimorum populorum moribus, inutilibuſque aliis rebus inquirendis inſenuerint, noſtrorum temporum hiſtoriam, reſque alias ad humanam Societatem neceſſarias turpiſſime ignorent: interim tamen de omnibus pene rebus ratiocinamur. Præjudiciis igitur plena ſunt omnia, iis, inquam, quæ falſitatem ſecum ſemper habent, & pro quadam errorum ſpecie uſurpantur. Pro varia eorum origine, objectis, atque modo, quo in mentem noſtram inſinuantur, imbibuntur, altaſque in animum radices immittunt, multiplices etiam, & variæ præjudiciorum ſpecies diſtinguuntur: omnes, quantum ad præſens inſtitutum attinet, ad tria hæc capita revocantur, *præjudicia infantiæ*, *præjudicia communia nationis*, *præjudicia ex utriſque mixta*. *Præjudicia infantiæ* illa dicimus, quæ puerili ætati, animæ, ſenſibus, quacumque de gente ſis, humanæ conditionis vitio conveniunt, & communi inſtitutione hauriuntur. *Præjudicia nationum* illa dicimus, quæ ſingulis nationibus propria exiſtunt, a gentilibus opinionibus, & ideis foventur, & generantur, atque a parentibus ad filios ſucceſſione perenni tranſmittuntur. Cum nationes dico, peculiares etiam reſpublicas, civitates, cætus, communitates, hominum ordines, ſectas intelligo; in quorum ſingulis ſua ut plurimum

mum præjudicia vigere, communis experientia docet. *Mixta* denique *præjudicia* nuncupabimus, quæ cum in iis, a quibus inſtituimur, nationalia ſint, nobis tamen pueris inſtillantur. Homo a præjudiciis omnibus immunis monſtri ſpecies eſſet: adeo late ſerpit hujuſmodi malum, adeo affectibus ducimur, veritatem examinandi laborem fugimus, & ad judicium noſtrum de rebus ferendum citra debitum examen proclives exiſtimus. Sis quantumlibet philoſophus, veritatis, doctrinæque amantiſſimus, ab affectibus liber; cum infinita plane ignores, quamplurima autem penitius enucleare per tempus, humanique ingenii vires non liceat; perfunctoria de iis inſtructione contenti, mille vulgaribus erroribus imbuimur. In integris nationibus, atque civitatibus perinde ut in ſingulis hominibus verum hæc habent: ſunt ſcilicet illæ morale, atque politicum corpus, quod peculiari etiam cogitandi, & idearum regula, atque modo dirigitur. Gentilium præjudiciorum fontes (ut de iis in ſpecie loquamur, ad quæ cetera facile reducuntur) ſunt illæ animi paſſiones, atque affectus, quibus aliæ aliis opponuntur nationes, ſe ſe amant, rebus propriis ſtudent, alienis invident: Religionem, patriam, mores, leges, ſcientias, artes, milleque alia objecta ſpectant nationum præjudicia.

716. Infinita ſingulorum exempla quotidie in ſingulis nationibus animadvertimus. Apud Mahometanos Chriſtiani omnes tamquam canes habemur, æterno eorum odio digni, & religioſæ averſionis objectum, quos nulla poſt mortem felicitas maneat. En religionis præjudicium ab Alcorano traditum Mahometanorum omnium animis profundiſſime infixum, & citra ullum omnino examen (quod per legem pariter non licet) aſſertum: quanta inde abſurdiſſima præjudicia, tyrannicas, & inhumanas concluſiones legi naturali, humanitati, rationi oppoſitas adverſus nos deducunt. Hominem, tamquam canem, apud te ſtatue: quæ inde tibi in eum liceant, facile videas. Anglicus homo in maxima illa, quæ Anglorum tantum eſt, opinandi, loquendi, ſcribendi, atque credendi liber-

bertate educatus, probare, atque ferre æquo animo non poteſt, quæ apud ceteras nationes eſt, coercitam legibus licentiam, & libertatem intra anguſtos fines concluſam: multa ex adverſo reliquæ nationes reponunt, quibus & Anglica libertas, & conſecuti ex libertate mores improbantur: utrinque præjudiciis agitur. Juriſconſultum in Romanarum, ac municipalium legum ſtudio contritum, hominumque fortunas, vitam, mortem pro roſtris ſecundum leges ad ejus arbitrium interpretatas ſtatuere, ac dijudicare aſſuetum, quid de Poeſeos, ſolutæque Eloquentiæ, Phyſicæ, aliarumque naturalium ſcientiarum amœnitate, & utilitate ſentiat, interroga: omnia hæc apud ſe flocci haberi, audies. Quod ſi de rebus quibuſcumque in confabulationem incidentibus non tacendi pruritu agatur, ut ſollemnis eſt hominum mos; quæ ille non effutiet inania præjudicia? Quæ de juriſperito exempli cauſſa dicimus, de ceterarum artium, ſcientiarumque profeſſoribus pariter eſt intelligendum.

717 Efficax, atque univerſale præjudiciorum omnium remedium eſſet, ſi, non modo illa, quæ infantiæ ſunt, ſed nationis etiam, & ut verbo dicam, ſingulas noſtras opiniones præcipiti judicio, & citra examen olim a nobis admiſſas, ad incudem ſemel revocaremus, & ſecundum veritatis criteria ſuperius adſtructa probanda, rejicienda, aut in medio relinquenda decerneremus. Id tamen Platonicum potius conſilium, atque idea, quam præjudiciorum remedium in uſu tandem adhibendum cenſeri debet. Omnia enim, immo præcipua ſolum rerum capita plurimorum annorum curſu probata, atque confirmata reviſere, diſcutere, & ſecundum criticæ regulas dirimere, otioſi æque, atque diligentis philoſophi opus eſſe poteſt, atque problema; reliquo hominum numero, qui integrum fere humanum genus complectitur, proponi nequaquam debet. Præter alia, quæ ſparſim tradidimus, errorum remedia, duo hæc in rerum uſu ſemper conſiderare juvabit: 1°. ut quale de rebus noſtris judicium ferri debeat, agnoſcamus; quæ noſtra de aliorum hominum præjudiciis mens ſit, prius in-

ſpiciamus: alios aliis judices viciſſim eſſe oportet. 2°. Quid homines doctrina, prudentia, & ingenio clari, quos noſtra nationum præjudicia minime tangunt, ſolaque ratione, & natura ducti, de iis ſentiant, audiamus: eorum ſententiam ut noſtram adoptare, ſi non ſemper veritatis, prudentiæ tamen argumentum exiſtit. Id extra dubium eſt mentem, & animum a præjudiciis liberum naturali indoli tribuendum eſſe, & inter peculiaria Numinis dona numerandum; quod ſtudio, & arte colere quidem, & perficere, efficere tamen non poſſumus.

718. Librorum tandem, atque magiſtrorum auctoritatem inter externas errorum cauſſas poſtremo loco numeravimus. Utrumque in idem recidit: quod hominum auctoritatibus, & ſententiis ſcripto mandatis, aut viva voce probatis ducamur, & inſtruamur, minimum inter ſe differt. Tam libri, quam magiſtri veritatis interpretes eſſe ſemper deberent, ignaræ mentis duces, atque ſcientiarum, & artium clavis, quæ nobis obſcura reſerarent, & ab errore tutos ducerent. Utcumque id ab utriſque accipiamus, non parum curæ opus eſt, ut ab utrorumque lectione noxia in nobis præjudicia non ingenerentur. Librorum, magiſtrorumque uſus inſtitutionis loco habendus eſt: quorum diſcrimina hæc potiſſimum ſunt: magiſtros per aliquot tantum juventutis annos audimus, ab iiſque, ut verum fateamur, non ſcientias, & artes ediſcimus, ſed ad diſcendum dirigimur, viam methodumque edocemur, qua nobis deinceps derelicti monſtratum in ſcholis ad ſcientiam iter marte, viribuſque noſtris conficiamus; libri ex adverſo nobis ſunt continuata ad mortem uſque inſtitutio, perpetui duces, atque magiſtri, quorum uſu, ductu, continua lectione, atque meditatione brevius, longiuſve peragramus iter, ad majorem, minoremve pro labore quiſque ſuo, ſtudio, & ingenio conſcendimus altitudinem. Ea, qua vivimus, ætate & magiſtrorum, & librorum numero obruimur, ac fatigamur: utiliſſimam hanc eſſe dicas ad vivendum artem hoc ſæculo inventam, & cultiſſimam: numeroſa adeo

rei

rei utriuſque examina quotidie in lucem prodeunt, quorum pars longe maxima, ut eſt rebus humanis ſollemne, ad propoſitum ſibi finem aſſequendum inutilis, aut noxia eſſe triſti experimento deprehenditur.

719. Sed ut de libris primum loquamur; qui ſunt totius humanæ ſcientiæ, noſtrarumque idearum cuſtodia, & immenſa humanæ mentis errorum promptuaria: Eo ſcribendi pruritu, atque mentis vertigine præſens hæc, & effluxæ jam ab uno, & amplius ſæculo generationes aguntur, ut inter dominantes hujus temporis paſſiones recenſeri debeant. Sed ad docte ſcribendum ſcientia, atque eruditio requiritur: magno labore, & mentis contentionibus duo hæc comparantur: inventum interim eſt malo remedium, quo & evitetur labor, & non deponatur calamus: ad ſcribendum prius, quam ad cogitandum accingimur. Nominis commendatio, honor, panis, fortuna ſcribendo quæritur: diuturnam moram pati iſta nequeunt: labori, diuturno ſtudio, longiſque viarum ambagibus evitatis, ſaltu ſcopus attingitur, calamumque ad alios docendum accipimus. cum nondum quid docendum ſit, didicerimus. Eo ſane res eſt deducta; ut apud Anglos auctorem librorum agere dicantur, qui libris componendis, atque in lucem emittendis vacant; & ut alia reipublicæ officia, hæc etiam auctorum ars tractetur, perindeque, ut artificem, ita auctorem quis agere dicatur: conſequens inde eſt, in infinita hac librorum farragine, quibus obſidemur, maximam eorum partem penitus eſſe, niſi ad tempus male collocandum, inutilem: a quamplurimis cavendum nobis eſſe; cum præter ignorantiæ auctoris argumenta pernicioſa ſæpe lectori incauto venena propinent. Parum, crediderim, ab eo tempore abſumus, cum fautores ſuos utraque hujus problematis pars numerabit, *utilior, an periculoſior humano generi fuerit typicæ artis inventio*: abſit tamen, ut utiliſſimam artem cum pernicioſo artis abuſu confundamus.

720. Hæc cum ita ſint, in tanta peſſimorum librorum copia neceſſarius eſt delectus: atque pri-

ma hæc eſſe debet ad ſtudendum, & ſciendum ſcientia. Sed de hoc iterum infra dicemus. Interim, quod magis ad rem noſtram eſt, in libro auctorem ſemper videas; peculiarem ſcilicet hominis indolem, characterem, animum, ingenium, cogitandi modum, quæ ſint illius ideæ, præjudicia nationis, ſcientiæ, ordinis, religionis, & alia hujuſmodi. Rarum eſt, atque difficillimum, in hiſce humanæ mentis productionibus exactam ſcriptoris picturam ſuiſmet ideis lineamentorum, colorumque loco expreſſam non invenire. Senſim hæc in incauti lectoris animum inſinuantur; eaque ex librorum lectione præjudicia, erroreſque haurimus, niſi ad indicatam ſuperius criticæ regulam rem omnem examinemus, quos, ſi ab eorum auctoribus viva voce inſtitueremur, in animum ipſi noſtrum inſtillarent. Cetera, quæ ad librorum uſum attinent, & in opere logico ad mentem dirigendam inſtituto prætermitti non debent, paullo inferius proponemus.

721. Non eadem modo a magiſtris, quæ a librorum lectione, timenda ſunt præjudicia, ſed multo plura, atque majora a primis, quam a ſecundis tyronum animi hauriunt. In magiſtro enimvero non modo auctorem, ſed vivum librorum exemplar, in libro vero auctoris copiam agnoſcimus: rerum tamen ordinem inverſum hic eſſe animadvertimus: longe pluribus, atque majoribus mendis exemplar, quam copia, atque tabula ſcatet. Quidquid limatius, magis probatum, ſelectiores tantum ideas, meliori, quo poteſt, ordine, claritate, elegantia, atque methodo diſpoſitas committit, & in libro producit auctor: dum contra in auctore ipſo, atque vivo exemplari, ut humana fere omnia ſunt, probanda improbandis, mala plura rejicienda paucis bonis admittendis permixta, errores, præjudicia, dubia, vitioſas animi paſſiones, ſtudia, affectus a natura ipſa editos clariſſime deprehendimus, quæ ſtudioſe in copia, quantum per naturam ipſam licet, occultantur. Uno verbo, libros evolvendo Doctorem Stoicum animadvertes, virtutem & ſeſe, dum bene ſibi eſt, atque, ut dicitur, palatia in

aere

aere conſtruere permittitur, magnopere efferentem, nihil humani ſapientem, dolori, malis, præjudiciis imperitantem: cum magiſtrum tamen audis, illumque familiarius diſcendi gratia conſulis; tum vero hominem non jam humanas omnes paſſiones ſtoico ſupercilio deſpicientem, ſed iis omnibus preſſum, atque, ut ceteri mortales, laborantem cognoſces. Probitas præterea, religio, mores, peculiares affectus in magiſtro animadvertuntur, & longe clarius, quam in ſcriptis a ſe libris elucent; in auditorum animos hæc omnia influunt; innumera præjudicia, quæ ab illis fontibus derivantur, in ipſis ingenerant, aut genita confirmant. Auditorum deinde erga magiſtros ſtudium, amor, & reverentia longa conſuetudine comparata, & ipſomet naturalis rationis dictamine confirmata, proclives jam ob gratitudinis ſenſum animos præceptoribus magis devincit, atque ſtrictius conjungit: toti ab illius ore, & auctoritate pendent: in ejus verba, & ſenſus ut plurimum jurant; peculiares ejuſdem opiniones magno partium ſtudio ſibi propugnandas aſſumunt, & tenellis mentibus, animiſque impreſſas pro aris, & focis deinceps tuentur. Quin immo, ut facilis eſt ad partium ſtudia arripiendum humana conditio, in magiſtri etiam affectuum partem ingrediuntur, propriaſque ducunt, quæ illos nequaquam tangunt, magiſtri rationes. Quæ ex hiſce magiſtrorum defectibus, atque auditorum erga ipſos animo proveniant partium ſtudia, errores, præjudicia, quæ vix poſtea avelli a mente poſſunt, nemo non videt. Alia ex parte ſi illa ſit præceptoris indoles, atque ingenium, ut & auditores aſpere tractet, rigidius, quam par eſt, accipiat, argumentum, de quo agit, neque nitide exponat, neque ea amœnitate ornet, quæ & auditorum mentes inſtruat, & animos ad ſtudia proſequendum alliciat; tum vero oppoſita omnia proveniunt præjudicia, a ſcientiarum, & librorum ſtudio ita avertuntur animi, ut per totam vitam vix in contrariam partem flecti poſſint.

§. IV.

§. VI.

Errorum medicina dubitare: Methodus; ſeu Regula dubitandi; ſeu de quibus, quomodo, quatenus, quoadusque dubitandum.

722. Præcipuos errorum fontes breviter delibavimus, eaque errandi pericula demonſtravimus, quibus, quoad vivimus, circumventi ſemper exiſtimus. Communi malo aliquod, ſi fieri poſſit, quærendum eſt remedium; quo ſi non penitus depellendum (quod per humanæ mentis conditionem ſperare non licet) bona tamen ex parte medicandum. Si rerum omnium evidentiam haberemus, eamque ſummam; nihil nobis eſſet ab errore, rerum, idearumque obſcuritate, aut incertudine timendum: errori ſcilicet, atque dubio opponitur evidentia, eaque utrumque depellitur: atque eo magis ab errore, & dubio recedimus, quo magis ad idearum evidentiam accedimus. Quærendum hinc eſſet, modo id hac in mortali vita liceret, univerſale omnium errorum remedium. Quoniam illa in Deo eſt ſumma, atque infinita; ſumma etiam in mente Divina eſt cujuſcumque erroris, atque dubitationis impoſſibilitas. Nos tamen ex adverſo ob tenuiſſimam humanæ mentis capacitatem, omnium pene rerum evidentia deſtituti, plurimis ſemper rationis, ſenſuum, auctoritatis fallaciis circumdati, mirum non eſt, ſi ſæpiſſime cæcutimus, labimur, in milleque paſſim errores impingimus: quin etiam ſæpiſſime fit, ut illa, quæ hominibus claro alioquin ingenio præditis, evidentia, atque demonſtrata apparebant; fallacia deinceps, atque paralogiſmi eſſe deprehenderentur. Quid ergo? De omnibus ne dubitandum, nihilque certi ſtatuendum? errorum id eſſet abſurdiſſimus. Abſit, ut antiquum Pyrrhoniſmum, aut Scepticiſmum hac noſtra ætate e cineribus excitatum, & novis, eruditiſque fautoribus propugnatum probemus. Dogmata hiſce erroribus oppoſita jam ſtatuimus. Atque hæc obiter dicta circa univerſale

de

de rebus omnibus dubium indicata ſint: de cetero enim, ubicumque non appareat evidentia, unicum erroribus remedium erit *dubitare*. Diſtinctius hæc omnia explicemus.

723. Errorum remedia alia ſunt univerſalia, alia vero particularia: prioris ordinis duplex agnoſcitur ſpecies, *poſitivum*, & *negativum*. Primum dico *evidentiam*, ſeu *ſcire*; ſecundum *dubitare*. Rei cujuſcumque evidentia non modo mentem ab erroribus immunem, atque ab omni formidine ſecuram reddit, verum & de oppoſita veritate certam: ita illa, quam, dum cogito, de mea exiſtentia habeo, evidentia non modo qualiſcumque mei *non eſſe* dubitatio depellitur, verum etiam certo me exiſtere agnoſco. Atque id dico poſitivum adverſus errores univerſale remedium. Triplicem in ſuperioribus diſtinximus evidentiam, *rationis*, ſeu *metaphyſicam*, *ſenſuum*, ſeu *phyſicam*, *auctoritatis*, ſeu *moralem*: triplex hic evidentiarum ordo totidem veritatis ſpecierum criteria exiſtunt; ita ut quidquid eſt ratione evidens ad primam, omnia ſenſuum teſtimonio, ſeu phyſice certa ad ſecundam, quidquid tandem auctoritate innititur, ſi morali evidentia conſtet, ad tertium ordinem ſpectat. Singulis illis evidentiæ ſpeciebus, atque veritatum criteriis totidem etiam reſpondent errorum ſpecies. Rationi, ſenſui, fideique noſtræ illuditur; ſuaque in ſingulis hiſce ſciendi modis illuſiones,atque præjudicia inſunt. Rurſus triplicem hanc evidentiam triplex veritatis criterium ita in ſuperioribus ſtatuimus,ut quælibet in ſuo genere nobis eſſet veritatis teſſera, qua nos ab omni illuſione ſecuri efficeremur. Ex quibus omnibus eſt, quod ita rerum evidentia erroribus, atque præjudiciis caveamus, ut ſingulæ reſpondentium ſibi præjudiciorum remedium exiſtant: phyſica v. g. ſenſuum evidentia phyſicis tantummodo præjudiciis occurritur, atque ita de aliis. In id unum hæc omnia tendunt, ut præjudicia omnia ſecundum veritatis criteria, qualia in ſuperioribus ſtabilivimus, accurate examinentur, & ad criterium quæque ſuum revocentur; ut non modo ab iis liberemur erroribus, verum etiam ut oppoſitam

tam veritatem inſpiciamus. Hæc ulterius impræſentiarum non proſequimur, cum fuſius ſupra expoſita fuerint.

724. Secundum præjudiciorum, atque errorum univerſale remedium, quod negativum nuncupamus, eſt *dubitare*: locum id ſemper habet, atque adhiberi debet, ubicumque omnis deſideratur evidentia. Multa hic involvuntur, atque univerſali regula comprehenduntur, quæ diſtinctius exponere oportet, & peculiaribus regulis complecti. Alia enim vere, alia apparenter tantum probabilia ſunt: Rurſus propoſitionum vere, aut apparenter tantum probabilium aliæ in pura mentis ſpeculatione ſiſtunt; aliæ vero ad uſum, humanæque vitæ, atque Societatis commercium, & actionem reducuntur. 2°. Præjudicia, infantiæ illa ſint, aut nationum, ad uſum, aut ad ſpeculationem ſpectent, ita ut plurimum amplectimur, ut ad examen nunquam revocemus, veraque, an apparenti probabilitate donentur, non perpendamus: una credendi, remque tenendi ratio eſt ipſumque præjudicium vel a teneris hauſtum, vel ab affectibus, aliiſque fontibus ſuperius indicatis profluens, iis innixum, & longa conſuetudine confirmatum: eo ducimur, quin unquam aut in examen vocemus, aut de præjudicii falſitate nonnihil dubitemus. De hiſce omnibus dubitandum eſt, nihilque eorum ut certum aſſerendum, diverſa tamen ratione; quod ſequentibus regulis exponimus.

Regula I.

725. *Rem quamcumque, rationis, ſenſuum, in qua poſt accuratum examen nulla appareat evidentia, ut dubiam tractare ſemper oportet.*

Alioquin incerta, & falſa pro certis, atque veris ſæpiſſime uſurparemus, &, dum ea tenaciſſime ut evidentia, aut demonſtrata amplecteremur, in errores laberemur. Hac nos regula, etſi alia cum rationis, tum humanitatis, atque urbanitatis principia deeſſent, munitos eſſe oportet, ut cum de alio-

aliorum ſenſu, ac opinionibus judicium ferimus, modeſte id ſemper agamus, illud ſemper ante oculos obverſantes, in re dubia utrumque noſtrum verſari, paſſimque, ac ſæpe fieri, ut ab illa tandem parte veritas eſſe deprehendatur, quæ minus apparebat veriſimilis, atque probabilis. In omnibus probabilibus veritatis apparentia ducimur, quæ quantum a rei veritate diſtet, nullus ignorat. Hac regula, quam fuſius in ſuperioribus proſequimur, in omnia probabilia, tum in theoretica, puraque mentis contemplatione conſiſtentia, tum practica comprehendimus; quin tamen illa ab agendo nos retrahat, cum ſecundum aliquam oppoſitæ probabilitatis partem aliquid agere opus fuerit. Id unum in iſtiuſmodi rerum circumſtantiis animadvertere ſatis, aliud quidem eſſe prudenter agere, aliud vero ſecundum veritatem ſeſe ad agendum determinare: prudenter ſemper agis, quotieſcumque ſecundum majorem veriſimilitudinem agis, quantumvis veriſimilior ea controverſiæ pars, falſa tandem deprehendatur.

Regula II.

726. *Cum de rebus probabilibus agitur, quas agere oporteat, ita ſecundum veroſimiliorem partem ferenda ſententia, atque agendum nobis eſt, ut nihil tamen certi ſtatuamus, & facile nos decipi poſſe fateamur.*

Hujuſce regulæ uſus omnino eſt neceſſarius, & triplici occurrit malo: 1°. Si ad agendum evidentiam ſemper quæreremus; inerti plane otio vitam ageremus, omnibus fere humanæ Societatis, & vitæ muniis, officiis, artibus, ſcientiis omnino prætermiſſis. Innumera enim fere artium, ſcientiarum, immo & morum præcepta, & theoremata ſunt incerta, & facientibus hinc inde argumentis confirmantur: vivere vero eſt agere: ſtare humana ſocietas non poteſt, quin leges, moreſque ſtatuantur, aliaque multa ad artes, & ſcientias ſpectantia ſecundum aliquam partem decidantur. 2°. Ab impru-

prudentiæ nota liberamur; ad quod ſatis, neceſſeque eſt, ut, ſi non vera, veroſimiliora ſaltem amplectamur: Secundum enim eam partem ſententiam dicere, eamque exiſtimare veram, quæ minus appareat vera, menti, animoque violentiam inferre mihi eſt. 3°. Præter imprudentiam, ab errore nos etiam liberat, modeſteque de noſtra, aliorumque opinionibus, atque ſcientia ſentire, eadem regula docemur. Dum ſcilicet de noſtra, deque aliorum mentis tenuitate conſcii nulla nos evidentia, ſed probabilibus tantum, fallacibuſque argumentis duci agnoſcimus; neque opinionibus noſtris tenaciſſime, quaſi Geometrica theoremata eſſent, adhæremus, eaſve efferimus, neque aliorum ſenſum deprimimus. Ita ſane, & modeſtia, & urbanitas, atque humanitatis ſenſus, adeo ad humanam ſocietatem neceſſarius, fovetur, & confirmatur.

Regula III.

727. *Res omnes theoreticæ, in quibus nulla apparet evidentia, ſed pura tantum probabilitas, non modo ut dubiæ tractandæ ſunt, ſed minori etiam contentione, partium ſtudio, atque adhæſione propugnandæ, quam ſi ad vitam, & actionem ſpectarent.*

Prior regulæ pars ex ſuperiori patet: ſecunda per ſe ipſam videtur manifeſta: longe majorem enim ad ea, quæ ad vitam noſtram, humanarumque actionum rationem ſpectant, quam ad puras putaſque ideales opiniones adhibendam eſſe diligentiam conſtat. Longe accuratius, ardentiorique ſtudio priores, quam poſteriores inveſtigandæ ſunt; ne non modo ideæ, quod in harum poſtremis accideret, ſed & humanæ actiones a veritate, & prudentiæ dictamine magis deflectant.

Re-

Regula IV.

528. *Præjudicia omnia, vel infantiæ illa ſint, vel nationum, vel alio quocumque nomine donentur, ita in dubium vocare oportet, ut pro veris haberi non poſſint, quoad poſt accuratum eorum examen, gravibus rationum momentis inniti comperiantur.*

Quarta hæc regula, quam unam ſtatuo univerſale, atque neceſſarium omnium præjudiciorum remedium, ita per ſe ipſam exiſtit neceſſarie, ut in re, atque experimento difficilis. Regulæ neceſſitatem ſatis demonſtrat errorum multitudo præjudiciorum numero, atque nomine donata, & ſuperius ſummatim perſtricta. Niſi hiſce perfectum jam rationis lumen, atque uſum adepti aliquando diffidamus, tanquam falſa rejiciamus, aut in medio relinquamus, rudiori tantum vulgo credenda; in litteraria etiam republica vulgo annumerabimur. Carteſianam hic ego dubitandi methodum, immo & purum putumque Scepticiſmum ſecundum ſeverioris criticæ regulas exactum vellem, de ſinguliſque præjudiciis ut ſemel ſaltem in vita dubitarent, falſa ſupponerent, ad examen vocarent, omnibus, qui ſcientias colunt, & veritatem amant, auctor eſſem. Rei difficultas ex ipſa præjudiciorum conditione deſcendit. Naturalibus enim effectibus, paſſionibus, temperamento, indoli, unde profluunt, penitus conformia, longaque conſuetudine confirmata in naturalem cogitandi modum abierunt. Inde eſt, quod, ut hujuſmodi a præjudiciis libertatem per ſeſe quis aſſequatur, & rerum ſcientiam, & peculiaris quædam animi indoles, atque vis requiratur, quæ philoſophi *Coſmopolitæ* characterem efficere videtur. Homines videas, quantumvis raros, ita a natura comparatos, ut nil in eos ſanguis, nihil amicorum gratia, nihil patriæ, nationiſque rationes ad mentem, animumque a recto juſti, verique tramite deflectendum valeant: quibus patria ſit integer globus, natio vero ſpecies hu-

humana: in ſe ipſos, atque in alios ſententiam ferre paratiſſimos, verum juſtumque in ipſamet natura, & rationis lumine, quæ maxime colunt, & conſulunt, ſemper quærentes. Ii ſane mihi ſunt proprio philoſophorum charactere præditi. Ut ut pauci ejus indolis homines in ſingulis nationibus inveniantur, nonnullos tamen, Anglorum libros, characterem, hiſtoriam legens, ea in gente animadverto, qui aut relatam animi, & mentis indolem a natura acceperunt, aut accepiſſe jactitant. Utcumque res ſit, homines ita a natura comparatos, eos eſſe dico, qui præjudicia omnia & facile deponere, & accurate examinare, & tamquam falſa rejicere valeant, quantumvis alias proprio amori, commodis, paſſionibus ceteris faveant, & blandiantur. Ad ejuſdem regulæ uſum requiritur ſecundo eruditio, atque ſcientia minime vulgaris. Nihil fere eſt, ad quod noſtra hominum præjudicia non extendantur, phyſicam, metaphyſicam, moralem, hiſtoriam, humanam omnem ſcientiam inficiunt, religioni ipſi mille ſuperſtitiones addunt: quis latiſſimas haſce præjudiciorum provincias expurgare aggredietur, niſi & illas jam peragraverit, in iiſque ſit non mediocriter verſatus; & omnia præterea ad rigoroſæ criticæ regulas examinet, quæ & ipſa citra magnam, atque penitiorem rerum cognitionem agnoſci, aut exerceri non poſſunt? Qui v. g. ſenſuum præjudicia penitius agnoſci poterunt, quin prius humani corporis anatomia, quamplurima ex penitiori metaphyſica circa ideas, ſenſationes, animæ, & corporis unionem, dependentiam, illius naturam, actiones, & ſtatum, plurima etiam ex phyſica circa corporum qualitates, vires, naturam, agendi modum, ſenſibilitatem, & mille ejuſmodi alia agnoſcantur? Quod de ſenſuum præjudiciis, campo ſcilicet ampliſſimo, dicimus, de omnibus aliis intelligenda pariter ſunt. Rem alioquin certam obvia paſſim exempla luculentiſſime demonſtrabunt.

729. Ex hiſce omnibus, quæ a nemine in dubium vocari poſſunt, plurima deducuntur corollaria, quibus, & omnia ad explicandum nobis propoſita

poſita expedientur, & totum argumentum amplius explicabitur. 1. Certum jam eſſe patet, quod diximus, errorum, præjudiciorumque omnium remedium eſſe *dubitare*: quod duplici ſenſu accipiendum eſt: primo quia cum in dubitantem error non cadat, qui in tenaci falſitatis aſſenſu conſiſtit; quamdiu de re quacumque dubitamus, minime erramus: eoque ſenſu ad res alioquin certas extendi dubium poteſt, juxta Carteſianum ratiocinium, quoad certas eſſe ea evidentia conſtet, quæ & veritatis Criterium exiſtit, & de veritate amplius dubitare non permittit. 2°. Alio etiam ſenſu univerſale errorum, & præjudiciorum remedium eſt, quatenus a vero errandi periculo nos liberat, eoque modo illa omnia comprehendit, quæ nulla evidentia, & veritatis criterio conſtant. Primo modo ratiocinandi tantum, philoſophandique gratia dubitamus; Secundo vero neceſſitatis, atque prudentiæ eſt, *dubitare*.

730. Ejuſdem doctrinæ corollarium alterum eſt, quod ſcientia dubitandi maxima ſit ſcientia. Paradoxi aliquid in hac propoſitione contineri, ſpecie quidem videtur; re tamen puram putamque veritatem continet. Facile de re ipſa conveniemus; ſi, quid nomine *ſcientiæ dubitandi* ſignificemus, prius ſtatuamus. Non eo nos vocabulo Pyrrhoniſmum, aut Scepticiſmum intelligimus, quæ *inſcientia* potius, quam *ſcientia dubitandi* nuncupanda ſunt: de omnibus enim etiam evidentiſſimis dubitari neque prudenter, neque ſerio, neque vere poteſt. *Dubitandi ſcientia* nobis eſt, quæ indubia a dubiis accurate diſtinguens, de quibus, quare, quoaduſque dubitandum ſit, definit, accurate, prudenterque ſecundum criticæ regulas, atque veritatis criteria exponit, & ſtatuit. Qua quidem nominis notione duo in primis excluduntur hominum ordines penitus inter ſe oppoſiti, in quos integrum humanum genus dividitur, incredulos ſcilicet, & facile credulos. Increduli (*Spiriti forti* hac noſtra ætate ſignificantiſſimo nomine nuncupati) magnam ſibi ab incredulitate nominis commendationem apud homines conciliari exiſtimant: præter quamplurima

alia (ſunt enim qui de omnibus dubitant) illa potiſſimum, quæ Deum, religionemque ſpectant, tanquam vanam ſuperſtitionem, deliramenta, pannicoſque terrores deſpiciunt, & imbecillibus mentibus credenda relinquunt, dum ipſi ſupra communem hominum conditionem elati reliquum humanum genus miſerantur, & irrident. Cum iis in metaphyſica erit agendi locus: illos interim ſibi ipſis tortores eſſe ſinamus, & in perpetua ſecum ipſis loquendi, opinandi, credendique contradictione vivere. Alius credulorum hominum ordo latiſſime patet, & maximam humanæ ſpeciei partem comprehendit: præter rudem omnem vulgum, infiniti etiam litteris alioqui exculti, immo & eruditione clari, ea animorum, mentiſque credulitate præditi ſunt, ut ea ſaltem in parte parum a vulgo differant. Utrumque hominum genus a dubitandi ſcientia longiſſime diſtat: Secundos quod attinet, ut rudes, atque ignorantiſſimi plerumque ſunt, neque dubitare, neque de quibus dubitent, neque quare dubitandum ſit, agnoverunt. Quidquid menti proponitur, aut ſub ſenſus cadit, quibus maxime ducuntur, indiſcriminatim tenetur, niſi propriis commodis, atque affectibus opponatur: quo caſu naturæ potius inſtinctu, atque dictamine, quam purgato ratiocinio agunt. Perperam ab hominibus hiſce credulis artem criticam, naturalium rerum cauſſas, ſenſuum, atque ſenſationum rationem, & munera, errorum, præjudiciorumque originem, & mille iſtiuſmodi alia ad ſcientias, ad artes, ad omnia humanarum cognitionum objecta ſpectantia quæres.

731. Alia longe eſt incredulorum (ſeu *Spirituum fortium*) rationeque rudem in iis, incultumque vulgum, neque profundam etiam ſcientiam offendes: plurima curſim legunt, iiſque maxime inſiſtunt, quæ animam alliciunt: magna in iis dominantium paſſionum vehementia, una cum legendi, ſciendi, gloriæque pruritu: ex una igitur parte dominanti ſenſuum paſſione vehementer ſemper ſollicitari, iiſque nimio dediti; ex alia vero & delictorum conſcientia preſſi, & aliqua eruditione

præ-

prædíti; quidquid doctrinæ, atque ingenii in ipſis eſt, eo dirigunt, ut ſpecioſa ſibi cudant argumenta, quibus & Numinis, & religionis veritatem convellant, omniaque ad religionem ſpectantia in dubium revocent, ut timore tandem, atque conſcientiæ ſtimulis depulſis, aut parumper ſaltem obtuſis, licentius vivant ſenſuum oblectamentis deliniti, atque irretiti.

732. Inter duas haſce hominum claſſes ſcioli quidem, atque pſeudo-critici ſunt, ii vero quamplurimi, qui rudi, indoctoque vulgo, neque doctorum ordini annumerari digni, litterariæ reipublicæ blaterones, de ſeſe magnifice ſentientes, quaſi lapſi de cælo Catones, miro verum a falſis, dubia ab indubiis diſcernendi, judicandi, dubitandi, affirmandi criterio ſeſe præditos jactitant. Hos cum audias, litterarios circulatores ſingulari dementiæ ſpecie imbecilles audire exiſtima.

733. Ejus igitur ſolummodo eſt dubitandi ſcientia, qui certa omnia, ſive rationis, ſive ſenſuum, ſive morali evidentia conſtent, ab incertis diſtinguere novit, eaque in dubium non revocat, ſed & dubitandi rationes, atque argumenta perpendere, & ſuum quibuſque pondus tribuere novit. Neque igitur de quamplurimis dubitare ſcientia dubitandi eſt, neque fidem adhibere ſcientia credendi: ſed ita dubitare, atque ita credere, ut & dubitandi, & credendi vera afferatur ratio: quod quidem qualem in homine rerum eruditionem, ingenium, ſcientiam requirat, nullo negotio edoceberis, ſi vel perfunctorie, atque per ſumma capita, vaſtiſſimas, & fere immenſas humanarum cognitionum provincias percurramus.

§. VII.

Methodus, & Regulæ diſcendi, ſeu ſtudendi.

734. Quæ etiam hoc capite explicanda, circa diſcendi methodum proponimus, ad Logicam proculdubio ſpectant, cujus eſt mentem ad ſcientiam rerumque veritatem comparandam convenientibus

regulis dirigere, quibus inſiſtendo non modo errores devitet, ſed facilior etiam, ac expeditior reddatur ad veritatem aſſequendam via. Per ſcientias, atque artes omnes libero homine dignas deſcendere poſſemus; in longum tamen res abiret, quod propoſiti nobis operis fines non patiuntur: generales tantummodo regulas, quæ ubique locum habent, & quamcumque ſcientiam tibi ſtatuas ediſcendam, dux tibi eſſe poterunt, atque ad peculiare quodlibet ſtudium facile applicantur, impræſentiarum dabimus. Noſtra in argumento quocunque, arte, ſcientia inſtitutio vel magiſtro tradente, vel ſtudio, ductu, laboreque noſtro peragitur: priorem, quæ docendi methodus eſt, ſtatim exponemus: poſterior ſequentibus potiſſimum regulis tentanda eſt. Quanti autem interſit optimis regulis, rectiſque ſemper viis litterariam provinciam & ſcientiarum ſtudia aggredi, ii maxime intelligunt, qui hiſce præſidiis deſtituti ſine duce, ſine lumine magnis alias animis ſeſe pelago committunt, nulloque librorum delectu, nulla methodo, nullo certo ordine rem aggrediuntur. Id plerumque accidit, ut præter magnam rerum idearumque confuſionem, id unum improbo ſtudio obtineamus, ignorantiam.

Regula I.

735. *Is ſtudiorum habeatur delectus, quæ genio, ætati, capacitati conveniant, atque conformia exiſtant.*

Tria in hac regula comprehendimus, quæ in unum recidere poſſunt, & per ſeſe manifeſta apparent. Omnia fere, quæ genio, hoc eſt, natura duce aggredimur, feliciter aſſequimur; contra vero, quod reluctante natura, genioque contrario, & invita, ut dicitur, minerva aggredimur, vix ad felicem perducitur finem: ad prima ſcilicet ſtudia continuos ſemper ſtimulos addit natura, immo & ipſa mentem animumque ad ulteriora ſemper excitat, & ſtimulus exiſtit: a poſterioribus ſemper retrahit, & perpetuum impedimentum opponit,

quod

quod quidem ad tempus quodam, atque per intervalla ſuperare poſſumus ratione, penitus debellare atque infringere tum ſolum poterimus, cum mortalem ipſam naturam in corporis temperie poſitam deponemus. Sunt quidem homines ad omnia fere ſcientiarum ſtudia, & eruditionis partes natura ipſa proni: ad omnia pariter apti eadem animi contentione, & ardore quamcumque diſciplinam adoriuntur: rarum tamen id eſt inter homines phænomenum. Malebranchius metaphyſicis meditationibus a natura comparatus, a poeſeos ornamentis, atque amœnitate genio alienus, oleum & operam in poeticis rebus colendis perderet: quod vero huic regulæ ſemper inſtiterit, inter optimos metaphyſicæ ſcriptores merito numeratur. Quid naturæ genio hiſce in rebus fieri, quid impediri poſſit, exemplo, & argumento eſſe poſſunt doctus *Stone*, *Paſchal*, & alii.

736. Quæ ab oppoſito uſu, & datæ regulæ infractione profluant, & conſequantur mala, quotidiana experientia docet: in juvenili enim ætate ea ut plurimum capeſſimus ſtudia, illas diſciplinas, ſcientias, artes, vitæ conditionem eligimus, ad quæ non genio, naturaque noſtra impellimur, ſed parentum præceptis adducimur: parentum, familiæ, ſanguinis, utilitatis potius, quam naturalis indolis habetur ratio: illa conſuluntur, iis plerumque ducimur, apti ineptive ad datum nobis ſtudium a natura habeamur. Quot quotidie hominum millia alendæ vitæ gratia, fortunas, nomen, honores adipiſcendi cauſſa militiæ adſcribuntur, eodem animo, atque virtute præditi, quæ *Iacobo* ſexto Anglorum Regi hiſtoriographi unanimi conſenſu tribuunt? dum pueritia, primamque infantiam non excedimus, mala hæc ſtudiorum, munerum, atque profeſſionum electio parentum vitio, ignorantiæ, affectibus tribuenda eſt: quod quidem deplorare, inanibuſque votis proſequi licet, tollere vero, atque penitus emendare ſperandum non eſt. Probitatis id, ſcientiæ, conſilii, mentis animique a ſanguinis, & familiæ præjudiciis liberi opus, atque effectus eſſet: qui vero hæc de communi parentum conditione

ſperari poſſunt? quod ſi puerilibus jam annis tranſactis, arbitrio conſilioque noſtro quædam nobis capeſſenda ſtudia ſtatuimus, certamque vitæ rationem eligimus; quidquid a naturæ noſtræ genio diſcedimus, vitio noſtro committitur.

Regula II.

In iis, quæ pueri ediſcimus, ea primo nobis proponantur, quæ ſenſu, deinde quæ phantaſia percipiuntur, poſtea quæ ad ingenium, memoriam, intellectum, judicia pertinent.

737. Hoc igitur ordine ſeſe explicat humana percipiendi facultas, quæ a ſenſu incipiens, generaliori, atque imperfectiori etiam cognoſcendi modo, ad perfectiores alios intelligendi modos fluentibus annis paullatim pervenit. Senſu quidem a materno utero agimur, eoque uno primis vitæ annis percipimus: parum a ſenſu diſtat phantaſia, ab illo hæc tamquam a principio, & fonte profluit: circa ſenſibilia etiam, perfectiori tamen modo verſatur: ea propter quæ ſenſu prius accepimus, phantaſia, ſeu imaginatione exinde concipimus. Imaginationi ſuccedit ingenium, ſubtilior alius, ſublimiorque percipiendi modus, quo non tantum materialia præſentia, aut abſentia, ut ſenſus & phantaſia, ſed materialium etiam atque aliarum rerum connexiones non materiales percipimus. Iis exinde cum rerum tum idearum memoriam, intellectionem, judicium, ſeu prudentiam tempore, uſu, comparatione, organorum explicatione ſuccedere, quotidiana, communique obſervatione animadvertimus. Rei cauſſam in phyſica viventium tradimus: veritatem hic ſuppoſuiſſe ſatis eſt, ut regulæ etiam veritas appareat. Cum ea ſolum diſcere, doceri, & nobis tradi oporteat, quibus percipiendis apti jam exiſtimus; ſi ad decem uſque, & amplius annos ſenſu tantummodo, & imaginatione valemus, neque niſi interruptas ſeſe explicantis ingenii ſcintillas edimus; irritus plane labor eſſet, ea ætate ad alia nos ſtudia ducere, quæ maturum inge-

ingenium, judicium, & intellectionem requirunt, metaphyſicam v. g. ſublimes religionis veritates, moralem, ſcientias omnes abſtractas, ſcientiarum & veritatum alias ſenſibilium cauſas, atque rationem proponere. Nihil horum plane intelligimus; ut periculo poſtea, reflexione, ac comparatione factis, cum eadem maturioribus annis relegimus, plane comperimus. Senſibilia igitur, ut Geographiam, & ſimilia alia ſolius ſenſus, atque imaginationis objecta ediſcamus; quæcumque etiam nobis ea ætate ad ſtudendum proponantur, iis ſemper ſenſibilibus coloribus, atque imaginibus depingantur, quæ ſenſus atque phantaſiæ propria ſunt. A ſublimioribus, & abſtractis veritatibus, longioribus demonſtrationibus abſtineamus.

Regula III.

738. *Ea potius nobis ſtudia eligamus, quæ non ſolum genio, ſed ſtatui etiam munerique noſtro magis conveniunt, atque magis neceſſaria ſunt; aliaque omnia præ illis prætermittamus.*

Regulam ipſummet rationis lumen demonſtrat: ridiculum plane eſſet, hominem religionis ſtudio munere & profeſſione deditum, militaribus potius rebus, & arti, ſacrarum rerum eruditione & ſtudio prætermiſſis, operam dare: Annibalem in mediis caſtris armorumque tumultu theologum agere & ſacrorum ritus militaribus rebus præponere. Locum hic, ſicubi alias, habere debet vulgare illud, *hæc oportet facere, illa non omittere: age, quod agis.* Porro quamcumque diſciplinam ediſcas, a facilioribus ſemper, atque ſimplicioribus incipiendum eſſe, univerſale, & notiſſimum methodi præceptum eſt, ſuperius jam expoſitum, quod hoc loco ulterius proſequi ſuperflueret.

Regula IV.

739. *Studia noſtra ordine proſequi ; neque pluribus ſimul operam dare.*

Ordinis nomine hæc impræſentiarum intelligo, *primum*, ordinem argumenti, ut prius iis, quæ ſequentium fundamentum eſſet debent, operam navemus, illaque rite ediſcamus, quam ad cetera a primis dependentia properemus: ut ſi Aſtronomiam aggrediaris, quin prius Geometriam ediſcas : ita neque hiſtoriæ, neque politicarum rerum ſtudio incumbamus, antequam in Geographia atque Chronologia inſtruamur. *Secundum*, tempus, rerumque diſtinctionem, ut ſuo quæque tempore diſtinguamus, neque plura ſimul eodem tempore ediſcamus. Aliter enim cum mentis, animique attentionem ad plurima dividamus, præter rerum, idearumque confuſionem, quæ inde oriatur neceſſe eſt, animo & mente ad plura diſtractis, neutrum ſatis intelligere, meditari, memoriæ tenaciter, profundeque defigere poſſumus. Regula aliquas pati poteſt exceptiones, prout varia ſunt hominum ingenia: ab illa in primis excluſum eſſe volo illarum rerum ſtudium, quæ animi ſublevandi, oblectamenti, atque amœnæ eruditionis comparandæ gratia, ſubceſſivis horis, cum levamine, atque mentis diſtractione opus eſt, legi poſſunt : earumque lectione, atque meditatione profundiorem aliarum rerum meditationem, & majorem, quæ ad illas requiritur, mentis contentionem parumper interrumpere.

Regula V.

740. *Rerum, quibus ſtudendis incumbimus, ideas meditando & componendo claras, atque adæquatas nobis efficiamus, eaſque rite jam & clare perceptas memoriæ infigere adnitamur.*

Niſi hanc regulam exacte atque accurate obſer-
ve-

vemus, hæc nobis neceſſario provenient incommoda. 1°. Eam, quam ediſcimus, diſciplinam penitus nunquam intelligemus; cum rerum ideas perfunctorie tantum confuſe, & ex parte inſpiciamus. 2°. Neque propoſitæ diſciplinæ veritatem diſcernemus: id ſcilicet ab idearum claritate pendet. 3°. Rem etiam utcumque perceptam memoria non retinebimus: confuſa ſolummodo rerum veſtigia facile obliteranda poſt aliquid temporis remanebunt. Dixi, *meditando*, atque *comparando*, propterea quod optima hæc ſit ad idearum claritatem obtinendam ratio: meditatione ideam medullitus introſpicimus, comparatione eam ad alia referimus, in quo illa inter ſe conveniant, quonam etiam differant, diſcernimus; quibus duobus idearum claritas, atque diſtinctio obtinetur.

Regula VI.

741. *Librum, argumentum, tractatum, neque interrupte, neque animo aliis curis diſtracto legere.*

Qui hoc ſecundo modo legit, tempus inutiliter inſumit: proficuum ſtudium, aut lectio, ſeu potius ſtudii, atque lectionis fructus attentionis, atque meditationis opus eſt, atque effectus: quæ legimus attendendo percipimus, meditando penitius enucleamus; & memoriæ committimus. Manifeſtam hujuſce veritatis experientiam, atque demonſtrationem habemus, cum animo affectuum, paſſionumque tumultu agitato ſtudium aliquod aggredimur, ediſcere, meditari, commentari, ſcribere admitimur, ex quo illud Poetæ, *Carmina ſeceſſum ſcribentis, & otia quærunt*. Quod ſi librum de uno eodemque argumento agentem, quod rite ediſcere velis, ita legendum, atque ediſcendum tibi proponas, ut tamen lectionem aliarum etiam rerum ſtudiis interrumpas, quæ & gravis momenti ſint, & oblectamenti, atque ſublevandi animi gratia ſubceſſivis horis non peragantur; tum vero totam mentis attentionem ad plura ſimul diſtrahis, quæ pro diſtra-

diſtractionis ratione in ſingulis ſemper decreſcit ; decreſcendo ſtudiorum noſtrorum fructus eadem ratione minuuntur. Variæ ejuſdem argumenti ideæ ſeſe mutuo ſuſtinent, & naturalis connexionis vinculo catenantur : a ſe invicem ſæpe dependent ; priores ſequentium fundamenta exiſtunt, poſteriores vero prioribus novam afferunt lucem, eas amplius illuſtrant, confirmant, atque ſuffulciunt. Hujuſmodi idearum ſeriem atque catenam aliis, & aliis rerum ideis, ac idearum ordinibus interrumpere, obliterare eſt, aut magna ſaltem ex parte expungere.

Regula VII.

742. *Non longa adeo, atque continua lectione mentem, memoriamque fatigare, ut illas rerum ubertate obruas, atque confundas; lectionem meditatione ſæpiſſime interrumpere, ut quæ curſim legimus, & percepimus, meditando, atque ruminando melius intelligamus, diſtinguamus, digeramus, & memoria retineamus.*

Plurimi ſunt, qui ægre a librorum lectione avelli poſſunt, moleſteque ferunt, ſi a legendo avocentur, aut diſturbentur : quorum numero me etiam comprehendi fateor. Qui ea legendi aviditate, atque ſtimulanti fame agimur, propriomet periculo edocemur, eo ſæpiſſime longa lectione nos pervenire, ut mentis tandem, atque ingenii vires langueſcant, obtundantur, non ſatis jam, quæ legimus, percipiamus, aut memoriæ mandemus : bis, terve lectam jam periodum relegamus, & inde in quamdam nos ulterioris lectionis nauſeam, atque faſtidium ſenſim devenire animadvertimus, ut ſua ſtomacho cibos, menti, ingenio, memoriæ pariter eſt res ideaſque capiendi, atque digerendi facultas: utrumque nimia rerum copia ita opplentur, atque obruuntur, ut quæque ulterius iis committas, quin ad alia prius digerenda opportunum tempus interfluere permittas, in damnum potius vertantur tuum, quam beneficio eſſe poſſint. Quod igi-

igitur circa cibum, & potum nobis præſcribit ſervandæ valetudinis cura, ut pluribus, quam par eſt, ſtomachum non impleamus, de librorum etiam lectione intelligendum pariter eſt. Non modo inter legendum paullulum ſubinde ſiſtendum nobis, ut lectas ſententias attentius meditemur, verum etiam, quod aliud caput eſt, poſt continuam aliquot horarum lectionem intermittendum parumper eſt ejuſdem argumenti ſtudium; & aut feriari aliquantulum mentem permittamus inutilibus tantum, parvique momenti rebus diſtractam, aut lectarum rerum meditatione occupari. Ita fit, ut & novæ ad ulteriorem lectionem comparentur vires, novuſque famis innaſcatur appetitus, & quæ jam legendo memoriæ utcumque mandavimus, meditando & penitius intelligantur, & tenacius retineantur.

Regula VIII.

743. *Lectioni, atque meditationi ſcripturam adhibe; ſeu poſt lectionem, atque meditationem ad calamum venire oportet: triaque hæc, legere, meditari, ſcribere ſint fere ſemper individui comites, & ſeſe mutuo excipiant, ac ſequantur.*

Id vero non perinde intelligas, quaſi omnia a nobis lecta, atque meditata chartæ iterum committere oporteat: ea ſane ratione, & lentiſſimo paſſu in ſcientiarum comparatione incederemus, & infinita fere inutilia, libroſque integros perperam maxima, atque irreparabili temporis jactura citra ullum omnino proventum tranſcriberemus. Præcipua rerum capita, quæ legimus, quæ a memoria excidere moleſte ferremus, calamo committamus, iis ſparſim annotationibus adjunctis, quibus argumentum & illuſtremus, & in noſtrum uſum, atque inſtructionem convertamus: cetera omnia, quæ nil niſi vulgare, atque loca communia, facile aliunde habenda, aut a nobiſmet ipſis ſupplenda continent, immo & quæ parvi momenti ſunt, aut ad rem noſtram minime faciunt, poſtquam attenta men-

mente legimus, atque meditati ſumus, memoriæ retinenda relinquamus. Porro ſcribendi, atque plurima obiter annotandi utilitas, atque neceſſitas, præterquam quod quotidiana omnium experientia luculentiſſime probetur, ex hiſce potiſſimum conficitur: 1°. quæ annotamus, cum ſcribendo cogitemus, diuturnius meditamur, atque idcirco profundius memoriæ infigimus: 2°. deſcripta capita ſæpe reviſimus, unde obliteratæ memoriæ veſtigia iterum excitantur: 3°. Quodcumque ita obiter annotamus, ita prius mente volvimus, ut ad noſtrum cogitandi modum accomodemus, & familiare nobis efficiamus; at quæ hac ratione memoriæ mandamus in frugem jam noſtram redacta, longe facilius recordamur.

Regula IX.

744. *Quæ legimus, meditamur, annotamus, ſubinde aut taciti, atque cogitabundi recenſeamus, aut cum homine nobis amico, ſtudiorum ſocio, aut earum rerum erudito conferamus: de iiſdem ſæpe loquamur, & urbana comique diſputatione tractemus.*

Poſtremam hanc earum regularum, quas ad diſcendum, & ſtudendum utiliores eſſe exiſtimavi, eoque de capite impræſentiarum propoſui, magnopere commendo: mirum eſt, quantum ab ejus regulæ obſervatione capiatur fructus: mirum etiam, qualem rerum, idearum, eruditionis, ſcientiæ jacturam quotidie faciamus, aſſiduumque, atque improbum ſtudendi laborem ob nullum de iiſdem iterum loquendi uſum amittamus. Quidquid ſcimus, & in Republica litteraria valemus, memoriæ in primis debemus: ea tantummodo ſcimus, quorum ideas habemus, hoc eſt, quorum recordamur: ideas in mente noſtra ſi quis expungeret, nos ad primum vitæ diem, ac perfectiſſimam ignorantiam adduceret. Maxime igitur intereſſe memoriam colere, perficere, operam dare, ut quæ ſemel didicimus, fideliter retineantur, nemo inficiabitur. Memo-

moriæ hic ego colendæ, atque perficiendæ rationem (ſi qua eſt attentione digna) non attingo; propterea quod parum iis, quæ circa hujuſmodi argumentum ab auctoribus paſſim tradita leges, fidem adhibeo: ſcio quidem quamplurima eſſe, quæ memoriam juvant, augent, confirmant, debilitant, deſtruunt: veriſſima ſunt omnia, quamdiu generalibus inſiſtimus, cum tamen ad ſingularia remedia, & remedia applicandi rationem devenimus, vix eſt, quod clare in obſcuriſſimo hoc argumento videam.

Indubium tamen eſt, familiarem de re quacumque confabulationem ſuave quoddam, atque amœnum ſtudendi, lectionis, atque ſcholæ genus eſſe, unde plus ſæpe utilitatis intra horæ ſpatium referes, quam ab improbo ſtudio, quod ſolus intra cameram per integrum diem proſequaris. Confabulando ſcilicet, atque eruditum ſermonem intertexendo, præter amœnam illam rerum, atque idearum varietatem, qua familiarem dialogum exornamus, ſua quiſque lumina alii aliis impertiunt: quæ mihi legenti obſcura videbantur, eleganti, atque amœna alterius expoſitione fiunt evidentia: quin omnes mentis vires contendam, atque ad rem, quam ſeorſim lego, penitus intelligendam magnopere adnitar, nitida eruditi amici confabulatio ad intimam totius rei cognitionem me genio indulgentem deducit. Atque primus hic eſt, quem ab erudita æque atque amœna amicorum converſatione capimus fructum, quo ad eruditionem, & ſcientiam magna ſaltem ex parte levatur difficultas, & complanatur via. Præterea vero, quæ jam alias didici, atque memoriæ utcumque mandavi, poſt breve tempus paullatim eſſent obliteranda, niſi nova earundem rerum lectio, aut meditatio repetatur, de eodem argumento familiariter confabulando iterum refricentur, excitentur, & altius in memoria confirmentur: eoque pacto citra novam mentis attentionem, ſtudendi laborem, atque temporis jacturam, quas olim memoriæ tamquam theſauro condidimus divitias, loquendo, & converſando ſervamus. Hæc tamen ego ita intelligi, aut peragi velim, ut citra animorum contentio-

nem,

nem, partium ſtudium, & ſcholarum pulverem omnino fiant.

§. VIII.

745. *Methodus, atque regulæ docendi, & diſputandi.*

Methodum, regulaſque expoſuimus, quibus proprio quiſque ingenio in ſtudiorum ſuorum itinere dirigatur; illæ ſuperſunt hoc logicæ noſtræ capite tradendæ, quæ docentem, atque diſputantem ſpectant. Primo autem, quod docendi uſum, methodumque pertinet, omnia illa in primis hic intelligi, ac obſervari opus eſt, quæ ſuperius de methodo generaliter diximus: quæ cum omni ſtudio, & doctrinæ communia ſint, ſpecialius tamen ad docendi munus referuntur; ut ex re ipſa patet: primum ergo ſibi regulam proponat, qui docendi munus aſſumit, ut utramque methodum, analyſim, & ſintheſim, earum uſum, præcepta, & diſcrimen obſervandum ſtatuat. De cetero autem in docente & mentem, & animum, ſeu doctrinam, atque voluntatem conſideramus. Quod mentem doctrinamque ſpectat præter plurimas alias, hæ in primis ſtatuendæ, ac obſervandæ eſſent regulæ.

Regula I.

746. *Nullam ad docendum tibi aſſumere, atque ſtatuere diſciplinam, quam, priuſquam alios docere incipias, penitus non calleas.*

Quemnam doctorum numerum hæc una regula ab quæſtuoſo docendi munere, atque honore non dejiceret, ſi omnia ſecundum æqui juſtique leges exigerentur? Niſi rem ſedulo rumines, longoque ſtudio, atque examine recte concipias, male poſtmodum alios docendo parturies. Te ipſum prius doceas oportet, quam alios docendos aſſumas; alias doctoris perſonam agens, canutus tamen tiro, atque diſcipulus audies, modicoque gradu auditores cete-

ceteros præcedes. Primæ hujus regulæ conſequentia eſt, ut non modo illam, quam alios doces, diſciplinam v. g. alicujus nationis hiſtoriam, calleas; verum illa præterea omnia non ignores, a quibus ipſa dependet, & quæ veluti elementa, atque principia ſupponuntur: hujuſmodi in dato exemplo erunt Geographia tum univerſalis, tum particularis, chronologia temporum, phyſica regionis natura, atque hiſtoria naturalis. 2°. Neque illa etiam prætermittas, quæ cum eadem diſciplina conjuncta ſemper ſunt, illiuſque pars aut conſequentia neceſſaria exiſtunt: alios igitur hiſtoriam docens, ut eidem exemplo inſiſtamus, quænam gentis religio, quinam pro diverſis temporibus mores, commercia, ad alias nationes relatio, quid tandem inter eam gentem alioſque populos vicinos, aut remotos ſingulis temporibus interfuerit. Niſi hæc probe agnoſcas; quantumlibet in ſchola auditorum corona circumdatus garrias, blattero potius, quam doctor haberis. Neque enim citra hæc diſciplinæ fundamenta, atque neceſſaria elementa, aut intelligi illa poteſt, aut aliis exponi. Facile inde conjicies, qualem a ſchola fructum, atque exantlati laboris præmium reportabis, ſi eum illic philoſophiæ profeſſorem audias, qui neque mathematicis diſciplinis inſtructus, neque in hiſtoria naturali verſatus, docendi tamen munus ſibi aſſumpſit. Quinam, & quanti hac regulæ conſequentia in omni natione, loco, tempore, ordine perſtringuntur.

Regula II.

747. *Hiſtoriam etiam litterariam, ejus ſaltem diſciplinæ, quam profitetur, non ignoret doctor, qui ruſticus, atque incultus haberi non amat, eaſque multoties antiquatas opiniones, & errores tenere, quas nullus in litteraria hiſtoria eruditus non rejicit.*

Magni enim vero non modo ad eruditionem, humanæque mentis culturam atque ornamentum comparandum, ſed ad rei ipſius intelligentiam intereſt, quinam hactenus fuerit datæ facultatis viciſſitudo, quibus illa originem, progreſſum, perfectionem

ctionem debeat, qui in illa præ ceteris facem prætulerint, quonam ſtudio, conatu, atque felici, infelicive eventu promota res fuerit, veritas tandem aut omnino deprehenſa, aut validioribus argumentis confirmata; uno verbo, quinam circa datam diſciplinam hactenus fuerit humanæ mentis progreſſus, quinam cogitandi modus, hominum errores, inventa, & quonam tandem ſtatu res ſit, agnoſcere. Præterea enim quod hæc & alia hujuſmodi ignorare, incultam ſapiat mentem, plurima ſecum etiam adducit incommoda: antiqua ſæpe præjudicia, atque errores tenaciter eo tantum de capite propugnantur, quod litteraria hiſtoria & recentiora experimenta, obſervationes, inventa ignorentur. Rem ego non attingo, quam paſſim non animadvertamus; In tanto ſcientiarum, & artium lumine, librorum numero, atque commercio, quibus noſtro hoc ſæculo fruimur, quot in remotioribus Luſitaniæ, reliquæ Hiſpaniæ, Germaniæ, Italiæ, Galliæ etiam & Angliæ angulis ſcientiarum, & artium profeſſores invenies, qui & ob librorum penuriam, & litterariæ hiſtoriæ ignorantiam antiquata adhuc veterum opinamenta, & errores circa res phyſicas, qualitates, formas ſubſtantiales, milleque alias veterum cantilenas propugnent? Juvat etiam, quonam ſtatu res ſit, quid hactenus inventum, quonam jam ſit perventum, agnoſcere, ut inde nos quærendi initium faciamus, quo anteceſſorum induſtria, atque labor pervenit, & deſiit.

Regula III.

748. *Neceſſariis, atque utilibus quæſtionibus, problematibus, veritatibus, quæ ad uſum ſpectant, tradendis, explicandis, promovendis inſiſtere, totumque in iis eſſe: inutilia omnia reſecare, a rebus poſſibilibus indagandis fere ſemper abſtinere, quæ ad uſum, humanæque vitæ beneficium ſpectant, præ theoreticis, & abſtractis veritatibus non omittere.*

Regulæ neceſſitatem, atque utilitatem ſuperius in re ſimili demonſtravimus. Cum in memoriam revoco, quas olim peripateticas ineptias, quaſnam de

de *poſſibilibus*, de *ente rationis*, *formalitatibus*, *qualitatibus occultis*, milleque aliis chymæris quæſtiones in ſchola audiverim, quod in iis ediſcendis, differendis, menteque illis confundenda tempus male collocaverim; fieri non poteſt, quin una cum longi temporis jactura, oleum, & operam perdita, & noxia præjudicia in ſcholis hauſta doleam. Ad ingenium, inquiunt, acuendum, mentiſque aciem ſubtilium, atque abſtractarum rerum meditatione expediendam, maxime illa inſerviunt. Apage tamen canutam jam ignorantiæ cantilenam: quaſi nihil eſſet in phyſica, geometria, reliquiſque diſciplinis, quod & magnum ingenii acumen requireret & ad ingenium etiam oſtentandum, aut, ſi mavis, explicandum, & inſimul ad communem uſum non inſerviret. Suas illi quærant a poſſibilium, impoſſibilium, & chymærarum regno acuendis ingeniis cotes: iis ſeſe exerceant, & glorientur: mihi ego ſemper velim ex hac rerum univerſitate utilem proponi quæſtionem, a cujus ſolutione aut aliquod effluat beneficium, aut veritas ſaltem aliqua cognoſcatur.

Regula IV.

749. *Ita rerum novitatem amet, ut eo tamen nomine delinitus, novis non unice delectetur, & antiqua deſpiciat; neque ita ſit opinionum vetuſtati addictus, ut quæ poſtremis hiſce ſæculis inventa ſunt, quod canuta non ſint, deſpiciat.*

Uno verbo, & antiqua, & nova legat, attento, æquoque animo meditetur, parum interim ſollicitus a barbato Græco, aut Romano, an a recentiori ingenio inventa fuerint. Veritatem amemus, quocumque tandem nomine, loco, ætate in ſcænam prodierit. Omnia antiqua fuerunt ſuo quæque tempore recentia, & nova; erunt etiam vetera, quæ modo in lucem prodeunt: neque vetuſtatis, neque novitatis inſignia veritatis character exiſtunt. Quidquid humanum eſt, una ſecum affert imperfectionis principium, atque fallaciam; quam & accuratum examen, & diuturnioris temporis experientia

demonſtrant. Qui igitur recte cogitat, & prudenter agit, veritatem unice amat, & vetera, & nova ad examen revocat, ab eaque parte veritatem ſtare pronuntiat, unde lancem rationum momenta deprimunt. Scientiæ atque artes fere omnes, ut humanæ res, atque conditio ferunt, ab imperfectiſſimis principiis ſenſim ad majorem perfectionem promoventur, cum a cultis nationibus tractantur: plurima enim caſus, multa major hominum diligentia, commodiora inſtrumenta, experimenta, commercium, divitiæ docuerunt, quæ antiquioribus temporibus penitus ignorabantur: id quod artibus fere omnibus hac noſtra ætate accidiſſe animadvertimus. Incultum igitur, iterum dicam, atque ruſticum ſeſe oſtenderet; noxiis præjudiciis præventum, ſummiſque partium ſtudiis actum, ne dicam humanæ conditionis, & rerum viciſſitudinis ignarum, qui recentiores opiniones, inventa, ſyſtemata, eo quod nova ſint, & a Græcia per Africam ad occidentalem Europam non pervenerint, elato ſupercilio deſpiciat. Id fere eſt commune omnibus hominibus malum & vanitatis argumentum, ut, quæ ab advenis, externis nationibus, atque remotis regionibus ad nos adducuntur, iis longe præferamus, quæ domeſtica ſunt, patrioque ſolo proveniunt, aut a gente noſtra fiunt: perinde vero, ut externa hæc naturæ aut artium effecta, humani etiam ingenii inventa tractamus; eadem utriuſque rei cauſſa eſt. Paribus ſimiliter præjudiis aguntur, qui vetera omnia faſtidiunt, nilque niſi novum eorum palato probatur: homines ſumus tum antiqui tum recentiores: iiſdem illi paſſionibus, affectibus, atque nos, ducebantur; eadem ſemper in humana ſpecie, ingeniorum vis, atque mentis capacitas.

Regula V.

750. ***Ita deinde a partium ſtudiis, atque loci, temporis, ordinis, præjudiciis liberum ſeſe oſtendat, ut philoſophum reapſe eſſe, & nil niſi veritatem amare, appareat.***

Regulam hic eam tradimus mille difficultatibus im-

implexam, quam a communi profeſſorum vulgo obſervandam eſſe ſperandum non eſt: nos ſcilicet, & noſtra, & quæ ad nos quomodocumque ſpectant, maxime amamus, vera eſſe, aut apparere volumus. Sed ad veritatem tendenti, eam profitenti, atque alios docenti, id maxime incumbit, ut ſeſe verum *coſmopolitam* ſpectet, alterius ordinis, nationis, loci, ætatis hominem eſſe parumper fingat, & ſecum ipſe cogitet; quæ ſua ſunt, aut ad ſeſe aliquo tandem modo pertinent, tamquam aliena externi, hoſtiliſque gentis ſupponat: qualis tum vero de iis ſententia proferenda ſit, apparebit. Quod de præjudiciis dicimus, de partium etiam ſtudio dictum intellige: cum in præjudiciorum numero etiam recenſeatur. Ut ut omnibus plane hominibus commune malum ſit, plurimum præjudiciis, partiumque ſtudiis agi; ea tamen labe, atque furore ii vehementius inficiuntur doctores, atque profeſſores, qui theologos agunt, & quæ ad religionem attinent, pertractant. Maximi ſcilicet momenti res agitur, qua & incaleſcere, & excandeſcere animos, amplamque fanatiſmo, & enthuſiaſmo viam aperiri facile eſt; quo nil magis mentem animumque turbat, atque ab æquilibrio removet.

Regula VI.

751. *Nulli plane rerum ſyſtemati ſit ita addictus, ut ſentiendi libertatem non habeat: opinandi & decidendi libertatem amet, Eclecticus, liberque ſemper exiſtat.*

Nihil errorem æque fovet, & confirmat, ſcientiarum progreſſum, atque promotionem impedit, atque veritatis inventioni magis opponitur, quam fatalis illa neceſſitas, atque coactio, qua maxima doctorum pars certis ſcholarum ſyſtematibus, ordinum præceptis, ſectarum principiis addicti, nullam ad ea, quæ ſentiunt, palam profitendum libertatem habent. Quonam pacto ab iis hominibus ſcientiam promoveri ſperabis, qui cuidam ſyſtemati, doctoris opinioni, ordinis legi & doctrinæ tamquam ſaxo adhæreſcunt, quaſi pecudum grex poſt eam, quæ

 tin-

tintinabulo alias ducit, ſequuntur, neque a trita aliorum via recedere per leges poſſunt, quantumvis longe aliter ipſi de rebus ſentiant, atque ſentire dicunt? Id plerumque accidit, ut quandoquidem nulla eſt diverſa ſentiendi, atque loquendi libertas, prætermiſſo rerum, opinionum, & dogmatum examine, ea mordicus, & tenaciſſime propugnentur, quæ, ſi libere examinari daretur, tamquam falſa rejicienda forent. Violentæ hujuſmodi idearum, atque opinionum tyrannidi, quæ in quamplurimis hominum ordinibus, ſectis, ſcholis, religionibus, nationibus viget, referri magna ex parte debet, quod plura fluxerint ſæcula, quin vel latum unguem promoverentur ſcientiæ, perficerentur artes, problemata humanæ ſocietati utiliſſima ſolverentur: Intra anguſtos cancellos volutari, atque contineri opus eſt; celebrem aliquem ejuſdem ordinis hominem ſuſpiciunt, ejus opiniones ſibi eſſe ſtatuunt ſacras; eæ quotidie pro roſtris propugnandæ ſunt; in hominis verba, aut ſenſum juratur, & eadem ſemper crambes concoquitur. Ita illuſtria alioquin tot adoleſcentium ingenia, qui eidem ordini in dies adſcribuntur, intercluſa ſibi ad volandum via, marceſcunt. Hos ego hominum cætus tamquam tyrannicas humanarum mentium Reſpublicas exiſtimo, a quibus nihil boni res litteraria ſperare poteſt. Contra vero ex quo litteratorum Reſpublica ſeſe in libertatem aſſeruit, excuſſo auctoritatis jugo, cogitandi, ſentiendi, ſenſuſque noſtros loquendi liberam facultatem adepti ſunt, quid ſcientiis & artibus acceſſerit, quantum eæ fuerint promotæ, quænam utilia inventa, quæ ſoluta problemata, ii tantum non vident, qui ſunt in rebus littetariis peregrini. Hæc eadem cauſſa eſt, cur in Eclecticam philoſophiam paullatim homines declinent, eamque unam philoſophandi methodum probent. Fuerint ſane ii, qui principes in ſectis audiunt, præclari aliqua in ſcientia homines; ingenii acumine, atque profunditate claruerint: ſeſquipedalibus ii nominibus *doctiſſimus*, *eruditiſſimus*, *ingenioſiſſimus*, *profundiſſimus*, aliiſque pulcris, & gratis mendaciis commendentur: homines tamen

fue-

fuerunt, hoc eſt, animalia cogitantia quidem, ignorantiſſima tamen, innumeris erroribus, præjudiciis præditi, omnibus humanis paſſionibus, & affectibus ſubjecti: perinde ut hominum ceteri, præclara illa ingenia dormiebant, iræ, invidiæ, milleque aliis ejuſdem farinæ perfectionibus, quibus homines, quoad vivimus, inviti ornamur, etiam ii premebantur. Quæ igitur ab hujus naturæ oraculis tradita ſunt, ita accipiamus, ut non niſi poſt liberum, accuratumque examen probemus.

Regula VII.

715. *Modeſtia inprimis citra veritatis periculum in propriis ſententiis ſuadendis, contrariiſque opinionibus rejiciendis eluceat, nihil in verbis, atque ſenſu aſperum, inurbanum, quod humanitatem, morumque ſuavitatem non ſapiat.*

A Magiſtri mente, & doctrina ad animum, agendique rationem gradum facimus, quod alterum eſt in ſcientiarum profeſſoribus, atque ſcriptoribus maxime neceſſarium. Porro quanti in litterato homine, qui alios voce, aut ſcripto docet, modeſtia urbana, atque humana agendi ratio facienda ſit, ii facile intelligent, qui noſtram hominum conditionem, atque indolem philoſophico more meditentur, eorumque libros legant atra bili, mordacique, & amaro atramento conſperſos, qui e Cynicorum officinis prodiiſſe videntur. Nulla plane ratione homines, quibuſcum agimus, magis demereberis, tibi addices, atque ad tui amorem, ſententiæque tuæ probationem adduces, quam ſi eos humanitus, & urbane tractes, ſuavibuſque verbis ad humanitatem compoſitis ſemper excipias. Contra vero nihil eſt, quod magis hominum mentem, atque animum a nobis, noſtriſque probandis abalienet, eoſque aut in amicitia erga nos tepeſcere, aut inimicos efficiat, atque in animi averſione confirmet, quam ſi eos inurbane, & mordicus tractes, neque eorum opiniones oppugnaſſe contentus, in hominis doctrinam, mores, perſonam acerbe inveharis. Manifeſta hæc adeo ſunt, omniumque hominum experi-

mento confirmata, ut longiori explicatione rem proſequi penitus ſuperfluat. Peſſime igitur & ſibi, & cauſſæ ſuæ conſulet, qui contra humanæ urbanitatis, atque modeſtiæ leges res ſuas nimium extollit, oppoſita omnia deprimit, atque deſpicit: præterquam enim quod prudentes lectores, ac auditores, cujuſcumque ordinis, religionis, nationis, atque conditionis ſint, in ſui contemptum, commiſerationem, atque irriſionem adducat, illa etiam, quæ profers acri illo & cynico ſtilo argumenta atque doctrinam, quod tua ſunt, tuaque dicendi ratione propoſita, & involuta, deſpiciuntur: par pari redditur; acrius, quam velles & par eſſet, viciſſim etiam retunderis; neque interim ſpes ulla ſupereſſe poteſt, conveniri inter differentes poſſe, quamdiu prima illa totius humanæ ſocietatis, commercii, & diſputationis fundamenta non ſerventur. Tantum obeſt, ut ea agendi ratione te doctrinamque tuam, quam tantopere ſuadere ſtudes, apud lectores commendes, ut eos potius adducas, ut & auctorem odio habeant, & auctoris opiniones rejiciant. Ego ſane ita natura comparatus ſum, ut quotieſcumque in libros ea dicendi acerbitate ſcriptos incidam, non modo plurimum apud me de auctoris exiſtimatione decedat, ſed ejus cauſſæ nimium diffidam; adverſarii partes in me tacitus ſuſcipiam; vixque impetrare a me ipſo poſſim, ut inceptum opus ad umbilicum legendo perducam. Contraria omnia ſunt, cum eos inter ſe differentes offendo, qui non magis ſeſe invicem argumentorum pondere, quam modeſtia, atque urbanitate ſuperare ſtudent. Quid ſane efficaciæ, atque virium argumento decedit, ſi illud ita modeſte proponas, ut nihil tamen nervi, atque claritatis in eo proponendo deſideretur!

753. Nulla plane ſcriptorum, atque doctorum claſſis eſt, a quibus abſurdius in præfatam regulam peccetur, quam ii ſunt, qui de rebus ad religionem ſpectantibus differunt; cum nihil eſſe deberet, in quo ſcrupuloſius ſervari deberent modeſtiæ leges, quam ſacræ illæ de religione controverſiæ. Conforme id ſane eſſet & argumenti naturæ (quo nihil

po-

poteſt eſſe ſanctius, magiſque modeſtiam, & claritatem commendare) & differentium etiam ſtatui, atque conditioni. Religionis enim ſacrarumque rerum ſtudio, & profeſſioni addicti, eam in conſcribendis libris dicendi ſcribendique modeſtiam, humanitatem, atque urbanitatem præferre debent, qua adverſarii animum ſibi devincire poſſent, dum reluctantem mentem a ſententia deturbarent. Dixi jam, atque omnium temporum, locorum, & gentium experientia innixus, iterum dico, ſi qua alia in re, ob ea potiſſimum, quæ ad religionem ſpectant, hominum ſtudia, paſſiones, affectus, maxime intendi, excandeſcere, eoque inflammari, ut in purum putum ſæpe evadant fanatiſmum, quo velut violentiſſimo turbine, atque mentis vertigine integræ ſæpe nationes in alias cæco impetu, rabie, furore ad internecionem uſque irrumpunt. In iis civilibus bellis, quæ religionis cauſſa a diverſis inter ſe nationibus geri videmus, majori cum furore, & ſtrage res agitur. Idem vero furor, atque fanatiſmus in acie, atque in ſcholis manus; & animum, ferrum, & vocem, aut calamum agit. Maximi ſcilicet momenti res eſt Religio; ſumma rerum, beatitudo, aut infelicitas æterna; honor præterea, atque fortunæ omnes in diſcrimen ſæpiſſime vocantur, ut omnium fere nationum annales volventi perſpicuum erit: uno verbo, quidquid humanos animos propius tangit, agit, movet, atque ad hominum felicitatem, & miſeriam ſpectat, aut afficere poteſt, in diſſidiorum partem trahitur, cum de religione ferro, aut calamo dimicatur: ut mirum non ſit, ſi ea propter utriuſque partis animi ſemper incaleſcant, inflammentur, intra modeſtiæ fines non contineantur, in fanatiſmum ſæpe omnia degenerent.

Regula VIII.

754. *Docentis etiam eſt, argumentum, de quo agitur, præter verborum elegantiam, ea etiam idearum amœnitate, varietate, claritate, atque ordine tradere, & ornare, ut auditorum animi alliciantur, ad ſtudia proſequendum excitentur, ſcientias faſtidiant, ab iis ob argumentorum ariditatem non deterreantur.*

Intimam animæ indolem hæc regula tangit: homines univerſim, juvenes vero potiſſimum, rebus maxime ſenſibilibus, atque amœnis ducimur, abſtractam inſenſibilium rerum meditationem, & ſtudia faſtidimus. Ea porro cauſſa eſt, cur Geometriam, Algebram, Metaphyſicam, ceteraſque abſtractas diſciplinas pauci adeo in omnibus nationibus colant, atque promovere ſtudeant, dum contra poeſim, phyſicam, muſicam, hiſtoriam, ceteraque hujuſmodi infiniti fere ament, iiſque operam navent. Quod ſi in provectiori ætate in tanta litteratorum hominum multitudine nonnulli reperiuntur, qui intelligibilibus veritatibus contemplandis maxime delectentur; dandum id eſt peculiari eorum hominum indoli, quæ a communi aliorum genio abludit. Indubia ſane res eſt, ad intelligibiles etiam veritates percipiendas, atque explicandas, ſenſibilium rerum ideis, atque imaginibus uti plerumque homines; quod eo modo propoſitæ non modo melius intelligantur, verum tenacius memoriæ defigantur, atque majori cum voluptate edifcantur. In ipſa etiam Algebra, & infiniteſimo calculo, in rebus Geometricis, aliiſque ſimilibus id in primis tenetur conſilium, atque Tyronibus inculcatur, ut abſtractas illa veritates rerum ſemper ſenſibilium exemplis illuſtrent, applicent, eorumque ope familiares ſibi reddant, & memoriæ committant: quaſi ſcilicet innatum naturæ noſtræ dictamen ſit, longe vehementius, atque fortius ſenſu, quam pura ratione homines duci. Non abſurde diceres, amœnam rerum ſenſibilium explicationem horto mira florum, herbarum, arborum, aliarumque rerum varietate conſito ſimilem; abſtractas vero veritates nudo apertoque

toque campo, neque arboribus, floribus, aut herbis conſito, neque aquis irriguo: quam vero ſuavius, vehementius, fortius a primo, quam a ſecundo alliciamur, atque trahamur objećto, quanam animi jucunditate primum contemplemur, & fruamur, quanam etiam indifferentia, aut averſione a ſecundo refugiamus, conſcii ipſi nobis ſumus. Si hujuſmodi eſt humani animi, atque mentis conditio, quamdiu in mortali corpore vivimus; ſi ita a natura comparati ſumus, ut grata ſenſibilique rerum amœnitate ducamur; quodnam ineundum ſit ſcientiarum profeſſori in veritate proponenda, atque confirmanda conſilium, patet. Atque hæ ſunt, quas circa docendi munus, & methodum maxime commendandas duximus regulas; plurimis aliis omiſſis, quæ libros evolvendo facile edoceberis.

755. Multiplici ratione, ac methodo de propoſito argumento inſtitui poteſt diſputatio: primo quidem *fuſiori oratione*, ſecundo *dialogis*, tertio *ſyllogiſtica forma*, quarto *demonſtratione* ad Geometrarum methodum. Prior modus, qui eloquentiæ eſt, ad roſtra, aut ſuggeſtum pertinet, iiſque locis ſemper adhibetur, in quibus fuſiſſimo ſtilo Rhetoricis ornamentis æque atque rationum momentis attenditur. Sæpe etiam in publicis academiis, atque litteratorum hominum cætibus ſcientifica argumenta hac dicendi ratione, aut alia parum abſimili tractantur: ad quam etiam referri debet pecularis ille argumenta tractandi modus, *poſitivus* vulgo nuncupatus, in quo fuſiori, atque uberiori dicendi ratione, citra ullas Rhetoricæ figuras, ceteraque ornamenta res quidem uno eodemque tractu proponitur, explicatur, confirmatur, & ſi quid in oppoſitum adduci poteſt, eadem oratione ſolvitur. Locum iſta non habent in ſcholaſticis concertationibus, quæ in academiis quotidie inſtituuntur, iis idcirco prætermiſſis, ad alia veniamus.

756. Secunda, quam diximus, differendi methodus eſt *dialogus*, ſeu duorum differentium locutio. Eam in philoſophicis frequenter adhibet *Tullius*, plurimique alii ſcriptores. Cum familiaris hæc ſit inter omnes homines agendi, loquendique ratio ab

ab ipſamet natura, atque rationis lumine accepta; fieri non poteſt, quin & nos magnopere alterna hæc interrogandi, reſpondendique viciſſitudo, mutuaque idearum communicatio delectet, & ad mutuam veritatis, opinionumque noſtrarum ſuaſionem plurimum valeat. *Socratica* hæc nuncupatur diſputandi methodus, propterea quod ea ſemper, tamquam optima ad veritatem aliis ſuadendam ratione, *Socrates* uteretur. Utcumque res ſit, in academiis noſtris ea non agitur methodo, ſi pauca excipias, quæ inter agumentandum, preſſe interrogando, atque reſpondendo proſequimur, & expedimus. Niſi tamen ego fallor, non incongrue, neque inutiliter hac methodo in ſcholis publiciſque & privatis diſputationibus uteremur: verum oppoſita invaluit conſuetudo.

757. Nulla melius ratione, quam quæ Geometrarum eſt, ſenſum, opinioneſque noſtras aliis exponeremus, earumque veritas probari brevius, atque preſſius poſſet. Nulli apud geometras ſyllogiſmi, hoc eſt, inutiles verborum, atque propoſitionum repetitiones; rerum, atque idearum connexione agitur: ab una ad aliam ideam pura illatione tranſimus; enthimemate res tota peragitur; idearum connexioni unice inſiſtimus; quid ab iis ſequatur, ex earumdemmet claritate apparet. Utcumque tamen Geometrica hac methodo preſſius quæreretur veritas; ea nihilominus in mathematicis tantum diſciplinis utimur, ubi demonſtrationibus tantum agitur.

758. Syllogiſtica methodus tertiò loco a nobis numerata, & quam unam in litterariis diſputationibus communiter uſurpant omnes, etſi veritati inveniendæ inutilis, proponendæ tamen, atque explicandæ commoda habetur: non pauca in illa reprehendas: plurima etiam laudes: utrumque ſuperius late expoſuimus, cum de ratiocinatione ſermo fuit: id unum modo ſupereſt, ut quandoquidem hac una ratione litterariæ noſtræ diſceptationes expediuntur, eas tradamus regulas, ſecundum quas agendum eſt.

Re-

Regula I.

759. *Arguens neque ullo utatur vocabulo, neque ullam afferat propoſitionem, cujus ſenſus aut non ſit apud omnes manifeſtus, aut prius non fuerit ab ipſo arguente ita definitus, ut utraque pars circa ideas conveniant.*

Niſi enim de vocabulorum ſignificatione, & propoſitionum ſenſu omnino conveniamus; noſmet viciſſim non intelligimus: perperam diſputamus. Prima ratiocinationis laus eſſe debet claritas: rerum, propoſitionum, idearum obſcuritate hoc unum obtineri poteſt, ut reſpondentem confundamus, indigna proculdubio honeſto, ingenuoque homine ratio. Veritas una diſſerendo quæritur, quæ non vocum, idearum, ac propoſitionum obſcuritate invenitur, ſed ſola claritate comparatur. Fuit tempus, cum ii, qui in litterariis diſputationibus arguebant, ſingularem ingenii commendationem comparare exiſtimabant, ſi reſpondentem verborum, propoſitionum, & argumentorum obſcuritate implicarent; quaſi ſcilicet illa eſſent felicia, atque profundiſſima ingenia, quæ adeo profunde veritatem rimarentur, adeo ſeſe in ſublime elevarent, ut ex aliorum homuncionum conſpectu ſeſe ſubducerent. Nata hinc etiam, atque propagata eſt ſophiſtarum natio; homines proculdubio, ſi qui alii, veritatis, atque ſcientiarum hoſtes, atra nota inurendi, atque a publicis privatiſque diſputationibus prorſus exſibilandi. Eſto enim, reſpondentem obſcuris aliquot verborum, & male conceptarum idearum, ac propoſitionum ambagibus implicent (quæ quidem obſcuro pinguique ingeniolo erga perſpicaciſſimam mentem accidere quandoque poteſt): quid igitur? promota ne eſt ne tantillum quidem veritas? Reſpondentem implicaſti: rem igitur confeciſti? fallaci ne igitur argumento, obſcuro ſophiſmate, verborum æquivocatione, ſpurio humani intellectus partu, cui tu etiam fidem adhibes nullam, veritatem attigiſti? quanto rectius in ſcopum diſputando collineant, qui nulla vocum ambiguitate, nulla idearum, aut propoſitionum obſcuritate, ſed majori,

ri, qua poſſunt, rerum, idearumque evidentia, quæ ab omnibus percipiatur, argumentum inſtituunt, proſequuntur, & ad rei totius ſummam, veritatem tendunt?

In Argumentando igitur, cujuſcumque generis ſophiſmata ſummo ſtudio devita.

Regula II.

760. *Qui aggreſſoris perſonam agis, ratiocinationem prius meditatam, propoſitionibus digeſtam, ita proſequere, ut ad concluſionem, & ſcopum ſemper collinees, & tendas; a rectaque in ſcopum via non deflectas.*

Multoties enim aut reſpondentis male ſibi timentis ſagacitate, aut impugnantis imprudentia fit, ut propoſitione aliqua malitioſe, aut inutiliter a reſpondente diſtincta, eam diſtinctionis partem proſequamur, quæ ad rei ſummam nihil facit, omiſſoque recto ratiocinationis filo a via penitus aberremus, id quod *campum inutiliter explorare* dicitur. Quæ ad rem noſtram non ſunt (admittantur, aut negentur, perinde omnino nobis eſt) miſſa faciemus, quo eundum eſt, teneamus.

Regula III.

761. *Illud ſemper argumentatione proba, atque illius concluſio exiſtat, quod a reſpondente fuit ultimo loco negatum.*

Niſi ita pergamus, ad metam nunquam deveniemus, ſed aerem verberabimus.

Regula IV.

762. *Syllogiſticæ formæ ſemper inſiſte, preſſe loquere, ab inutilibus propoſitionibus abſtine, quæ ratiocinationis tantummodo producendæ gratia male afferuntur.*

Si quid, quod longiorem requirat orationem, ad ſyllogiſmum præmitti opus ſit; præmitte; qualia ſunt v. g. experimenta phyſica, atque obſervationes, cum ex iis ducendum eſt argumentum; facta hiſtorica, auctorum teſtimonia, ſi probationis loco adhibenda ſunt. Si quid ad majorem difficulta-

tatis explicationem, atque confirmationem addere oporteat; illud abſoluta argumentatione ſyllogiſtica, uberiori, & poſitivo, ut dicitur, ſtilo proſequere: ita fiet, ut & preſſius difficultatem urgeas, atque promoveas, & uberius deinceps, atque, ſi videatur, elegantius ejus momentum atque veritatem ſuadeas.

Regula V.

763. *Ab ira, clamoribus, ſtrepitu ita abſtine, ut nihil tamen ab ea contentione remittas, quæ citra auditorum moleſtiam ad veritatem ſuadendam a natura ipſa inſpiratur.*

Ex una enim parte omnia clamoribus implere, magnopere incaleſcere, iraſci, ideas & mentem confundit, atque perturbat: notum ſcilicet illud eſt, *ira brevis furor eſt*: ex alia vero, ſi citra omnem contentionem, atque efficaciam argumentum proſequamur; auditores potius ad oſcitationem, tædium, ſomnum, quam ad ſerium inveniendæ veritatis amorem adducemus. Pendet id vero a varia nationum indole, ac temperamento. In Luſitania in uſu eſt, ut impugnator arte paullatim iraſcatur, etſi nullius momenti difficultatem opponat: quod non modo riſu dignum eſt, ſed ab iis etiam reprehenditur, qui rem ipſam uſu tenent.

Regula VI.

764. Quod reſpondentem attinet, hic invaluit uſus, ut propoſitum ſibi ſyllogiſmum memoriter primum repetat, exinde vero ad caput rediens, ſingulas propoſitiones ordine, & ſeorſim neget, concedat, diſtinguat, aut omittat: quod verum apparet, conceditur, falſa negantur, propoſitiones æquivocæ diſtinguuntur, & quod in iis verum eſt, a falſo diſcernitur, primoque admiſſo rejicitur ſecundum: tandem omittitur, quod ad rem eſſe non videtur; verum falſumve aliunde exiſtat. Negandi autem, concedendique ratio tum denique fuſe exponitur, cum abſoluta forma ſyllogiſtica, & fine dicendi ab arguente facto, omnia tum in forma, tum extra formam oppoſita paucis verbis colligit reſpondens, ſingulaque, & totius rei ſummam uberius

rius explicat, ſolvit, atque confirmat. Atquæ hæc ſunt, quæ a reſpondente peraguntur; quæ quidem ſatis eſſent, ſi nihil in diſputatione ab arguente proponeretur obſcurum, confuſum, quod ab auditoribus, & reſpondente non intelligeretur. Quoniam tamen arguentium vitio ſæpiſſime accidit, ut propoſitiones ſubinde ab iis adducantur, quas neque reſpondens, neque auditorum corona intelligat; quid tum faciendum? Rem non intellectam neque negare, neque admittere poſſumus: fieret enim, ut falſum multoties admitteretur, rejiceretur verum, omitterentur non omittenda: quamdiu etiam rem non intelligimus, illam in partes diſtinguere non poſſumus. Hujuſmodi igitur propoſitionibus hac una reſpondendi formula occurri deberet, *dubito*, *quamdiu clarius non exponatur*: Arguentis vero munus eſſet, male conceptam propoſitionem aliis verbis ad clariorem ſenſum adducere.

765. Primus hujuſce regulæ, atque novæ reſpondendi formulæ fructus eſſet, omnia præcidere ſophiſmata, quæ aliqua ſemper vocabulorum, aut idearum ambiguitate, obſcuritate, aut confuſione laborant: in qua tota argumenti vis, quæ nulla eſt, conſiſtit: quis enimvero eſſet, qui ſophiſmata ulterius in medium producere auderet, ſi in ipſomet diſputationis, atque argumentationis initio omnes ſophiſmatis tricas, atque obſcurum ſenſum coram omnibus exponere opus eſſet, eoque pacto totam, ſi qua eſſet, argumenti difficultatem diſflare? Reſpondentis item erit, ſi ſeſe nomenque ſuum amat, hac reſpondendi ratione iis tantum argumentis, atque propoſitionibus occurrere, quæ arguentis vitio ſatis claræ non ſunt: infinitæ enim proponi poſſent propoſitiones, verborum quidem proprietate, collocatione, atque idearum claritate bene conceptæ, quæ ob magnam rei quam continent difficultatem, negotium reſpondenti faceſſant: quibus nonniſi per ſummum dedecus reſponſione *dubito* occurreres. Rem in diſſertatione agitatam; & in adductis propoſitionibus contentam, antequam in arenam deſcendas, accurate meditari, ſemel iterumque volutare oportet.

766.

766. Inutile vero, atque ſuperfluum eſſet, utrique parti cum ſermonis elegantiam, tum modeſtiam, atque urbanitatem multis ſuadere, & peculiari regula inculcare: utrumque enim per ſeſe ſatis commendatur, & cum arguentis, tum defendentis muneri opus eſſe demonſtratur. Si quod ſane eſt, a quo omnis ſermonis barbaries, atque inurbana dicendi, agendique ratio eſſet in primis eliminanda; eæ proculdubio ſunt litterariæ diſceptationes, licæa, atque litteratorum hominum diſceptationes. Ecqui enim ſunt, e quibus & eleganter loqui & modeſte de ſeſe ſentire, urbane vero, atque omni prorſus humanitatis ſenſu cum aliis agere ſperandum eſt, niſi ab litterarum, & ſcientiarum ſtudioſis, quorum eſt animum ad humanitatem informare, propriimet ingenii tenuitatem oſtendere, & hinc modeſtiæ ſenſum, atque amorem inſpirare? Eorumdem præterea hominum eſt eleganter, caſtigate, & culte loqui; non modo idearum exactitudine, verum etiam eo verborum delectu, qui cultam mentem, hominemque ſtudiis contritum ſapiat. Sed, quæ humanarum rerum conditio eſt, plurimis a ſæculis non linguæ modo elegantia, verum & urbana, atque humana diſputandi, & cum aliis agendi ratio ab univerſis ſcholis, atque litteratorum hominum concertationibus in exilium miſſæ barbaro loquendi modo, Gothicis latiniſmis, conviciis, inurbanitati locum fecere. Luculenta id nos hactenus experientia, & barbara adhuc multis in locis vigens conſuetudo docent, atque innumera demonſtrant volumina, quæ poſtremis ſæculis edita, perennia nobis erunt vigentis per id temporis culturæ monumenta. Ab integro ſæculo in novam, cultioremque faciem, paullatim tamen, atque lentiſſime mutari incepit Europa. Ex parte ſaltem deferbuerunt acerba illa animorum odia, quibus homines in religione, philoſophia etiam, aut aliis ſcientiis diſſidentes ſeſe mutuo proſcindebant. Philoſophicus quidam genius ad humanitatem, atque urbanitatem compoſitus noſtro hoc ſæculo regnat, & late diffunditur. Pari quidem ardore veritas quæritur, atque urbanitatis leges co-

coluntur. Homines non modo in philoſophia, aliiſque naturalibus ſcientiis, ſed religionis etiam dogmatibus, atque principiis penitus inter ſe diſſidentes amice ſecum mutuo agunt, loquuntur, ſcribunt. Laudari ſatis non poteſt philoſophica hæc, atque humana agendi ratio, & commune jam litteratorum hominum dictamen: optandum eſt, ut diu teneat: ſemperque permaneat: ſperandum id erit, quamdiu litterariam eruditionem eo animi ardore proſequamur, quo iis ab integro ſæculo incumbitur: utrum tamen hæc pura ſint, atque inania vota, ii videbunt, qui futuris ſæculis in ſcænam prodibunt, & nos, noſtraque hæc ut vetera tractabunt. Si tamen ex iis, quæ modo ſunt, hominum ſtudiis, ſtudendi ratione, ſcientiarum, artium, eruditioniſque delectu, ex propria innataque hominum indole, pigritia, atque præſentis ſæculi, & ex generationis moribus, cogitandique ratione de impendentis jamjam ſæculi, atque generationis litteraria eruditione conjectare aliquid licet; non parum a vera profundaque eruditione, ſcientiarum, & artium cultura ſtudiorumque delectu decedent. Atque hæc dirigendæ mentis cauſſa in medium attuliſſe contenti, Logico operi finem imponamus.

FINIS.

CATA-

005653570